This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



SILAS WRIGHT DUNNING
BEQUEST
UNIVERSITY OF MICHIGAN
GENERAL LIBRARY

286

D. VI. 6. 38.

80 Pib

DB
20
.H1

4° 1230.

MÉDIATIONS LANDES ARCHIV

WENCESLAI HAGEK
A LIBOCZAN
ANNALES BOHEMORUM

E BOHEMICA EDITIONE LATINE REDDITI
ET QUIBUSDAM NOTIS ILLUSTRATI

A

P. VICTORINO A S. CRUCE E SCHOLIS PIIS.

NUNC

PLURIMIS ANIMADVERSIONIBUS HISTORICO-CHRONOLOGICO-CRITICIS, NEC NON DIPLOMATIBUS, RE GENEALOGICA, NUMARIA, VARIIQUE GENERIS ANTIQUIS ÆRI INCISIS MONUMENTIS AUCTI

A

P. GELASIO A S. CATHARINA
EJUSDEM INSTITUTI SACERDOTE,

PARS III.

QUÆ

BOHEMIÆ HISTORIAM

AB ANNO DCCCLII USQUE AD ANNUM DCCCCXXXVI COMPLECTITUR.

CUM

SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE APOSTOLICÆ MAJESTATIS PRIVILEGIO.

PRAGÆ,
TYPIS JOANNIS JOSEPHI CLAUSER, REGII TYPOGR.
ANNO MDCCLXV.

ARCHIV

Quid juvat nosse omnes Græcorum & Romanorum historias, terrarum situs, incolarum mutationes, priscos ritus, si in patria tua hospes, & ibi semper puer sis? si nihil vel antiqui moris, vel priscæ simplicitatis & candoris, vel sanctarum patriæ tuæ, prima inter cunabula, legum, si nihil mutationum vel in melius vel in pejus circa publicas privatasque res factarum scias, aut intelligas? *Henricus Meibomius Junior Tom. I. Rer. Germ. in præfat.*

Sunt nonnulli in patria, si præcipue, qui alium de Bohemia scribentem præter Hagecium legerunt neminem: qui ferunt ægerrime, si Hagecius vel uno apice lapsus esse dicatur; statim clamorem tollunt, & pene ad furorem vociferantur: tune Hagecio, quo omnis patriæ historia nititur, dicam impinges? tune eum errasse audebis dicere? talia Crugerio, Pessinæ, se mihi ipsi objecta sæpius memini, quod uno alterove in loco in re manifesta Hagecium hallucinatum fuisse scripseramus. *Balbinus Dec. I. l. 7. c. 8. in notis.*

ILLUSTRISSIMO AC EXCELLENTISSIMO

DOMINO DOMINO

VINCENTIO

S. R. I.

COMITI

DE

WALDSTEIN

ET

WARTENBERG,

SUÆ

SACRÆ CÆSAREÆ REGIÆQUE APOSTOL. MAJESTATIS

CONSILIARIO INTIMO ACTUALI

HEREDITARIO SUPREMO IN REGNO BOEMIÆ DAPUM REGIARUM

PRÆCISORI

DOMINO

DYNASTIARUM CLOSTER, MÜNCHENGRAZ, WEISS-

ET HÜNERWASSER, HIRSCHBERG ET BOESIG &c.

MOECENATI SUO

SUMMUM COLENDO

VITAM ET FELICITATEM.

Cum anno ſuperiore toga ſagoque clariſſimæ PROSAPIÆ TUÆ *memorias quasque & vetuſta diplomata Tomo I. monumentorum Bohemiæ nusquam antea editorum in lucem publicam typo protuliſſem, conſilium noſtrum tantoopere* TIBI *arridere viſum* ILLUSTRISSIME AC EXCELLENTISSIME S. R. I. COMES, *ut molimine iſto gratiam* TUAM *aucuparer, & meritum quodpiam apud* TE *poſuiſſe non obſcuris benevolentiæ indiciis cognoſcerem. Nec in ea voluntatis gratiæque* TUÆ *propenſione ſtitit animus quantus quantus ad munificentiam natus comparatusque: a publicato ſtatim volumine de præmianda opera mea indulgentiſſime cogitare cœpiſti. Cum dein intelligeres vaſtum hoc multosque in annos protrahendum tam Annalium Bohemorum, quam Monumentorum ineditorum opus impendiis meis undequaque anxie corradendis excudi. Patronos inquam ſingulis Tomis deſiderari, ſolliciteque exquiri, non ſuſtinuit ſumma* TUA *humanitas, ut ei ſupplex fierem, ut multis munificentiam* TUAM *implorarem, fatigaremque: prævertiſti conſilia & preces meas, ultroque (quod perrarum hodie liberalitatis exemplum eſt) non minimam partem ſumtuum in proxime excudendum volumen gratioſiſſime ſuppeditaturum es pollicitus. Nempe ſapientiſſime ratus*

Dunning
Boer
6-18-40
90835

tuis non melius collocari beneficia, quam in disciplinarum ornamentum, incrementumque; & historiæ patriæ elucidandæ non tam defuisse hactenus monumenta, & laborum vigiliarumque patientes viros, quam æs, atque facultates, ut preli scalprique beneficio juris publici fierent. Quam TUAM *ultroneam minime efflagitatam benefaciendi voluntatem cui aptius comparem, quam celso illi munificentissimoque Trajani Imperatoris animo? qui teste Plinii Panegyrico erubescere solitus, quoties beneficia cum utilitate reipublicæ conjuncta ab eo peterentur; quod tacite illiberalitatem, somnolentiamque suam a populo Romano incusari suspicaretur, qui non sponte & ultro prævideret, præverteretque, quæ alioquin ad salutem & commodum reipublicæ suæ impendenda essent.*

Nec vero hac una solaque summæ TUÆ *liberalitatis (quæ ad promovendos literatorum conatus, ad amplificandos artium scientiarumque progressus perpetuo excubat) ratione adducor, ut* ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO*que* NOMINI TUO *hanc Partem III. Annalium humili observantia inscribam: plura argumenta pridem animo agitata ursere, imo præcepere summæ* TUÆ MAJORUMQUE TUORUM *munificentiæ quidpiam debitæ instar victimæ litandum esse. Sempiternis celebra-*

 bunt

lunt Scholæ Piæ gratis animi testimonium Illustrissimum ac Excellentissimum claræ memoriæ Jacobum Comitem Czernin de Chudenitz AVIÆ TUÆ MARGARETÆ PATREM, *qui sæculi superioris exitu Gymnasium Cosmonossii aperuit, & sumtuosa Collegii Ecclesiæque mole condita ordinis nostri vivos annuis reditibus perpetuo stabilivit. Nullum erit unquam tempus, quo ipsius etiam mox memoratæ immortalitate dignissimæ* AVIÆ TUÆ MARGARETÆ *memoria atque fama beneficentiæ in Scholis Piis emoriatur, quæ Patris sui fundationem nova liberalitate auxit, & superiori illi religiosorum numero Professorem studiumque Theologicum benevolentissime adjecit. Hæc munificentissimi erga institutum nostrum animi propensio haud aliter quam hereditate transiit ad Illustrissimos ac Excellentissimos* PROGENITORES TUOS, *qui cum omni loco & tempore liberalis beneficique sui animi testimonia præbuere,* TIBI IPSI *tenera adhuc ætate Informatorem ex ordine nostro delegere; quo quidem consilio nullum majus fiduciæ gratiæque suæ argumentum dare potuerunt, quam cum pretiosissimum sibi cœlis datum munus* (*nempe* TE IPSUM MOECENAS GRATIOSISSIME) *religiosorum nostrorum custodiæ confidere. Si dein historiarum argumenta, quæ hoc volumine comprehenduntur, spectо, ea sibi quo-*

que

que TE PATRONUM *exposcunt, quod non careant memoriis inclytæ, omnibusque sæculis celebratæ* PROSAPIÆ TUÆ. *Nolim cum Pyxnero ad incertas illas sub Henrico Aucupe Hastiludiorum narrationes recurrere, in quibus quidam Dietricus Wartenbergius generis* TUI *gloriosus auctor cum prima Germaniæ nobilitate decurrisse asseritur. Nolim passim cum nostris jam ab his duobus, quæ pertracto, sæculis arborem Genealogicam Clarissimæ stirpis* TUÆ *confidenter describere, quod non sim inscius prudentiam* TUAM *reique historicæ non mediocrem peritiam aversari ac odisse palpos ejusmodi, qui eruditorum existimatione plus obscuritatis, quam nominis claritatisque avitæ certioribusque vetustatis monumentis nixæ nobilitati adferre solent. At certe invictissimi illius sæculo superiore Herois Alberti Ducis Fridlandiæ (quem merito Majorum Tuorum portentum quoddam appellare licet) memoriam isthic leges, qui Micro-Pragæ inducta fundataque Societate Jesu carceres publicos (ad quos eousque Divi Wenceslai immobile corpus stetit, dum captivi omnes deliberarentur) in ejusdem sancti templum convertit. Leges plurimis locis Illustrissimi ac Excellentissimi Episcopi Litomericensis cognati & necessitudine amicitiæ* TIBI *devinctissimi memorias, cujus ductu, consiliis, rei historicæ admi-*

minimis potissimum ad hos conscribendos Annales animum appulimus. Quæ tot observantiæ debitæ causarumque momenta si jam universim glomerentur, an non præcipiunt, an non officium legemque imponunt ARIS TUIS ILLUSTRISSIME AC EXCELLENTISSIME COMES *Partem hanc Annalium esse devovendam?* TIBI, *inquam Musarum Patrono, eruditorum Fautori, liberalitatis, munificentiæque Statori? qui benefaciendi virtutem cum sanguine a Majoribus* TIBI *traditam tanto studio & contentione exacuis, ut cum Apelle te diem sine linea transmisisse deputes, nisi novo atque novo beneficii genere egenos, clientes, amicosque* TIBI *obstringas; qui haud ob aliam rationem tot fortunas, ditionesque* TIBI *a Deo liberaliter concessas arbitraris, quam ut cum aliis communices, & liberalitate* TUA *beatos efficias. Hæc sane felicitas est paucis mortalium divinitus data: alios enim beatos efficere divinæ cujusdam mentis potestatisque portionem esse pridem sensit Plato. Ea cum nonnisi cœlo originem suam trahat, cum ex veræ salvificæque religionis principiis proficiscatur, quid mirum illam sibi in* TE *plurimas virtutes socias administrasque adscivisse? nempe pietatem in Deum, fidelitatem erga Augustissimam Domum Austriacam, & patriam, pro cujus salute militiam secutus pluribus annis in armis*

mis haud inglorius stetisti, vitamque ipsam in prælios non es veritus tot periculis exponere. Comites, inquam, nacta zelum divini cultus, magnificentiæ decorisque in exornandis templis studium, amorem proximi ac eum primis TIBI *subditorum, comitatem, misericordiam, affabilitatem aliasque affines virtutes, quæ merito consuetudinem* TUAM *in deliciis populi universi reponunt, quæ vitam* TUAM *fama, & meritis cumulant, quæ ad immensam illam Majorum* TUORUM *gloriam plurimum accessionis faciunt.*

Immensam merito dixi gloriam: quid enim vel cogitatione magnum, laudabile, clarumque effingi potest? quid illustre, excellens, gloriosumque spectavit unquam Bohemia, quod non Majores TUI *hereditario quodam jure sibi vendicasse visi essent? in illis vetustatem imaginum, famam meritorum, potentiam, divitias suprema patriæ munia, Heroicam fortitudinem, scientiam, pietatem, rerum gestarum amplitudinem sæculis omnibus eluxisse quis historiarum gnarus ignorat? nulla seu in sacris, seu politicis, seu militia dignitas, quam non* PROSAPIA TUA *iteratis vicibus cum summa laude fuisset tuita. Archi-Præsulatus Bohemi Primatusque regni prærogativam superiore adhuc sæculo tenuit, Episcopatibus Olomucensi, Caminensi, Litomericensique jam inde a sæculi XIV. initiis fuit conspicua; ad Ducatus plane*

 Frid-

Fridlandiæ, Sagani, & Mehlburgi eminentiam eluctata est, connubiis cum Holsatiæ, Transylvaniæ, Münsterbergique Ducibus, cum Hohenloensibus, Fürstenbergicis, Solmensibus, Czartorizkiis aliisque Principibus non semel inclyta. Grandis Prioris ordinis Equestris Melitensium munus bis, Magisterii supremi Generalis Crucigerorum semel gessit. Supremos regni Burggravios numeravit amplius tres, supremis Aulæ, Cameræ, judicii, Appellationum, Feudorum, Montiumque Præfecturis creberrime nobilitata. Omnium maxime fortitudinis laus gloriaque belli a Majoribus TUIS *quæsita est, qui se se velut totidem martis filios ad defendendam patriam, ad Regum, Imperatorumque jura tutanda genitos credebant: non immerito igitur toties tam Principum nostrorum decreto, quam populi universi voluntate summam totius belli, legionumque omnium Præfecturam ad eos delatam in historiis legimus. Nihil attinet hic commemorare Hinkonem III, qui jam sub Przemyslao Ottocaro Hungaricis Habsburgicisque bellis inclaruit, non Zdenkonem V. qui Carolo IV. tumultibus Italicis magno præsidio fuit. Non Hinkonem X. aut Wolfgangum fratres, illum reportatæ ad Austam adversus Germanos victoriæ auctorem, hunc universi Boemici exercitus anno* 1420. *ad Wissehradum ductorem. Non*

Hin-

Hinkonem XV, Burianum, Ladislaum, Franciscum Augustinum, qui regiis patriisque copiis summorum Belliducum honore præfecti cum sempiterna nominis sui commendatione provinciam suam quam maxime strenue gesserunt. Unus Albertus Fridlandiæ Dux omnium gentium linguis decantatus Heros prætermittendus non est, ille inquam supremus militiæ Imperatoriæ terra marique Archistrategus bellis Venetis, Transylvanis, Mannsfeldicis, Magdeburgicis, Halberstadensibus, Turcicis, Durlacensibus, Bremensibus, Holsteinensibus, Danicis, Pomeranicis, Suecicis, Saxonicis, Silesiticis, Brandeburgicisque clarissimus, qui, ut Ciceronis verbis utar, jam e ludo & pueriritiæ disciplina bellis maximis atque acerrimis hostibus objectus, cujus omnis ætas ad scientiam rei militaris non alienis præceptis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed victoriis, non stipendiis sed triumphis est traducta, cujus unius heroica facinora immortale STIRPIS TUÆ *nomen famamque redditura.*

Quid dicam de pietate Illustrissimi GENERIS TUI *in fundandis dotantisque cœnobiis? in condendis sumtuosissimis Ecclesiis? cui præterquam Majoribus* TUIS *debet sua principia Prædicatorum Ordo Iglaviæ atque Ssumburgi? cui Carthusia Waldicii? Divi Augustini Eremitarum Institutum Lippæ, at-*

que

que Bielæ? Duplex B. Francisci Seraphici Sodalitium Turnovii, atque Moravo-Trebicii? vii Societas Jesu sua Collegia, seminaria, templa Micro-Pragæ, Cicziniі, atque Oppaviæ? quæ pietas quid mirum si cælos ad præmiandum, ad remunerandum provocavit? si Stirpem Tuam nepotum serie, si sagittis terrarum ambitibus, si divitiis, honoribusque cumulavit? Tot pietatis suæ monimenta cum ad posteritatem transmisisset non oblita magnificentiæ in colendis arcium, palatiorumque structuris, quo prærogativæ genere omni tempore cum præcipuis Bohemiæ familiis de principatu certare visa. Unum inter cæteras admirabiles moles commemorare libet Micro-Pragense Palatium ab Alberto Wallsteinio Fridlandiæ Duce auspicatum amplitudine, architectura, ornatu, hortique elegantia nemini in urbe secundum, in quo perpoliendo, augendo, candecorandoque jam a pluribus annis TUA MOECENAS GRATIOSISSIME *industria summis cum impendiis defatigatur. Nec enim is splendor, ea glorioſa facta exemplaque* MAJORUM TUORUM *perpetuo oculis* TUIS *obversantia animum quiescere sinunt, ut ne ad similia, ad illorum imaginem exprimendam accendatur.*

Nihil superest, quam ut Supremum Numen votis omnibus efflagitem, quo incolumitatem TUAM *omni felicitate humana*

cu-

cumulatam in seros annos cum gloria provehat, quo Illustrissimam ac Excellentissimam Conjugem TUAM *comitate, prudentia, probitateque summe conspicuam solatiis* TUIS *servet quam diutissime, unicum tenerum surculum* TUUM *in spes maximas patriæ excrescere faciat, denique Vetustissima Progenies* TUA *eminentiæ suæ, gloriæ, possessionumque suarum firmum solidumque in* TE *fulcrum nanciscatur, atque* TECUM *perennet.*

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ

Servorum minimus infimusque

GELASIUS DOBNER,
a S. Catharina Schol. Piar.

CENSURA.

IMPRIMATUR

JOAN. ANDREAS KAYSSER,

Episc. Vic. General. & Official.

Legi attente Partem tertiam Annalium Hagecii ab Admodum Reverendo Patre Gelasio a S. Catharina Piarum Scholarum pro tunc Collegii Vetero-Pragæ Instituti ejusdem Rectore Actuali, Viro in promovenda re literaria prorsus indefesso, qui cum passim a Patriorum historicorum trita via recedit, criticæ animadversiones illius singulari industria ac solerti indagine collectæ, sua non carent monumentorum vetustorum soliditate, prout lectori patebit. Eade causa ut orbi literato palam fiat, luce publica dignam censeo. Dabam Pragæ XXVII. Aprilis Anno MDCCLXV.

FRANC. XAV. TWRDY, S. M. Eccl.
Canonicus, ad S. Apollin. Decanus, Rmi. ac Illustr.
Consistorii Pragensis Assessor, Lib. Cens. mpp.

JEREMIAS A MATRE DOLOROSA

Clericorum Regularium pauperum Matris Dei Scholarum Piarum per Bohemiam Præpositus Provincialis.

Cum Partem III. Annalium Hagecianorum per P. Victorinum a Cruce ordinis nostri sacerdotem alias latine reddicorum, & notis quibusdam illustratorum, nunc vero per P. Gelasium a S. Catharina ejusdem Instituti Professum plurimis variisque animadversionibus auctorum, duo ex nostris, quibus commissum fuit, recognoverint, & approbaverint; nos potestate ad id nobis facta ab A. R. Patre nostro Josepho Maria a S. Joanne Baptista Præposito Generali, ut typis mandetur, si iis, ad quos spectat, ita videbitur, facultatem in domino concedimus. Datum Cremsirii in ædibus nostris XVI. Kalendas Maji Anno MDCCLXV.

JOSEPH. CALASANCTIUS,
a S. Christiano Secretarius Provincialis
de mandato mpp.

L.S.

JEREMIAS A MATRE DOLOROSA,
S. P. Præposit. Provincialis.

PRÆFATIO.

Serius exſpectatione tua benevole lector imo vel mea prodit hæc III. Pars Annalium Hageciano-rum. Moræ atque remoræ plures publicationi illius injectæ, ut ne citius deſiderio tuo ſatisfacere, atque fidem datam deliberare licueri. Primum quidem proponebam apud animum meum non prius Partem hanc, & ceteras, quæ ſequuntur, prelo ſubjiciendas eſſe, quam dum Scriptores rerum Gallicarum & Francicarum decem jam Tomis noviter Pariſiis excuſos indeptus eſſem, quorum ſcilicet adminiculo hiſtoriam patriam maxime illuſtrandam certo confidebam. Cum autem eos irrito prorſum conatu per Bibliothecas noſtras quærerem, & ſumtus in prelum, ſcribas, & calcographum quot annis profundendi tam ſumtuoſo operi ære meo accurando nervum eriperent, de Patrono cogitandum erat, cui editionis iſtius dignitatem perſuaderem, ut tandem ejus conceſſione & gratia uſibus meis deſerviret. Quod itaque in magna beneficii imo felicitatis parte repono: reperi toties ſuperioribus tomulis laudati, Mecœnatis mei perpetui, Reverendiſſimi Illuſtriſſimi ac Excellentiſſimi DD. Emanuelis e Comitibus de Waldſtein ſuæ Sac. Cæſ. Regiæque Apoſt. Majeſtatis Intimi Actualis Conſiliarii & Epiſcopi Litomericenſis adeo benevolam promtamque voluntatem, ut vel in-

indicio rei factor studiis meis præter moram commodandum esse censeret, jubentque Tomos hos Parisiis are suo esse conducendos. At, ut vulgo fit, Bibliopolæ cunctatione eorum allatio in longum protracta est, & vix post sex mensium intervallum desiderium meum explevit. Dein cum medicorum consilio thermis Carolinis utendum esset, nolui absens typum plurium mendorum periculo exponere, ut satius judicarem opus quamquam serius, emendatius tamen tradere, quam vitiosa acceleratione tædium lectoris provocare. Denique cum redux maxime sperarem saltem cum anni superioris exitu Partem hanc primam deserturam, accidit rursus præter expectationem nostram, quod rescripta quæque regia acceleranda præcepta omnia quinque prela typographo eripuerint, eaque per integrum pene trimestre laboris alterius nescia fatigaverint. Habet jam igitur benevole lector justas causas protracti operis fidemque serius deliberatæ, daturus operam, ut ceteranum Partium acceleratione resarciatur tempus, quod hujus procrastinatione tibi perditum videbatur.

Jam ut de argumento, quod præsente libro pertractandum suscepimus, quæpiam præmittamus: complectimur illo historiam ab anno DCCCLII usque DCCCCXXXVI tempus sane omnium, quod Bohemiæ unquam accidit fortunatissimum, quo proculcato idolorum ritu, veri Dei cultus in patriam per Divum Methudium inductus est, & quo vix radicem agente e sterili pene solo, ut similibus Libussæ nostræ apud Cosmam verbis utar, (a) duæ sublimes speciosissimæque olivæ, Diva inquam, Ludmilla atque Wen-

(a) *Cosmas l.* 1.

ces-

ceslaus Martyres propullularunt, quibuscum simul annorum cursu pedetentim eluctatur historia patria e vepribus & spinis, expedit se caligine sua, & deterfis veteribus vulgi fabellis veritatem tanquam nebulis intermicantem lucem pluribus jam locis ostentat. Nam gesta istorum, tum SS. Cyrilli ac Methudii a proximis eorum temporum diligenter adnotata hanc Annalium partem mirum quantum illustrant. Non parum huc quoque conduxere illa Suatopluci Regni Moravici conditoris glorioſa facta, quæ vel invitis calamis quique Francorum Chronologi ad posteritatem transmittere coacti; cum enim Heroi isti passim per omne vitæ tempus gravissima cum Regibus Francicis negotia intercederent, persequendo illi historias regum suorum, prætermittere minime potuere, quin istius gesta inspergerent, simulque gentis nostræ memorias admiscerent. Et debemus quidem his Francorum Annalibus omnem eam notitiam historicam, quamquam demum veram incorruptamque appellare licet, debemus illis quoque Chronologiæ certitudinem, quod passim a contemporaneis authoribus conscriptos esse perquam testatum sit. Quæ duo tamen non æque debemus supramemoratorum Divorum biographis, quos quanquam dubitare fas non sit rerum gestarum narrationes fideliter posteritati commendasse, at certe ubivis Chronologia in eis desideratur, quod recepto illo Martyrologia, Passiones, vitasque sanctorum scribendi more usitatum non esset historias ad annorum supputationes exigere. Nostra itaque intererat Chronologiæ calculum supplere, singula narrata dispescere, & gesta quæquæ suis annis circumscribere; quo in

molimine cum hactenus certum tutumque Ducem nacti non fuiſſemus, quanta opera res ſteterit, diſpiciet amicus lector ex ipſis commentariis noſtris, quæ ubique diſſertationum quarundam ritu adjicimus.

Non minimus quidem patriorum ſcriptorum ſuppetit numerus, qui multo ante omnibus pene locis Chronologicam rationem induxere, qui non modo annorum, ſed dierum quoque crebro ſupputationes in Annales noſtros invehere auſi: verum cum illi paſſim ſeu Hagecium, Chronologiam pro libidine tractantem, ſecuti, ſeu meris ſolum conjecturis momenta temporum ariolati magis ſint, quam definiverint, hinc evenit, ut res & hiſtorias paſſim ſecum pugnantes, fluctuationem hæſitationemque ubivis ſe ſe ingerentem ſit deprehendere, quæ legentem perpetuis quibusdam ſtimulis urgent aliam temporis ſupputationem merito deſiderari. Non mirum itaque videri debet æquo lectori, ſi toto, ut ajunt, quandoque cœlo a ſuperiorum patriorum ſcriptorum ſupputandi ratione defleximus, ſi initiis Chriſtianæ fidei, ſi Ducum patriorum imperio, ſi indigetum noſtrorum martyrio atque Translationibus alia momenta præfiximus. Quanquam enim non pauca vetuſta monumenta authorum iſtorum ætate luce publica donata jam fuerint, quanquam noſtri plura legitima vetuſtatis documenta manibus ſuis verſaverint, erat tamen ſæculorum illorum is genius & in ſententia obfirmatus animus, ut cum Hagecio aliisque paulo ſuperioribus errare maluerint, quam eos erroris & oſcitantiæ condemnare. Huc accedit, quod ab eo tempore, quo calamum, vitamque poſuere ſæcu-

culorum duorum superiorum scriptores, tanta undique manuscriptorum seges ex Germaniæ archivis bibliothecisque protracta partim preli beneficio vulgata sit, partim in manuscriptis nobiscum communicata, ut nisi noctuarum ritu lucem fugere, veritatemque despicere libuisset, communi tritaque patriorum scriptorum semita incedere minime licuerit.

Alius præterea non minimus plurium nostrorum scriptorum error erat, quod passim historiam Boemiæ perangustis limitibus definirent, atque ad eam conscribendam sat superque argumenti & certitudinis in solis patriis Annalibus esse deputarent, immemores ante sæculum XII. & Cosmam (si quosdam SS. Ludmillæ ac Wenceslai biographos excipias) Czechiæ nullum Chronographum obtigisse. Quantus historicorum patriorum per tot prima sæcula defectus, vastitasque procul dubio eos commonefacere debuit, ex Annalibus monumentisque exteris eam lacunam esse explendam, veram inquam eorum temporum historiam a vicinis Germanis esse repetendam, quemadmodum vel ipse Cosmas eam repetivit, dum & ad Imperatorum fastos provocavit, & Reginonem, Reginonisque Continuatorem non uno loco ad verbum pene exscripsit. (b) Nos itaque in acervandis excerpendisque exteris nulli pepercimus operæ, quorum testimoniis omni loco nostra illustravimus, auximus, confirmavimus. Non quidem hic institorum ritu merces nostras jactare, atque emturientibus commendare libet, at id confidenter dicere non veremur, plerosque rerum Germanicarum imo Gallicarum quoque, Polo-

(b) *Cosmas l. 1.*

norum, Ungarorumque ſcriptores pluribus tomis comp
henſos a nobis ſedulo lectos excuſſosque, omnes in co
lium vocatos libros, quosquos demum vel memoriam
triam complecti ſuſpicati ſumus; nec tamen omnia exh
ſiſſe, quod merito arrogantiæ condemnandum eſſet, vid
volumus: eos libros intelligimus, quorum & compotes
ri licuit, & quorum notitia ad nos pertigit. At patr
certe ſcriptores univerſos typis excuſos ſolerter contulim
omnibus pene locis indigitatis, quibus ſibi adverſant
quibus a veterum relatis receſſere, quibus nova adjece
ut uno velut conſpectu lector cognoſcere poſſit, quo pa
temporum ſæculorumque curſu novis atque novis inven
hiſtoriâ patria creverit, & a primis ſuis fontibus deflexe
Nec deſiderabit iſthic lector manuſcriptorum quorumq
hactenus orbi literario incognitorum raritatem, quor
excerptis tanquam cymeliis partem hanc ſuis locis exor
vimus. Verbo tanta ubivis authorum librorumque in
rum firmamentum allata laudataque multitudo teſtatu
faciet, non unius alteriusve anni eſſe operam, quam
illuſtrandos hos Annales contulimus.

Hac itaque tot librorum lectione authorumque co
ciliatione profluxit, quod paſſim bellum patriis ſcriptorib
indicendum fuerit, quod traditiones (populares nempe, r
nimæ antiquas, minime authenticas) plures evertamus, qu
Hagecio creberrime adverſa tum in rebus tum in Chron
logia ſtatuamus, quod multas narrationes fabularum c
ſura merito notemus, optemusque ex faſtis noſtris elimi
ri. Atque id leges ſanioris critices expoſcebant, quæ n
nent,

nent, inſiſtendum eſſe veterum relatis, præferendam eſſe ſynchronorum aut proxime ad narratorum ætatem accedentium authoritatem præ novorum ſine tabulis loquentium dicacitate; ex iſtorum fide poſteriorum narrata exigenda eſſe atque emendanda. Quæ quisquis demum meditate cum animo ſuo expenderit, non nos arguet temeritatis, non obtrectabit nos inficiari omnia, & ſuperiorum ſcriptorum fidei audacter derogare. Graviſſimorum Virorum hoc in molimine ſequimur conſilia, qui ſapientiſſimis ſuis præceptionibus pridem animadvertere ſumma accuratione ſcribendas emendandasque eſſe hiſtorias, & ſeveriſſimo criterio hiſtorias a fabulis, vera a falſis eſſe diſterminanda.

Quare omnes & ſingulos quovis nomine, ordine & titulo ſuſpiciendos concives noſtros iterum iterumque obſecratos cupimus, ut ne præcipitent ſententiam, & ne lectis quidem aut auditis argumentis noſtris vim patriæ hiſtoriæ inferri credant. Legant atque expendant ſingula in robur allata monumenta, atque demum judicium ferre, adverſa ſcribere, aut noſtra infirmare liberum cuique eſto. Non ſibi perſuadeant ea mera eſſe oracula, quæ ab Hagecio, remotiſſimo ab his ſæculis, ſcripto conſignata ſunt, non deputent meras veteres verasque traditiones eſſe, quasquas demum in poſteriorum noſtrorum libris legunt. Plurimis locis ejusmodi traditionum principia & authores detegimus, quæ ſi majorem duobus ſæculis ætatem ferunt, ſane a Dalemilo aut Pulkava ſæculi XIV. ſcriptoribus originem trahunt, nec aliunde quam vulgi rumuſculis, ſiniſtra veterum intellectione, aut interpretatione potiſſimum prognatæ,

quæ nempe seu authorum nova atque nova proferre contendentium cupiditati, seu jactantiæ, seu adulationi principium suum debent, nec alio præsidio munitæ sunt, quam quod seu scriptæ seu prelo subjectæ temporum cursu non tam jure, quam vi & casu civitatem in re historica obtinuisse censeantur.

Non vero id fatum unius soliusque historiæ Bojemæ omnes pene gentium Annales eam vicem experti, a qua macula ne ipsa quidem Ecclesiastica historia immunis perstitit, dum demum inventi quique viri eruditione summum conspicui, qui subleſta quæque velut totidem steriles frutices a cetero fructuoso stipite resecuerunt, qui narrationes singulas suis doctissimis criteriis tanquam triticum a palea operosissime perpurgarunt. *Maximum esse fabularum in historia numerum* (inquit author recens) (c) *& quod de Herodoto patre historiarum & Theopompo dixit olim Cicero de leg. l. 1. n. 5. innumerabiles esse apud eos fabulas, idem de plurimis valere historicis, nemo, qui solum a limine salutavit historiam, ignoraverit. Hinc simul ac enatæ sunt bonæ literæ, & studiis quoque historicis nova lux affulgere cœpit, exstiterunt etiam viri doctissimi, qui in resecandis ab historia fabulis operam haud perfunctoriam eamque feliciter posuerunt.* Quantam cumprimis historiæ calamitatem sola unaque adulatio intulerit, libet audire Joannem Georgium Eccardum lamentantem: (d) *Quique, ut dominis suis gratiores essent, gloriæ magis, quam veritati litabant. Hinc quilibet eorum dominum suum a celeberrimis, quos in patria ejus, aut etiam extra illam detegere poterat, heroibus audacter deducebat nullo testium examine præmisso, nulla aut exigua temporis*

(c) *In Comment. de Criterio fabularum c. 1. §. 1.* (d) *Eccardus in præfat. famil. Habsburg.*

alia-

aliarumque circumſtantiarum habita ratione. Ubi deerant perſonæ, ad fictiones refugium erat. Hæc vero commenta ut primum locum in hiſtoriis patriis obtinere viſa, tanta ſubito contumacia eum tueri auſa, ut familiæ quæquæ calumniam ſibi inferri autumarent, ſi quis adverſum calamum ſtringere attentaſſet. Quo fato plane accidit, ut pari jure, fide atque authoritate cum ceteris veris ſincerisque hiſtoriis intolerantiſſime gloriari occiperent. Quantæ igitur difficultatis eſſet fabulas ejusmodi hiſtoriarum velamine tectas a veris hiſtoriis diſcernere atque diſpeſcere, non obſcure innuit Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, dum ita ſcribit: (c) *Res non raro confictæ fabularum abolito nomine tranſeunt in hiſtoriam, ut opus ſit magno cribrario, qui magno labore falſa & fabuloſa ſegreget ab hiſtoriis.* Quod autem hactenus in hiſtoria noſtra patria tot fabulæ, tot vetuſtatis larvam mentitæ traditiones, tot adulatorum palpi, tot novitatis ſtudia nomen hiſtoriarum apud facile credulos retinuerint, haud alia verior cauſa occurrit, quam quod hucusque nemini noſtrorum Annales patrios ad ſeverius examen, legesque ſinceræ critices exigere libuerit, quam aleam ſi ii prius ſubiiſſent, næ iſta omnia pridem fide ac poſſeſſione ſua deturbata cognoſceremus. Et ſane rei criticæ ſtudio quotidie magis magisque efflorescente experientur concives mei poſterioribus temporibus longe me ipſo ſeveriores cenſores, qui etiam eorum plurima, quæ in medio relinquo, ſuis momentis in omnem partem examinaturi, & cenſoria virgula acerrime ſint caſtigaturi. Atque hæc ſunt, quæ de argumento præſentis operis animadvertenda duxi.

(c) *Baron. in Annal. Eccleſ. ad An.* 853.

Jam

Jam exſpectabit procul dubio eruditus lector, ut, quemadmodum Parte II. fecimus, huic præfationi vindicias contra obtrectationes, ac cumprimis reflexionem A. R. D. Caroli Krziz ſubjungamus. Summum quidem jus nobis competeret authoris iſtius nusquam a nobis læſi, aut injuria aliqua provocati aculeos, quos intemperantiſſime plurib⁹ locis in nos ſcriptaque noſtra exeruit, pro merito probe obtundere. Nec magni negotii res futura eſſet argumenta illius philoſophice magis quam hiſtorice deducta, meris pene conjecturis, ariolandi licentia, fallacibusque principiis innixa, tum tumultuaria nec ſatis meditata operum noſtrorum lectione profecta convellere, & uno veluti flatu diſſipare. Facillimi inquam vindiciæ hæ eſſent negotii, præſertim poſtquam duæ pereruditæ apologiæ ſententiæ, operum, nominisque noſtri vindices acerrimo ſtylo ſcriptæ ad nos ultro, mox a publicato Krzizii opuſculo, miſſæ ſunt. At plures graves cauſæ perſuadent ſilentio & æquanimitate has obtrectationes eſſe diſſimulandas. Quare nonniſi ad annum 904. p. 382. tanquam aliud acturi ſenſa noſtra breviter explicavimus, animum inter hæc illo eleganti ſapientiſſimoque Divi Cypriani dicto obfirmantes: *Ut laudares, non amplexeram, ut ne mihi obtrectares, religio, æquitas, decorum præcipiebat. Cum tamen obtrectaſti, vide, ne amplius de tua, quam mea exiſtimatione detraxeris. Ego injuriam, ego invidiam ferre didici.* Imo etiam opto, ut quantum poſthac noſtro, tantum aliorum calamis aculeisque Krzizius intactus maneat. Vale benevole lector, & ſtudiis noſtris, quod facis, porro favere perge; ſtimuli hoc nobis inſtar erit, alacrius hos Annales proſequendi.

AN-



ANNUS 852.

Condicto die ſacratior Procerum ſenatus cum ceteris magiſtratibus omnique nobilitatis multitudine convenit in caſtrum Wiſſehrad, Neklanumque præconum voce Principem proclamari fecit. (a) Nec mora inaugurationi data initia: ducalibus indutus veſtimentis Libuſſæ aureæ imponitur ſellæ, veneranda Przemysli caput redimitur mitra, omnisque circumfuſus populus, quam contento clamore potuit, pronunciavit: NEKLAN DUX, NEKLAN DUX NOSTER PERENNET. *Neklan inauguratur.* Hos inter plauſus nemo non ſubfiliebat, nemo non cervicem caſſide, tutuloque nudabat, nemo non adgeniculatus Principem ſalutabat. Seniores populi ceterorum nomine ſacramenta dicebant. Ab his ceremoniis eodem ornatu fulgidus, fauſtasque inter acclamationes in penetralia caſtri Wiſſehradenſis deductus eſt. Alter cum illuxit dies, data ex voluntate ſenatus uxor Ponislawka filia Pikoli de Wolſſinie (b) Virgo quantum forma, tantum animi dotibus ce- *Ponislawka Neklani uxor.*

teris omnibus eminentior. Dies nuptiales solitis epulis delectamentisque per quatriduum celebrati, tum datis in manus Neklani imperii gubernaculis (c) ad sua quisque dilapsus est.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLII.

LEONIS IV. PAPÆ 6. LOTHARII IMPER. 13. NEKLANI 1.

Hofman. Chronic. Boh. c. 11. apud Hier. Pez. T. I.

(a) Hofmannus, qui hoc loco Dalemilum e Bohemico ad verbum prope germanice reddidit, etymologiam nominis Neklan his verbis refert: Nach Krzieſemiſſl ward ein Fürſt, der was genannt Neklan klueger Synnen, wehrhaft, darumb ward er auch Neklan genannt, das iſt teutſch ungeſtochen. Wan er in kein Streit, noch Abentheuer nie kam, und darumb ward er auch nie von dem Pferde geſtochen, das hielten ihme viele Leute für eine Kluegheit. Quanquam hæc non tam affirmative, quam opinative Dalemilus referat. Pulkawa vero ait: *Nomen Neklan non punitus interpretatur.* Aliam etymologiam etiam dat Dubravius: *Neklan*, inquit, *Boemis est vir imbellis, & ad feriendum hebes, ut cuneus esse solet, qui aciem gerit obtusam, & ad findenda ligna ineptam.* Ridiculum Schleinicii figmentum de nomine Neklan jam supra retulimus, quo loco simul exposuimus, quæ nominis nobis videatur derivatio verosimilior.

Dalemil. hist. Bolesl. c. 17. Dubrav. hist. Boh. l. 3. Schleinicius in Vandalo- Bob. c. 17. Mſ.

(b) Hujus nominis plura supersunt loca per regiones Bohemiæ; quem horum Hayecius intenderit, tectum.

Weleslav. in Geneal. Duc. Boh. Stransky Reip. Boh. c. 8. Balbin. Dec. 1. l. 7. c. 10. Schleinic. Mſ. Vandalo-Boh. c. 17.

(c) Weleslavinus, Stransky, & Balbinus ajunt Neklanum duodecimo ætatis anno orbatum patre, Wratislaumque Zatecensem Principem ei tutorem datum, qui ejus nomine, dum ad legitimos regno annos pertingeret, Boemiæ habenas tractaret. Nova prorsus de hoc Neklano est Schleinicii sententia, qui eum alio nomine *Czechum*, seu *Lechum* appellatum, eundemque prorsus esse, qui Caroli M. bello Bohemico occubuit, contendit, a quo denique postea omnes Bohemi nomen Czechorum assumserint; quod non sine stomacho refellit Balbi-

binus. Idem contra præsentem Chronologiam Hagecii his verbis invehitur: *Neklani Principatus (ut meliores Scriptores consentiunt) in Caroli M. tempora incidit, unde Chronologia Hagecii prorsus corruit, qui Neklanum anno 829. natum, & An. 852. Principem nominatum affirmat: Nam si Neklan, ut ex Germanicis etium Scriptoribus probat Stransky, cum Carolo M. bellum gessit (quod bellum consensu omnium, qui Caroli M. vitam & gesta scripserunt circa annum 789. gestum est) qua ratione cum nondum natus esset, bellum gerere potuisset? quomodo Hostivitus Neklani filius cum Ludovico Pio An. 843. Francofurti pacem facere?* Hactenus Balbinus. At magnam rem præstitisset Balbinus, si ad hanc rem, quam impugnat, eorum Scriptorum Germanorum, quos secutum ait Weleslavinum, authoritatem allegasset, profecto si Diogenis lucernam accendisset, inquisivissetque, nuspiam in Germanis vetustis nomen seu *Neklani* seu *Hostiviti* reperisset. Non propugno Hagecii Chronologiam, quæ tam incerta est ac Weleslavini, Stransky, ac ipsiusmet Balbini, at id certum est: defixis aliis atque aliis epochis initiorum Czechiæ, necesse esse, ut alii atque alii Duces ex nostris in tempora Caroli M. incidant. *Balbin. Dec. 1. l. 2. c. 17. & seqq. Idem Dec. 1. l. 3. c. 21. §. 2.*

PRÆTERMISSA.

Tacentibus hoc anno Annalibus Francofuldensibus aliisque de expeditione aliqua contra Slavos suscepta Marianus Scotus inquit: *Ludovicus filius Ludovici Pannoniam subegit & Bohemos domum rediens cremavit.* At verba hæc illis respondent, quæ Chronicon Hildesheimense, Quedlinburgense, Herveldense, & Schafnaburgensis ad annum 846. referunt, ut testatum fiat seu Marianum Scotum ipsum, seu librarium perperam hæc ad annum præsentem rejecisse, quæ huc non pertinere jam quoque adnotavit Schminkius. Ceterum Ludovici negotia hoc anno copiose per varia tempora expedierunt Annales Francofuldenses. Inter cetera hæc memorant in synodo Moguntiæ celebrata: *Rex vero cum principibus & præfectis provinciarum publicis causis litibusque componendis insistens, postquam synodalia eorum decreta suo judicio comprobavit, & legationes Bulgarorum, Sclavorumque audivit & absolvit, Bajoariam reversus est.* An has inter Sclavorum legationes etiam aliqua Boemorum fuerit, nuspiam proditum. *Schmink. ad Goldast. l. 2. c. 2. §. 18. Annal. Francofuld. ad h. a.*

Hoc anno, imo etiam verisimilius uno alterove consequente superfuisse Prinninam rursum ex Anonymo coævo cognoscimus. Nam is post illam anno 850. a Luitpramo dedicatam Ecclesiam ita loquitur: *Anonym. de Convers. Boj. & Carentan.*

Transactis itaque fere duorum, aut trium annorum spatiis ad Salapurgin consecravit (Luitpramus) *in honore S. Rudberti Ecclesiam, quam Prinnina cum omni supra posito tradidit Deo & S. Petro, atque S. Rudberto perpetuo in usum fructuarium viris Dei Salzburgensium habendi. Postmodum vero roganti Prinninæ misit Luitpramus Archi-Episcopus magistros de Salzburg murarios & pictores, fabros, & lignarios, qui juxta civitatem Prinninæ honorabilem Ecclesiam instruxerunt, quam ipse Luitpramus aedificari fecit, officiumque Ecclesiasticum ibidem colere peregit. In qua Ecclesia Adrianus modo humatus pausat. Item in eadem civitate Ecclesia S. Joannis Baptistæ constat dedicata, & foris civitatem in Dudlepin, in Usutim, ad Busiviha, ad Bettobiam, ad Stipilipereh, ad Lindolves-Chirchen, ad Risi, ad Wicidberes-Chirchen, ad Isungrimes-Chirchen, ad B. Chirchen, ad V. Basilicas,* (quibus vocibus nonnulli contendunt designari *quinque Ecclesias*, & Episcopatum postea isthic *quinque Ecclesiensem* erectum) *temporibus Luitprami Ecclesiæ dedicatæ sunt, & ad Otachers-Chirchen, & ad Talprumes-Chirchen, ceterisque locis, ubi Privinna* (id est Primo) *& sui voluerunt populi. Quæ omnes temporibus Privinnæ constructæ sunt, & consecratæ a Præsulibus Juvavensium.* Hactenus Anonymus, cujus verba hic eam ob rem protulimus, ut appareat frustra conniſum Stredovskium, cum istorum pleraque historiæ Moraviæ accommodare studuit; verosimillime hac in re secutus Lazium, isthuncque exscribentem Bollandum, qui autumavere Brynam seu Brunam Moraviæ urbem ab eo appellatam. Clare enim liquet authorem de Carinthiæ hodiernique Archi-Episcopatus Salisburgensis, eique finitimis regionibus loqui. Liquet porro ex eodem Anonymo: quantum Prinnina hic a Savo usque Juvavium Ludovici Germaniæ Regis benficio terras suas ampliaverit. Ceterum proprietates suas ad Nitriam trans Danubium hucusque conservasse videtur, cum posterius tandem a Moravis occisus tradatur ab eodem Anonymo.

Stredovsky Sac. Mor. hist. l. 1. c. 12. Ad V. Febr. §. 6. p. 700.

++++++++++++++++++++o++++++++++++++++

ANNUS 853.

Curimium fortuito incendio perit.

Civitas Kaurzim hujus sæculi anno in fumum, un de nomen traxisse supra innuimus, abiit, non do mibus modo, quotquot erant, sed ipsis etiam pc moeriis, turribusque, & vallorum munitionibus fortuito i

in-

inteſtino igni ad pilum depaſtis. Doliſus ejus loci Princeps nulli pepercit operæ, quo minus ex cineribus ſuis tantæ vetuſtatis memoria reſurgeret; alio quippe, viciniſſimoque loco urbem novam condere, eamque firmo & durabili muro circumducere cœpit; atque ut rerum tam præſentium, quam maxime conſequentium eventus provide ſapienterque circumſpiciebat, invitavit omnes ſibi clientelæ officiis obnoxios, ad perficiendam hanc urbem promtam ſedulamque conferrent operam, dato ſimul imperio: ut nomen *Kaurzim* antiquaretur, novaque moles a filio ſuo *Licz* nomen *Liczko* deinceps gereret. (a) „ Nolim, inquit, fatale hoc „ nobis amplius nomen ſit, manufactumque meum prioris „ ritu ſumet. „ Sed colluvione male conflatæ plebis, civiumque tum inter ſe pugnantibus ſtudiis, tum ſomnolentia adeo frigide procedebat opus, ut nunquam impetrare poſſet aut Doliſus ipſe, aut poſt eum filius Zlicz, quo urbs foſſa muroque clauderetur. Nihilo ſecius ſeu Kurimii fato, uti nempe vetuſta quæque firmius mortalium animis inhærent, ſeu pervicacia populi, recens oppidum apud plerosque veteris appellationem retinuit, aliis omnino novo *Liczko* nomine id impertientibus.

In alium locum transfertur.

Exeunte hoc eodem anno Ponislawka comtulum infantem puerum in lucem edidit felici partu. Is a conſalutatione hoſpitum, quos gratulatum de puero, atque ad natales epulas venientes cum multa benevolentiæ ſignificatione pater acceperat, *Hoſtiviti* nomen traxit. (b)

Naſcitur Neklano filius Hoſtivitus.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLIII.

LEONIS IV. PAPÆ 7. LOTHARII IMP. 14. NEKLANI 2.

Dalemil. hist. Boleslav. c. 77. (a) Contra Dalemilus in sua historja Boleslaviensi *Liczko* antiquius autumat nomine Kurimii, quod demum sæculo primum XIII. enatum affirmat; at vero civitatis Kurim jam habetur memoria in diplomate Boleslai Pii Cœnobio Breunoviensi ordinis S. Benedicti anno 993. dato, in quo hæc leguntur: *Super hæc adposui decimum forum, decimamque denarium ex omni judicio in his civitatibus, scilicet Nazlanem, Plizeni, Lutonericih, Churimi, Chrudimi.*

(b) Hagecium, aut alium ipso superiorem ex ipsa nominis etymologia hæc commentum fuisse tacentibus veteribus omnibus satis testatum est. Ceterum apud vetustiores omnes is Gostivith audit. Si veram priscam connotationem Slavicam attendamus, nomen istud concinnius *exterorum, seu alienigenarum victorem* connotabit. *Goozt* enim hospitem, & alienigenam, *Vith* victorem militem significabat, quæ vocabula hodiedum apud Dalmatas obtinent, & apud nos Witezstwo victoriam denotans, hodiedum perstat. *Lodereker in Vocab. septil.*

P-RÆTERMISSA.

Baron. histor. Eccles. ad h. a. I. Annales Bertiniani hoc anno Bulgaros cum Slavis adversus Ludovicum Germaniæ Regem arma prehendisse memorant his verbis: *Bulgari sociatis sibi Sclavis, & ut fertur a nostris muneribus invitati adversus Ludovicum Germaniæ Regem acriter permoventur: sed domino pugnante vincuntur.* Bellumne istud cladesque ad Moravos seu Boemos Slavos spectaverit, nihil in veteribus proditum. At cum passim Moravos Slavorum nomine indigitent Annales hi, ut eos legenti propalam est, Rastizium ejusque gentem ab hoc tumultu haud fuisse immunes autumo.

II. Ad hunc annum prætereunda non est *Jounnæ Papissæ* decantata fabula, quæ quanquam ad historiam Bohemiæ pertinere non videatur, tamen ex infra dicendis apparebit, nos ejus memoriam, ad detergendam ab homine Bohemo & patria maculam, non inconcinne

hic

hic attuliſſe. Et quidem ut rem ab ovo repetamus ejusque fabulæ initia, incrementa, interitumque perſequamur, longioribus nonnihil eſſe libet: Hoc anno Baronius ex Chronico Mariani Scoti profert: *Anno octingenteſimo quinquageſimo tertio Leo Papa obiit Kalend. Auguſti. Huic ſucceſſit Joanna Papiſſa mulier annis duobus, menſibus quinque, diebus quatuor.* Ad h. a. E quo loco Eruditiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum pater Baronius argumentatur: Marianum Scotum primum authorem eſſe inſulſæ hujus & jam tot ſæculis celebratæ fabulæ de Joanna Papiſſa hoc vel ſolo argumento, quod neminem eo vetuſtiorem rei hujus aſſertorem reperit; e Mariano vero Scoto eandem fabulam deſumſiſſe ac propagaſſe exiſtimat Sigebertum Gemblacenſem. Dein armis maxime Papirii Maſonis Galli, & Florimundi de Remundo ſic conficit monſtrum iſtud, ut plane appareat putidum, ineptumque commentum eſſe, & vel omni veriſimilitudine deſtitutum. Baronii ſolidiſſima argumenta hic ſub incudem mittere, & longum, & extra hiſtoriæ noſtræ ordinem, & nec jam operæ pretium cenſemus; quandoquidem vel inter ipſos heterodoxos hodie nemo eruditior reperitur, qui narrationem hanc non inter nugas & deliramenta imperitorum reponat, cui David Blondellus vir cumprimis doctus, vel ipſe a ſacris noſtris alienus, inſigni apparatu funus duxit jam ſuperiore ſæculo. Scribit tamem Godefridus Guilielmus Leibnitius in Tractatu ſuo: *Flores ſparſi in tumulum Papiſſæ* nuper vulgato repertum non pridem adhuc quendam celebrem inter ſuæ ſectæ homines Theologum, qui eam e tumulo reſuſcitare faventibus haud paucis conatus ſit, atque proinde, ut eam ad tumulum, quem ei pridem Blondellus adornaverat, merito pertinere oſtenderet, *Flores* hos ſuper ejus tumulum ſparſit, invictiſſimisque argumentis, etiam typo prolato ſtercorariæ illius ſellæ, & duarum reliquarum oſtendit: *Illuſtrem hanc mulierem*, ut inquit, *ad Poetas, non hiſtoricos pertinere, cui in juſto temporum ordine nullum locum relinquat ſeries rerum perſonarumque.* Sed ut ad authorem hujus fabulæ redeamus, deprehendere Scriptores quique clariſſimi Mariano Scoto, ipſique Sigeberto impingi calumniam, cum hujuſce fabulæ primi prolatores aſſeruntur, quod ſinceriores, vetuſtioresque utriusque hujus authoris Mſſ. Codices penitus hac relatione *Joannæ Papiſſæ* careant. Suſpicio igitur, plurimorumque opinio in *Martinum Polonum* dictum recidit, quaſi is primus hujus fabulæ architectus eſſet. Argumentum erat: quod Ptolemæus de Luca ordinis Prædicatorum circa annum 1342. vivens in ſua hiſtoria Eccleſiaſtica hæc ſcribat: *Omnes quos legi, præter Martinum* (ſcilicet Polonum) *tradunt poſt Leonem IV. fuiſ-*

Blondel. Tr. contra fab. Jo. an. Pap. Bibliotb. hiſt. Gœtting. Nū. VI. p. 297.

Ptolem. in hiſt. Eccl. l. 16. c. 8.

fuisse Benedictum III. Martinus autem Polonus ponit Joannem Anglicum VIII. Cujus Ptolemæi de Lucæ testimonio tragula hæc injecta est Martino Polono, ut is passim faber hujus fabulæ reputaretur, quem etiam post Nicolaum Serrarium hac sola Ptolemæi de Luca relatione nixus Mabillonius ejus authorem fecit. Verum quoniam Martinus Polonus de Regno Bohemiæ oriundus fuit, multisque titulis ad gentem nostram spectat, ut infra videbimus, non indignum mihi visum est a gentis nostræ homine, viroque cumprimis pio, nec sæculo illo indocto injuriam hanc breviter detergere, & maxime quidem armis Leonis Alatii, Lambecii, & Leibnitii. Quod ad Leonem Alatium primum Martini Poloni vindicem attinet, is his verbis eum purgat: *Unus omnium reliquus erat Martinus Polonus solus commenti hujusce author, ideoque a pluribus Scriptoribus male habitus, etsi immerito. Chronicon ejus ab aliis pessime corruptum fuisse olim jam deprehenderat Suffridus Petrus.* - - - Dein narrat Chronicon Martini Poloni Mſ. inter libros ab Episcopo Lollino summo Pontifici Urbano legatos exstitisse, quod is Bibliothecæ Vaticanæ asservandum dederat. Codex *erat ille*, inquit, *antiquissimus omnium, qui in dicta Bibliotheca antea erant, charactere non ineleganti, multis tamen in locis propter vetustatem visum fugiente. In eo historia Pontificum dextra, læva Imperatorum ita interstinctæ legebantur, ut quid quoque anno Pontifices, quid Imperatores, quid exteri egissent, unico aspectu poneretur ob oculos. Post præfationem a natali Christi ad sua usque tempora historiam prosequitur. In eo nihil de quatuor majoribus regnis, urbis Romanæ exordio, nihil de urbis portis, plateis, templis, regimine aliisque fabulamentis, quibus Chronicon illud male audiit, pessimque dederat authoris nomen, sed omnia plana & recta. Ex quo manifestum est: CHRONICA, quæ sub MARTINI nomine vel typis, vel scripto circumferuntur, ab integritatis suæ gradu aliorum imperitia vel negligentia, utinam non malevolentia, deturbata fuisse. Unusquisque enim, quæ ipse digna memoria judicabat, addidit; erasitque, quæ sibi indigna lectu videbantur. In integerrimo itaque hoc exemplari post vitam LEONIS IV. nulla sit JOANNÆ PAPISSÆ mentio neque ex fama aliorum, neque in margine, eadem vel aliena manuscripta. Etsi totum perlegeris, nullum de hac re verbum invenies, nec aliorum industria quidquam erasum, quod e serie rerum, & pagellæ tractu clarissimum est; cum Leonis vita in sua pagina non finiatur, sed alterius sequentis superiorem partem occupet. Post quam immediate BENEDICTUS III. patria Romanus sequitur, & deinceps NICOLAUS I. E quibus jam evidens est totum hoc ab inimicis Martiniano Chronico fuisse innexum, tantique Codicis ob levi suffultum patrocinio menducium cadere, quod non MARTINUM, sed alia ve-*

Mabillon. in Mus. Ital. T. I. P. I. p. 27.

Leo Alatius in confut. fabul. de Joanna Papissa p. 416. usque 418.

veteratores (quorum nulla fides esse debet) agnoscit. Ad quæ Alatii verba hæc subjungit Lambecius: *Cum igitur Alatius ob unum illum Mſ. Codicem adeo exultet, multo magis etiam gratulandum est Augustissimæ Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensi, utpote in qua inter octo Chronici Martiniani Poloni antiquos Codices Mſ. sunt quatuor optimæ notæ ac fidei, qui tam in margine, quam contextu ipso omni prorsus carent JOANNÆ PAPISSÆ indicio ac vestigio.* Et dein singulorum horum Codicum forma, contextu, principio ac fine recensitis, subnectit: *Erctus ergo ac munitus fide & authoritate jam memoratorum quatuor Codicum Mſſ. incorruptorum Augusti. Bibliothecæ Cæsareæ, & congruentia eorundem tam cum Codice Mſ. Vaticano a Leone Alatio laudato, quam cum altero illo Codice, ex quo Joannis Fabricii cognomento Cæsaris editio impressa Colonienſis depromta est, indubitate & constanter affirmo MARTINUM POLONUM falso haberi pro authore & approbatore absurdissimæ fabulæ de Joanna Papissa, & Chronicon ejus hac labe ab initio carens nonnisi aliquanto post ejus mortem partim malitia falsariorum hæreticorum, partim aut nimia credulitate imperitorum & simplicium quorundam descriptorum commento adeo infami, & injurioso inquinatum ac contaminatum esse.* Quæ gravissima eruditissimi viri Lambecii verba quanquam sat superque videri possint ad omnem suspicionem a Martino nostro propellendam, tamen majoris firmamenti ergo adjicere liceat, etiam Kulpisium in volumine rerum Germanicarum in recensione *Chronologiæ Martini Poloni* ultro profiteri fabulam hanc in eo Mſ. e quo suam editionem adornaverat, non reperiri. Mabillonius quamquam, ut supra innuimus, Martino Polono hujus fabulæ originem adscripserit, tamen alio loco fatetur exemplaria plura carere hoc commento, sic enim ille: „Fabulam de Joanna Papissa plerique *Martino Polono* tribuunt, tametsi in nonnullis ejus exemplaribus, quale est unum apud clarissimum Abbatem Franciscum de Campis, nihil simile habetur.„ Memoravi jam sub annum 644. in manus meas pertigisse Mſ. Codicem, quo præter Boguphali Chronicon Martini Poloni continetur. In eo quoque inter Leonem & Benedictum nemo medius Joannes interponitur; at in margine manu sæculi XVI. & quidem succo cerasino, hæc adscripta reperio verba hominis, nescio, cujus imperitissimi a sacrisque nostris alienissimi. *Monachus hic scriba fuit, turpitudinem suorum Patrum suppressit, omisit Joannam Papissam, quam habent alia Martiniana Chronica.* Chronicon istud Martini in vernaculam nostram traductum etiam passim prostat typis excusum, in quo hæc quidem fabula refertur, sed quid mirum, quandoquidem Joannes Hussus eandem in libro suo de Ecclesia docuit, nec incognitum sit

Lambec. Bibl. Vindob. l. 2. c. 8. p. 863.

Idem l. l. p. 868.

Mabillon. in Actis SS. Benedicti sæc. VI. P. 2. Præfat.

Joan. Huss. de Eccl. c. 8. & 13.

Regnum noſtrum Huſſitarum & Wicleffiſtarum ſecta a ſæculi pene XV. exordio fœdatum fuiſſe, ut fortaſſis nemo aberraverit, qui hujus fabulæ initia ſeu Wicleffo, ſeu Huſſo, ſeu certe eorum diſcipulis adſcripſerit. Exſtat etiam in Bibliotheca Metropolitana tam latinum, quam Bohemicum Mſ. Chronicon ejusdem Martini Poloni, quod cum inſpicere mihi non licuerit, fabulamne hanc contineat, an non, quod affirmem, aut negem, non habeo. Ceterum plura de hac fabula videri poſſunt apud Pagium ad hunc annum, Lambecium, Alatium, Leibnitium; aliosque laudatos ſupra authores.

Sed jam reſtat, ut oſtendamus, qua ratione MARTINUS POLONUS ad gentem noſtram pertineat. De ejus patria varii varie ſcripſere. Alii Italum, alii Scotum faciunt, quorum in numero ſunt Platina & Volaterranus, quique eos ſecuti; at tres Codices Mſſ. a Lambecio l. 2. c. 8. relati litem definiunt, dum ipſiusmet Martini Poloni verba producunt: *Ego frater Martinus ordinis Prædicatorum Domini Papæ Pœnitentiarius & Capellanus de Regno Bohemiæ oriundus, Patria Opavienſis.* Hinc recte Lambecius ex urbe ſuperioris Sileſiæ, quæ nunc vulgo *Troppau* audit, oriundum dicit. Ex his vero natalis ſui ſoli indiciis eruimus; quare paſſim Martinus noſter *Polonus* audierit. Sileſiæ enim tam late ut hodie ſumptæ nomen Martini ævo necdum uſitatum erat, pluribus Ducibus adhuc has regiones tenentibus, paſſimque Poloniæ nomine tum veniebat, non quidem cauſam ob aliam, quam quod plerique Duces Sileſiæ ſeu de ſtirpe Ducum Poloniæ, ſeu eorum feudatarii fuerint; quare etiam adhuc Carolus IV. aliaque hujus ætatis diplomata Sileſiam non alio nomine, quam Poloniæ indigitant. Accidit autem plane vivente Martino, ut Miecislaus Ratiborienſis & Opavienſis Dux ſine herede decederet, Przemislaumque Ottocarum Regem Bohemiæ heredem teſtamento nuncuparet, qui præter moram poſſeſſionem hujus Ducatus, translato illuc præſidiario milite, occupavit, quam ob cauſam demum inter eum & Boleslaum Pudicum Cracovienſem ac Sendomirienſem Ducem magnæ exortæ lites, qui poſterior ducatus hos duos ſibi vi ereptos querebatur; ſed ob impares vires cedere coactus Ottocaro, ut fuſe ex Dlugoſſo, Matth. de Michovia, & Mart. Cromero videri poteſt. Quos Ducatus mox Ottocarus filio ſuo Nicolao ex concubina Auſtriaci Baronis de Kunring nato ceſſit. Quare cum Martino vivente hic Sileſiæ tractus ad Coronam Regni Boemiæ pertinuerit, recte is ſe *de Regno Bohemiæ oriundum* ſcripſit. Sed non hoc ſolo titulo Martinum *noſtrum* dixi, is enim Vetero-Pragæ ad S. Clementem in

Majeſtas Carolina.

Dlugoſſus hiſt. Polon. l. 7. ad An. 1252. & 1273. Miechov. l. 3. c. 54. ad An. 1253. Cromer. l. 9. ad An. 1252.

coe-

cœnobio ordinis Prædicatorum (quod nunc AA. RR. PP. Societatis Jesu est) educatus a pueritia professionem suam emisit, epistola enim, quam subnecto, & quæ supra laudato illius Chronico præmissa est, eum filium hujus cœnobii appellat. Verba hæc sunt.

M. F. Martino F. Hacynthus superhabundantissimam secundum Deum gratiarum actionem.

Exultavimus exultatione inenarrabili, quasi qui exultant in messe, cum D. Petrus Wissegradensis Prepositus nobis a te retulit privilegia nostra a summo Ecclesie capite confirmata. Quanto gaudio exultaverunt fratres, quando intellexerunt, tuam vigilantiam pro sancto Clemente apud sanctissimum Patrem excubare, & te verum illius filium factis probare, non immemor, quia ille tibi olim lac dedit, parvulo panem fregit, tonsuravit, Monachum & sacerdotem fecit, & pro Te cum ceteris fratribus tuis orat. Iste idem D. Prepositus tradidit nobis Chronicam tuam; illius sonus jam exivit in omnem terram, mirantur in ea universi populi sapientiam tuam, & collaudant Deum, quoniam mirabilia in te operari dignatus est. Deus per intercessionem S. Clementis longos faciat vitæ tuæ dies sicut arenam maris, & stellas cœli. Vale. Apud Pragam.

Latoris O, qui spiritualis noster filius est, causam ad Limina Apostolorum adjuva, oro.

Porro cum *Martinum* in numero reperiam *Inquisitorum Pontificiorum*, qui olim ad S. Clementem Vetero-Pragæ a sede Pontificia institui soliti erant, minime dubito eum eundemque *Martinum Polonum* esse, qui hoc munus gesserit, antequam in Pœnitentiarium & Capellanum summi Pontificis assumtus est. Anno demum 1278. a Papa Nicolao III. creatus est Archi-Episcopus Gnesnensis in Polonia, sed cum in itinere constitutus esset, Bononiæ in morbum prolapsus decessit, ibidemque sepultus in templo S. Dominici addita hac monumento inscriptione: HIC JACET FRAT. MARTINUS POLONUS ORD. PRÆD. ARCHI-EPISCOPUS GNESNENSIS. Ut fatetur Bzovius se ipsum hanc inscriptionem vidisse. Quare ex hoc loco merito corrigendi illi, qui eum Archi-Episcopum seu Consentinum, seu Beneventanum fecerunt. *Bzovius in Annal. Eccles. ad An. 1278.*

Sed de his fortaſſis juſto amplius, non injucunda tamen illis, qui Martini hujus luculentiorem notitiam pridem deſiderarunt.

ANNUS 854.

Wlaſtislaus Princeps Luczenſis, armis, quæ ad hunc diem ſeu deſtitutus a ſociis, ſeu Krzezomysli metu preſſerat, nunc demum contemta Neklani non adoleſcentia magis, quam ſomnolentia, omnia vertere furioſus decrevit. Convocatis undequaque clientelis ſuis in mandatis dat: civitatem Zatecium ſolido muniant opere, muros aliaque munimenta circumjiciant, conſilia enim ſua eo ſpectare, ut terminos Ducatus ſui per Bilinenſem, Plſnenſem, & Piſecenſem provincias proferat, atque ſi auſibus his non inclementem fortunam nactus fuerit, etiam Pragam dominatui ſuo adjiciat. Quorum quidem temerariorum moliminum non modo primos aulæ ſuæ adminiſtros hortatores, ſed & adjutores habuit, qui ejus venia omni parte ſolidiſſima caſtra excitata foſſis vallisque cinxerunt, & mœnibus ſaxeis communiverunt. Et quanquam Wlaſtislaus, qui tum ſextum & viceſimum ætatis annum confecerat, cognoſceret Neklani animum nonniſi tranquillitatis ſtudioſum eſſe, nihilque non obmittere ad pacis firmanda fœdera, tamen, quod ferocis eſſet ingenii, & ſe mel alienarum terrarum eum fames corripuiſſet, nonniſi i bella ardebat. Conductis mercede fabris enſium pugionum que ingentem conflari jubet numerum, ſcutariis bis mill clypeos peltasque parandas imperat, nec minor numeri te-

Wlaſtislai Ducis Zatecenſis belli apparatus contra Neklanum.

telorum, galearum, loricarum, ceterique fuit apparatus bellici, quem ad concutiendum meticulosum Principem, (a) evertendamque Wissehradensem dominationem, admirantibus omnibus juvenis industriam, summa celeritate perfici congerique fecit.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLIV.

LEONIS IV. PAPÆ 8. LOTHARII IMP. 15.

NEKLANI 3.

(a) Quemadmodum in reliquis Ethnicis Principibus, de quorum moribus siluere vetustissimi nostri, disconveniunt recentiores, ita alii Neklanum fortem & strenuum, & prudentem, alii contra ignavum, timidum, ac bene fatuum depingunt. Timiditatem ei tam Cosmas, quam ejus amplificator Dalemilus tribuit; ceterum a prudentia, & optimo regiminis genere his verbis commendat: *Cosmas Citron. Boh. l. 1. Dalemil. hist. Bolcslav. c. 17.*

Mudrost mage ne v daten biesse,
Zemy dobrzé oprawowasse,
Ale walky sie welmi basse.

Id est:

Habens prudentiam, minus animo fortis fuit,
Terram bene rexit,
Sed prælia timuit.

PRÆTERMISSA.

Goldastus ex Vignerio refert: Radislaum Ducem Moraviæ & Sclavoniæ, qui contra Ludovicum Germaniæ Regem rebellaverat, susceptо regis titulo, ingenti devictum prælio. Sed prælium hoc & Ludovici contra Rasticem expeditio verosimillime ad annum sequentem pertinent, ut postea videbimus, quandoquidem apud veteres de hujus anni turbis bellicis Moravicis ne mentio quidem. Ceterum quanquam affirmare nolim Rasticem hoc anno Regis titulum ambiisse, tamen id *Goldast. de Reg. Boh. l. 2. c. 8. §. 6. Vigner. summar. hist. Francor. l. 2.*

sequenti, aut proximo factum non incredibile, quandoquidem Chro-
Ad An. 855. nicon Herveldense, Hildeshemense, & Schafnaburgensis jam eum ad annum sequentem Regem appellant.

ANNUS 855.

Anno octingentesimo quinto & quinquagesimo initium bello civili factum. Wlastislaus jam armis virisque potens per eos dies Taynicium, (a) itemque Budinicium (b) Wissehradensis ditionis oppida diripi per suos jussit. Concoquenda fuit miseris oppidanis injuria tam luculenta, quod Neklan dudum licet circumstrepentibus non dubii belli indiciis seu ab armis, seu ab animo imparatus esset.

Initium intestini belli.

Eodem anno Wlastislaus emensis potissimis regionis Bilinensis montibus locum peropportunum condendæ urbi delegit Przibekum inter Mednekumque montes notissimos, descripto urbis ambitu inciſæ, quæ his locis steterant, proceræ arbores, ad ædium structuras apparatæ sunt, non paucæ tamen earum calce ac lapide in altum evectæ. Absolutum opus a suo conditore nomen Wlastislavia impetravit. (c) Hujus urbis vestigia hodie spectantur post Trzebinicium, transiitque illa in cognominem pagum non longe a castro Skalka dissitum. (d)

Wlastislavia urbs conditur.

) o (

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLV.

BENEDICTI III. PAPÆ 1. LUDOVICI II. IMP. 1.

NEKLANI 4.

(a) Plura hodie ſuperſunt oppida vicique Teynicii nomine inſignita, ſed veroſimillime ob vicinam regionem Zatecenſem, alterumque ſubjunctum Budinicium, illud intendit Hagecius, quod hodie in regione Rakonicenſi ſupereſt, *Virgineumque* paſſim appellatur; quod olim Parthenone Virginum Deo conſecratarum nobilitatum fuerit, & hodiedum pertineat ad ejusdem ordinis cœnobium Pragenſe ad S. Agnetem dictum.

(b) Budeniczium in eadem provincia Rakonicenſi ſitum hodie nobilitatis ſede inclytum Wranay inter & Welwarium cubat.

(c) Hujus urbis conditæ meminit Coſmas his verbis: *Hic condidit urbem, quam appellavit nomine ſuo Wlatislau inter duos montes Meduez & Pripek, ſcilicet in confinio duarum provinciarum Belina & Lutomerici, & poſuit in ea viros iniquos, ob inſidias utriusque populi, quia hi adjuvabant partes Boemorum.* Silvius montes vocat *Mednam* & *Pubecham*. Dalemilus inter montem Rzip & Lowozen reponit, ſic verſificans: *Silv. hiſt. Boh. c. 10. Dalemil. hiſt. Boleslav. c. 17.*

Wlaſtiſſlaw ten Braſny dietſky,
Obdrzie na Praſanech dwa boge,
Y ſedie na Wlatiſſlawi neprzatel ſe neboge,
To mieſto on bieſſe vſtawil,
A nad nym twrdy Hrad poſtawil.
Mezy Rzipem a Lowozen to mieſto ſtogieſſe,
A po Bniezy Wlatiſſlaw ſlowieſſe.

Id eſt:

Wlaſtislaus iſte formoſus puer
Obtinuit a Pragenſibus duas victorias,
Et ſedit Wlatislaviæ hoſtem non timens,
Hanc urbem ille condidit
Et ſuper ea firmum caſtrum exſtruxit.

In-

Inter Rzip & Lowozen hæc urbs ſtetit,
Et a Principe Wlatislavia dicta eſt.

(*d*) Pagellus is perſtat etiamnum ipſi deſertæ arci *Skalka* pene adſitus, ut veroſimillime Skalka illum ipſum locum obtineat, quo Dalemilus caſtrum ſuper Wlatislaviam conditum memorat. Ex Coſmæ vero citato loco diſcimus quousque Litomericenſis provincia olim hac parte excurrerit, ſcilicet usque ad pagelli hujus confinia, ut ea inque trans Albim potiſſimum explicata fuerit in terminos ipſos usque Srbiæ, quod etiam ex diplomate Henrici III. Imp. de limitibus Epiſcopatus Pragenſis clarum fit.

PRÆTERMISSA.

Cum Hagecius inteſtinas deprædationes hoc anno commemorat, coæva monumenta nobis bellum a Ludovico intentatum referunt. Sic enim charta judiciaria, ſeu notitia de vineis ad Pauzanam Eccleſiæ Friſingenſi adjudicatis hoc ipſo anno data: *Rex Hludovicus interea ad Epilungun dies quadrageſimales frequentabat, miſit aciem Bajoariorum in Poemanios, quarum Ductor Ernuſt Comes exſtitit, Epiſcopis ſimul comitantibus. Tum demum reverſi cum rumore non minimo, ut moris eſt, confluebant ad Regem.* Quæ charta cum data ſit *ad XVI. Kalend. Aprilis*, eoque anno Paſcha in 7. Aprilis inciderit, plane liquet hanc expeditionem in ipſa quadrageſima contra Boemos ſuſceptam fuiſſe; quod mirandum eo magis, cum eo ævo inter leges Eccleſiaſticas etiam illa fuerit: *Ne quadrageſimæ tempore bellum geratur.* Quare inter ceteras exauctorationis cauſas Ludovico Pio objectas hæc ipſa etiam adfertur: *Quia contra Chriſtianam Religionem - - - in diebus quadrageſimæ expeditionem generalem fieri juſſit.* Niſi malimus dicere: expeditiones has ſolum contra Chriſtianos, non item gentiles prohibitas fuiſſe. Ceterum ex eadem charta non obſcure liquet expeditionem hanc Ludovici contra Boemos irritam cecidiſſe, cum exercitus tam ſubito redierit, & ad XVI. Kalend. Aprilis Epilungum rurſus redux pertigerit cum rumore non minimo. Nam vel is a Boemis repulſus; quod verba *cum rumore non minimo* innuere videntur (medio enim ævo *rumor* pro tumultu & jurgio accipiebatur, ut Duſreſne ſynchronorum monumentorum relatione oſtendit) vel certe ea de cauſa propere viam relegit, quod Raſtices Moraviæ Dux alia parte irrueret, timereturque ei reditum præcludere; quare expeditionem

Apud Meichelbek n. 702.

Acta Exauctorat. Ludov. Pii edit. Pithoeam. p. 328.

Duſreſne Gloſſar. Voc. Rumor.

nem hoc ipſo anno in Raſticem quoque ſuſceptam nos docent Annales Francofuldenſes his verbis: *Rex quoque Hludovicus in Sclavos Margenſes contra Raſticem Ducem eorum ſibi rebellantem parum proſpere ducto exercitu ſine victoria rediit, nisi adversarium firmissimo, ut fertur, vallo munitum ad tempus dimittere, quam militum ſuorum periculoſe pugnando damna ſuſtinere. Magnam tamen provinciæ partem prædis & incendiis vaſtavit exercitus, nec parvam multitudinem hoſtium, caſtra Regis invadere cupientium, usque ad internecionem delevit; ſed non impune, quia poſt reditum Regis Raſtices cum ſuis inſecutus plurima trans Danubium finitimorum loca prædando vaſtavit.* Quæ Marianus Scotus, Chronicon Hildeshemenſe & Herveldenſe item & Schafnaburgenſis hac breviſſima oratione expediunt: *Ludovicus cum magno exercitu perrexit contra Ratzidum Regem Marahenſium.* Jam ut loca hæc aliquantum elucidemus:

Annal. Francofuld. ad h. a.

Ad h. a.

I. Perobſcurum eſt definire, quænam ea Raſticis rebellio fuerit, ut Ludovicus adverſus eum cogeretur arma prehendere. Aut enim is Bohemorum partes tuitus, uti ſupra innuimus, progreſſusque bellicos Ludovici contra gentem noſtram impedivit, aut Raſtices Boemorum, Dalemincionorum, Soraborumque exemplo pariter ſe omnibus Francicis vinculis expedire voluit, quod haud obſcure innuunt Annales Bertiniani, dum ajunt: *Ludovicus Rex Germanorum crebris Sclavorum defectionibus agitatur.* Aut denique, ut Vignerius cum Goldaſto ſentit, quia Regis titulum aſſumſit. Sed omnium veroſimillima mihi cauſa videtur, quam indigitat Anonymus Vetuſtus de Converſ. Boj. & Carentanorum, qui paulo poſt *Privinnam* Ludovici Clientem a Moravis interemtum oſtendit. Et quanquam cædis cauſam nuſpiam prodat, tamen non incredibile a Moravis lividis acceptum oculis Privinnam tam finitimum, quem & vaſallum, & fœderatum, & amicorum Ludovici ſummum non ignorabant; qui, inquam, merito Raſtici timendus erat, ne ſe aliquando Ludovici præſidio Ducatu exueret. Ad fidem igitur proxime accedit: Privinnæ terras trans Danubium & ad hodiernam Nitriam ſitas a Raſtice fuiſſe circa hæc tempora Zuentibaldo traditas, quod facinus rebellionis loco accepit Ludovicus, ut non dubitaret hoc anno ingentem exercitum in Moraviam immittere, ſed prorſus ſiniſtro exitu res ei cecidit, nam Raſtices Danubium transgreſſus ferro & igni omnia vicina vaſtavit loca, atque cum Annales Francofuldenſes fateantur ſine victoria rediiſſe Ludovicum, veroſimillime victum a Moravis legeremus, ſi iis temporibus Boemus Moravuſue Scriptor obtigiſſet.

Vigner. ſummar. hiſtor. Franc. l. 2. Goldaſt. de Reg. Bob. l. 2. c. 8. §. 6.

II. Ab hoc anno, quemadmodum ſuperius innuimus, haud dubie repetendum quoddam initium *Regni Moravici*, quod dein in citeriores Danubii ripas prorogatum ſub Zuentibaldo *Moraviæ Magnæ* nomen, ut id appellat Porphyrogenitus, obtinuit, occupatis enim Privinnæ terris jam Raſtices a Camp fluvio usque ad Gronam flumen per omnem ulteriorem Danubii ripam regiones ſuas explicavit. Nec incredibile, cum hoc anno per Danubium Ludovicum inſecutus, omniaque diripuiſſe ſcribatur ab Annalibus Francofuldenſibus, Raſticem jam ex dextro Danubii littore inque hodiernæ Auſtriæ cisdanubianæ plagis terras aliquas occupaſſe; quam ob cauſam Comites quique Francici ex eadem citeriore ripa Danubii terras, ſeu in beneficium, ſeu in proprietatem habentes a Ludovico ad Raſticis partes acceſſiſſe videntur, quos inter Ratpodus Pannonici limitis Comes; is enim propter infidelitatem hoc ipſo tempore a Ludovico exauctoratus, & proprietatibus ſuis exutus legitur, ſic enim diploma Ludovici datum Cœnobio ſancti Emmerami. *Nos cuidam ex primatibus nomine Radpotto medietatem unius Fiſci, qui vocatur Tullina* (Tulln civitas non longe Vienna remota) *ſitus in regione Pannonia - - - contulimus: ea ratione, ſi fidem ſuam erga nos inviolatam ſervaſſet. Sed quia ipſe a nobis totis viribus ſe alienavit, & fidem atque juſjurandum omni infidelitate fraudavit, placuit ſerenitati noſtræ eandem medietatem memorati fiſci ad S. Emmeramum contradere atque confirmare &c. Cal. Maji anno 27. regni Ludovici ſereniſſimi Regis in orientuli Francia regnantis Indict. VII. actum Franchenfurt palatio regio in Dei nomine feliciter Amen.* Quemadmodum dein anno 861. Hernuſtus, & anno 866. Wernharius Comites propter ejusmodi cauſam publicis honoribus privati referuntur. Raſtices igitur hanc jam terrarum amplitudinem aſſecutus quid mirum ſi Regis titulum ambiit? quem ab hoc ipſo anno jam ei tribuit Marianus Scotus, Chronicon Hildeshemenſe & Herveldenſe, item & Schafnaburgenſis. Quanquam alii, ac ipſi ſummi Pontifices in literis ſuis eum imo & ſucceſſores illius non alio quam *Ducis* nomine impertiant.

Apud Hier. Pez. T. I. Diſſert. 2. p. XXVII.

Annal. Franc. Fuld. ad hos annos.

Aventin. Annal. Boj. l. 4. p. 315.

ANNUS 856.

Neklano, vexatis licet finibus, nihil movente audaciore jam Luczenſes delectu facto armisque junctis in mont

Opu-

Opukow caſtra metati ſunt, tertio abhinc digreſſi die egregiam arcem Paczow (a) ſummis viribus adorti celeriter atque nonniſi mediæ diei opera vi capiunt. Losbudum ejus caſtri præfectum, dynaſtamque in vinculis ad Wlaſtislaum rapiunt, cui homo ferox præter moram oculos erui in mandatis dedit. Ab ea captura exercitum caſtro Zlonicenſi (b) ea ætate a muniminibus commendato admovent, expugnatumque diripiunt, igni ſuccendunt, muros evertunt, valla foſſasque æquant. Boymirus Zlonicenſis ſatrapes ægre Wiſſehradum fuga evaſerat, Neklanoque Luczenſium feroces auſus lamentabili queſtus voce. Sed cum Principi armorum ſtrepitus refugienti omnes bellorum motus eſſent quam maxime exoſi, placuit legatione hoſtis animum tentare, ruptamque amicitiam conciliare inter fratres patrueles. Ad obeundum legatorum munus delecti Newogius, & Loskota homines primarii, eventu profecto triſti. Namque Wlaſtislaus, dirus ille expungendorum oculorum artifex, utrumque legatum coclitem domum remiſit, additis minis, eadem paſſurum, quisquis cum ejusmodi mandatis ad ſe porro adiviſſet. (c)

Wlaſtislaus arces Paczow & Zlonicz eripit.

Wiſſehradenſibus legatis oculos eruit.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLVI.

BENEDICTI III. PAPÆ 2. LUDOVICI II. IMP. 2.
NEKLANI 5.

(a) Hujus nominis in regionibus Zatecenſi provinciæ finitimis nullum reperio ſuperſtitem locum, ut caſtrum hoc inter deperdita referendum ſit. Sæculo quidem adhuc XVI. ſuperfuit

Equeſtris ordinis familia de *Paczow*, & *Paczowsky* dicta; eane vero ab hoc caſtro, an alio hodie ſuperſtite nomen invenerit, nihil hactenus exploratum habeo.

(*b*) Hodie oppidum eſt in Regione Rakonicenſi uno pene lapide Slana diſtans, & veteris arcis ſtructura inclytum ad Comitum Kinskyorum ditiones pertinens.

(*c*) Nimis atroces hic Hagecius genti noſtræ affinxit mores, de quibus apud vetuſtiores nuſpiam memoria. Maxime barbaris gentibus legationum jura ſancte inviolateque culta fuere, ac quandoque nonniſi graviſſimis de cauſis infracta. At præter rem cauſamque aliam legatis viſum eripere, quod legationis vices in negotio conciliandæ pacis ſubeant, omni barbarie fœdius effictum eſt. Attila ut ut efferox a poſteriorum ſæculorum Scriptoribus depingitur, legationis tamen ad ſe miſſæ maximam venerationem habuiſſe adſtruitur, nam legatum Bigilam vitæ ſuæ inſidiantem, atque de hoc auſu convictum ob legationis reverentiam graviori pœna adficere cavit. Univerſam quidem hujus anni narrationem poſteriorum quorumque noſtrorum commentum eſſe, vel id prodit, quod rurſum ne mentio quidem fiat belli Ludovici adverſus gentem noſtram geſti; certe præ illis inteſtinis diſſidiis commemoratione magis digni. De quo jam:

Priſcus de legat.

PRÆTERMISSA.

Advertit Ludovicus operam ſe perdere in reprimendis Moravis, niſi prius Boemos, qui a latere tergoque etiam victori inſiſtere, victoriamque fœdare ac corrumpere poterant, domaret. Contra hos igitur hoc anno adornata expeditio. Rem verbis his narrant Annales Francofuldenſes: *Menſe Auguſto Hludovicus Rex collecto exercitu per Sorabos iter faciens, Ducibusque eorum ſibi conjunctis, Dalmatas prælio ſuperat, acceptisque obſidibus tributarios facit. Inde per Boemanos tranſiens nonnullos ex eorum Ducibus in deditionem accepit. In qua expeditione perierunt Comites Bardo & Erpf cum aliis quam plurimis.* Quæ jam nonnihil rurſum enucleare juvat.

Annal. Fuldenſ. ad h. a.

I. Sorabi hactenus Boemis fœderati anno hoc ex mox allatæ Francofuldenſium Annalium loco vinculum hoc abrupiſſe conjiciuntur cum

cum Ludovici exercitus Soraborum Duces ſibi junxerit. Iſtud vero jam ſecundum certum monumentum: Sorabos tum adhuc gentiles a Chriſtianis Francicis Regibus in armorum ſocietatem acceptos. Quanquam id minime de omnibus, ſed nonnullis tantum Soraborum Ducibus accipiendum ſit, quos inter veroſimillime præcipuus fuit Cziſtiborus, qui demum ſequentibus annis ab iisdem Annalibus appellatur Hludovici fideliſſimus; nam Dalmatæ, qui itidem Sorabicus erant populus, atque ad Sorabiam ſpectabant, iſthic Ludovico adverſati leguntur. Non autem fuere Dalmatæ alii quam *Dalemincii*, Slavice, ut inquit Ditmarus, *Glomaci* appellati, quorum inter Sorabos nominatus erat pagus *Dalemincia*, cujus limites his verbis deſcribit Abbas Gottvicenſis: *Erat Dalemincia major pagus Venedicus, ſeu Sorabicus inter fluvios Albim & Salam. Initium ſumebat a Miſnia fluvio ad Albim, & abhinc a ſiniſtris ad Mildam orientalem ſecus confinia Bohemiæ usque ad fluvium Caminizi, nunc Chemniz, & ab hoc ad Mildam occidentalem deſcendendo usque ad Leiſnig, Mugeln, & Belgern ad Albim protendebatur.* Ea regio a Coſma noſtro adhuc *Srbia* nomine indigitatur, poſterius tandem Miſnia appellata, ut alibi memoravimus. Non ſatis autem mirari potui Clariſſimum Virum Aſſemanum pluribus contendere authorem Annalium Fuldenſium per hos Dalmatas uti & Sorabos intellexiſſe Slavos Illyrici ſeu Dalmatiæ videlicet hodiedum perſtantes Serblos & Chrobatas. Liquet certe ex bellis Ludovici prioribus & ſequentibus annis geſtis non alios eſſe hos Sorabos & Dalmatas, quam Slavos hodiernæ Saxoniæ & Miſniæ, & cum author dicat a Dalmatis Ludovicum per Boemanios tranſiiſſe, plane teſtatum eſt eum Daleminciam Miſniæ intellexiſſe, hæc enim illi contermina; inter alteram vero & Boemiam integra Pannonia & Moravia interjacebat, ita ut Moravos prius edomuiſſe oportuiſſet.

Iidem ad An. 858.

Chron. Gotwic. vocab. Dalemincia.

Kalendaria Eccleſ. Univerſ. T. IV. P. II. c. 1. p. 274. alibique.

II. Ex hoc Annalium loco diſcimus: Daleminciam tum peculiari Duci, aut etiam fortaſſe pluribus paruiſſe, qui longius a Francis remoti, cum hactenus jugum tributi cum reliquis Sorabis non tulerint, hoc anno prælio ſuperati datis obſidibus eidem oneri ſubjecti ſunt. Majus vero aliquid & gravius de Bohemis Ducibus innuere videntur, cum in deditionem acceptos memorant. Nam ut Dufreſne prolatis veteribus monumentis oſtendit deditio paſſim ſervitutem comitem habuit. Sic Gloſſæ Iſidori habent: *Si Barbarus dedat ſe Romanis, deditius eſt.* Papias: *Daticius, dediditius pro filiis datus qui victus hoſti* ſe tradit. Gloſſ. Sangerman. Num. 501. *Hoſtes, qui victi tradunt ſe in ſervitute.* Si

Dufreſne Gloſſar.

autem Francos Scriptores conſulimus, deprehendere licet uſitatum fuiſſe Francis Regibus, ut Principibus ſeu Ducibus aliarum gentium, qui ſe dedebant, *equum* & *arma* darent, quaſi in ſignum, quod dediticii ejus milites fierent, proque Rege Franciæ tanquam capite dimicare tenerentur. Sic Ermoldus Nigellus de Heroldo Daniæ Rege, qui ſe Ludovico dediderat, ſcribit:

Mox quoque Cæſar ovans Franciſco more veterno
Dat ſibi (Heroldo) *equum, nec non, ut ſolet, arma ſimul.*

Ad an. 764. Eadem refert Fredegarii Continuator.

Jam quocunque demum rigore nonnullos Duces Boemiæ Ludovico hoc anno ſubjectos fuiſſe dicamus, vix id quidpiam libertati univerſæ Bohemiæ præjudicavit, quandoquidem vel ipſi fatentur Annales Francofuldenſes, nec omnes, nec univerſam fuiſſe Boemiam, imo *Ad h. a.* Annales Bertiniani de hac deditione altum ſilent, quin potius cladem non modicam Ludovico Germaniæ illatam teſtantur his verbis: *Comites pene omnes ex Regno Karli Regis cum Aquitanis adverſus eum conjurunt, invitantes Ludovicum Regem Germanorum ad ſuum conſilium perficiendum. Qui diutius in expeditione Sclavorum detento, ubi & magnam partem ſui exercitus amiſit, iſti moras illius non ferentes Karlo Regi reconciliantur.* Certe ſi non hoc ipſo, mox anno inſequente, ut poſtea videbitur, jugum hoc, quod quod demum fuerit, rurſum excuſſere, ut vera maneant, quæ Coſmas noſter refert usque ad Henricum III. Boemos nullum prorſus onus, præter tributum annuum tuliſſe.

III. Manifeſte hic locus nos erudit, Boemiam tum adhuc per plures Duces partitam fuiſſe, non ut noſtri paſſim ſentiunt, præterque Pragenſem, Kurimenſem & Zatecenſem admittunt neminem. Nam anno ſequenti alium etiam de nomine relatum cognituri. Cum autem Ludovici exercitus per Miſniam hodiernam irruerit: plane liquet Duces hos tum occidentalis, tum ſeptentrionalis Boemiæ fuiſſe ultra & ad Egram fluvium. Quare hiſtoria Hagecii hujus anni penitus corruit, dum Wlaſtislaum Neklano bellum intentaſſe ſcribit, qui ſi re vera hoc anno Zatecenſibus præfuit, ſat ſuperque cum Ludovici exercitu negotii habuit.

IV. Et quanquam Ludovico fortuna primum faverit, ut nonnullos Duces Bohemos in deditionem acciperet, tamen cum de exitu

aut

aut victoria taceant Annales Francofuldenſes, imo non prætereant Comites *Bardonem* & *Erpf* cum aliis quam plurimis periiſſe in hac expeditione, merito ſuſpicari licet prælii & belli hujus exitum haud ſecus, quam anno ſuperiore aut infeliciter, aut certe non ſatis ſecunde Francis cecidiſſe; præſertim cum anno mox inſequente bellum rurſus inſtauratum viſuri ſimus. Id certe non ſummo dolori non eſſe poteſt hiſtoriæ patriæ amantibus, geſta ſua fataque nonniſi cognoſcere ex Scriptoribus exteris, quos ſi nobis non invidiſſet barbaries illa, literarumque ignoratio, næ fortaſſe præ tot cladibus, tot victorias, triumphosque gentis noſtræ legeremus. Certe non in vanum Poeta Saxo cecinit; *Ad an.* 805.

Natio Sclavorum ſtudio ſatis aſpera belli
Quos Bohemos vocitant.

Quod jam pridem etiam advertit Kranzius in Vandalia ſua, qui minime dubitat Francos in recenſendis gentis noſtræ bellis ſæpe nimium amori popularium ſuorum indulſiſſe.

ANNUS 857.

Cum jam tertius domeſtici tumultus ſe annus circumagit, certatim ſenatus omnis, pars nobilitatis maxima cum civitatum magiſtratibus ad Neklanum queritur deploratque regionis univerſæ incommoda & injurias, quibus Luczenſium malevolentia pulſaretur. Hortantur igitur, „ erigeret jacentem animum, cogeret militem, pararet per „ ocium arma, ne ea ceſſatione hoſtis in rem ſuam utatur, „ ſtare per illius vires, ut Wlaſtislaus tot injuriis dignam „ ultionem ſuppliciumque ferat. Ceterum ſin minus conſi„ liis his vim aliquam ineſſe putet, experturum paulo poſt „ hoſtis vires indies auctas reprimi non amplius poſſe, & „ ſe Wiſſehradi obſeſſum alienique juris factum Principatu

„ ex-

Altera ad Wlaſtislaum irrita legatio.

„ excidiſſe. „ Ad hæc ille conſternatus multum animo, hilaritatem tamen vultu effingebat, pollicitusque eſt adornaturum ſe cum ampliſſimis muneribus legationem, quam confideret finem bello facturam. Videbant cuncti, qui aderant, ea nundinatione neque pacem mercatum iri, & poſſe largitionem in aliud quidvis utilius perdi; ſed cedendum nempe fuit pavori tam contumaci Principis, qui vel belli nomen inſtar cladis duceret. Nominati ſtatim, qui dona ferrent Procerum primi, depromta quoque munera ex Wiſſehradenſi gaza: aurum ad juſti militis pondus libratum, ex Principis equili decem bellatores equi, ex armamentario quinquaginta thoraces picei, totidemque loricæ cataphractæ. Cum hisce rebus profecti ad Wlaſtislaum legati, admiſſique non mediocriter exterriti ſunt, ubi Wlaſtislai ſellæ aureæ inſidentis quaſi fulmineum contemplati ſunt vultum. Preſſo nonnihil terrore legationis munera explicant, ſupplicesque pacem, amicitiæque fœdera expoſcunt. Subticuit ad ea pauliſper Wlaſtislaus, tum vero infit: „ Princeps veſter Ne„ klanus plenus inconſideratiſſimæ ac dementiſſimæ temeritatis „ munera hæc miſit, quæ me non tam placatum, ſed magis „ magisque irritatum reddant. Intelligo ſane, nec omnem „ eam gazam Wiſſehradenſem eſſe, quam hic intueor, nec „ equilis ſui, armamentariique ſummam. Auferte hæc „ Principique veſtro reddite, ſimul ei nomine meo gratiam „ habete, qui tantæ gazæ ſuæ proditione etiam animum „ meum incitaverit amplius, oreximque prolexerit; mone„ te eum iterum atque iterum diligenter, hæc ceteraque

„ om-

„ omnia ſervet, dum ego adſim, mihi ipſe auferam. Vos „ vero (truci fronte voceque iracunda legatos inclamans) „ inquit, curſu, quam poteſtis maximo, hinc feſtinate, niſi „ mavultis in vicem munerum capita in caſtris meis relin- „ quere. „ (a) Nec in perterritis quidquam moræ, collectis illico ſarcinis, nec ſalutato in abitu Duce fugientium ritu periculo ſe eripiunt, Neklanoque legationis ſuæ irritæ plenæque indignitatis ſucceſſum enarrant. Sed tantum abeſt, ut hæc animum ejus ad iracundiam vindictamque provocarent, ut etiam effeminati fractique cordis ſui palam non obſcura vultu ſigna ederet.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLVII.

BENEDICTI III. PAPÆ 3. LUDOVICI II. IMP. 3.

NEKLANI 6.

(a) De univerſis rebus anni hujus uti & annorum priorum nihil Coſmas. De Wratislao, ſeu Wlaſtislao, ut habent Coſmæ emendationes ex codice Dresdenſi locuturus ait: *Nec ſupérfluum eſſe judicamus, quod referente fama audivimus.* Et demum inquit: *His* (Luczanis) *præfuit Dux nomine Wratislau vir bellicoſus in bellis, armis animoſus, ac conſiliis ſupra modum doloſus, ſatisque in præliis felix potuiſſet dici, ſi ſors ſuprema non clauſiſſet eum fine infelici. Namcontra Bohemos frequenter ſuſceperat bellum, & ſemper Marte ſecundo, atque Diis auſpicibus prævaluerat, terramque eorum ſæpe ingreſſus cædibus, incendiis ac rapinis crudeliter devaſtaverat, & ipſos populi primates in tantum præſidiis attenuarat, ut parvo clauſi in oppido, quod dicitur Levigradec, hoſtium incurſiones timerent oppido.* Et denique: *Neclan lepore pavidior, & pardo fuga velocior pugnam imminentem pertimuit, & ficta infirmitate in caſtro ſupradicto delituit.* Hæc verba Coſmæ argumento procul dubio fuere poſteriorибus Scriptoribus, quod ſcenæ cujusdam more deduxerunt, hiſtoriisque peculiaribus mirum quantum auxerunt, quarum ne Dalemilus quidem adhuc, rerum ejusmodi acervator, meminit. *Apud Menken. T. III. Chron. Bob. l. 1.*

PRÆTERMISSA.

Ludovicum hoc anno profecutum esse bellum contra gentem nostram ejusque fœderatos his verbis rursum testantur Annales Francofuldenses: *Otgarius Episcopus*, (videlicet Aichstadiensis) *& Hruodoltus Comes Palatii, & Hernustus filius Hernusti Ducis cum omnibus suis in Boemanos missi civitatem Wiztrachi Ducis ab annis multis rebellem occupaverunt, expulsa ab ea Scala-Jugato* (alii habent Sclavitago) *filio Ducis Wiztrachi, qui tyrannidem tunc in ea exercebat. Quo per fugam lapso, & ad Rasticen se conferente, frater ejus, qui ab eo patria pulsus apud Cziztiborum Sorabum exulabat, ad regem fideliter veniens loco fratris Dux constituitur.* Quem locum jam rursum ex nostris illustremus:

Annal. Francofuld. ad h. a.

Et I. quidem produnt Annales hi Ducem historiis nostris penitus incognitum *Wiztrachum*, duosque ejusdem filios, quorum alter in exilio apud Cziztiborum Soraborum Ducem commorabatur, alter *Scala-Jugatus*, seu *Sclavitagus* appellatus tyrannidem in eadem civitate exercebat. Perobscurum vero, num pater *Wiztrachus* adhuc in vivis fuerit? quod si statuamus, verosimillime admittendum erit: eum præterea alium quempiam finitimum ducatum possedisse. Tam dubium est, quænam hæc civitas, & ducatus iste fuerit: nostri passim Balbinum sequuntur, qui civitatem hanc pro hodierno Austriæ oppido *Weytrach* ad limites Bohemiæ etiamnum perstans sumunt, quod satis vetustum esse innuit Abbas Gottvicensis, cum id in tabula sua medii ævi Geographica Germaniæ nomine *Vitra* adnotavit; opinioni porro huic favere videtur regionis situs, in qua annis superioribus bella gesta constat cum Francis, hic autem Annales civitatem *multis ab annis rebellem* vocent, tum facilis Scala-Jugati ad Rasticem transitus, tum denique, quod jam anno superiore occidentales quosque Duces Bohemiæ ad deditionem Ludovicus redegerit, atque id ipsum e meridionali plaga tentare verosimillime in animum induxerit. Minus verisimilitudinis autem habet, quod ait Joannes Georgius ab Ekhard: *Wiztrachi civitatem Pragam interpretor huic enim urbi adhuc castellum superimminet Wiczerad sive Wizonis vel Wiztrachi arx dictum.* Ex Annalibus enim Francofuldensibus pronius est conjicere *Wiztrachi* nomen Ducis quam civitatis esse, nec recte ea expediti in intima & viscera Boemiæ, quæ Praga occupat, facta asseritur, ex historiæ contextu liquet.

Balbin. Epit. l. 1. c. 10. p. 85.

Rerum Francicar. l. 31. §. 26. p. 457.

II.

II. Duces Bohemiæ his annis diſſidentes ac ſecum diſcordantes fuiſſe ex iis eruitur, quod anno ſuperiore nonnullos eorum Ludovico deditionem facere, hoc anno vero Wiztrachi Ducis civitatem expugnari, Scala-Jugatum deturbari, fratremque ex Francorum arbitrio intrudi ſuſtinuerint. Ex hoc quidem poſteriore loco inferunt nonnulli ſubjectionem, qua obnoxia Ludovico gens noſtra fuerit, ut etiam Duces ab eo deſignatos reciperet. At dicere liceat fratrem Scala-Jugati non tam a Ludovico impoſitum, quam adjutum, ut in priores ſedes ſuas reſtitueretur, & hoc veroſimillime unius anni minus felicibus belli ſucceſſibus adſcribendum eſſe. Verum vix quidem diuturnus fuerit clientis iſtius Francici Ducatus, cum Raſticem eo tempore, ad quem Scala-Jugatus confugerat, armis præpotentem fuiſſe conſtet, nec dubium ſit eum paulo poſt rurſum Ducatui ſuo redditum; quare anno ſequenti rurſum bellum in Raſticem apparatum eſt a Ludovico. Quin annis duobus poſterius Cziztiborium ipſum a Sorabis ſuis interfectum legere eſt ex iisdem Annalibus, non aliam certe ob rem, quam quod Francorum partibus nimium faveret, quorum imperium omnibus Sclavis exoſum erat.

III. Peſſina & Balbinus hunc *Scala-Jugatum* ſeu *Slavitagum*, quemque Aventinus *Schlavitzam* appellat, facit originarium *Slavatarum* apud nos antiquiſſimæ & nominatiſſimæ ſtirpis, fratremque Wlaſtislai Ducis Satecenſis, quem ajunt a Carolomanno Ludovici junioris filio ex Bohemia & Satecio ad Raſticem Moravosque ejectum. Stredovskius id etiam addit præter veterum omnium fidem: Slavatam hunc a Radislao Moraviæ Rege copiarum Ducem, ſupremum Conſiliorum moderatorem conſtitutum, ac Welehradii a SS. Cyrillo & Methudio (hos enim hoc anno jam in Moravia fuiſſe aſſerit) baptiſmi aquis ablutum. Imo *Balbinus* priora tam confidenter adſtruit, ut non dubitet aſſerere: hæc ipſa adferri a coævis & vicinis eorum temporum, & peritiſſimis rerum Germanicarum Scriptoribus ſcilicet Rudolpho in Annalibus Francorum, Sigeberto, aliisque recentioribus. At vero præjactis ſupra Annalium Francofuldenſium locis, quæ paſſim alii Chronographi exſcripſere, palam eſt, quantum ab iis recedat Balbinus, quæ nec Wlaſtislai, nec Zatecii nec quidem Slavatæ cujuſpiam nomen proferunt. Ex *Scala-Jugati* autem ſeu *Slavitagi* nomine *Slavatarum* originem probare, tantundem eſt (uti ipſe ſimillime argumentatur alicubi Balbinus) ac Balbinum aſſerere e Balbinorum Romanorum ſtirpe prodiiſſe. Quid enim præſidii

Peſſina Phoſph. ſeptic. Rad. 3. p. 118. & Mart. Mor. l. 2. c. 5. Balbin. Dec. 1. l. 7. c. 4. Aventin. Annal. Boj. l. 4. p. 316. Stredovsky ſacr. hiſt. Mor. l. 2. c. 7.

sit in ejusmodi nominum conjecturis, præsertim postquam alias fuse docuimus nomina propria his sæculis minime fuisse hereditaria, nemo non dispicit. Ut taceam relata Pessinæ & Balbini modis omnibus cum Annalibus Francofuldensibus pugnare, imo ipsis horum authorum alibi dictis; nam si Slavitagus iste frater fuit Wlastislai, Filiusque Vratislai Ducis Satecensis, quomodo eum dicemus acquisivisse ducatum Wiztrachi longissime remotum, atque ut ipsi sentiunt, in hodiernæ Austriæ limitibus situm? quis his locis seu Wratislaum, seu Wlastislaum præfuisse, aut Luczensem ducatum isthic exstitisse unquam sensit? tum quem secundum Wratislao contra omnium veterum recentiorumque mentem affingemus filium, cum Annales Wiztracho Duci duos fuisse innuant? Nec in Artemisii Zatecensis urbis Primatis relatis quodpiam certum firmamentum esse potest Pessinæ, quandoquidem eum Hagecio coævum fuisse constat, & sigilla, de quibus is loquitur, vix majorem ætatem quam sæculi XII. ut alibi jam asseruimus, ferunt. Sed vel ipsi hi duo authores allatorum suorum immemores luculentissime sibi contradixerunt. Pessina enim *Prostislaum de Chlum* historia & tempore hoc *Slavitago* priorem jam ex stirpe Slavatarum fuisse asseruit, qui igitur posterior hic Slavitagus ejusdem stirpis originarius esse potuit? Balbinus vero, quam supra historiam Slavatis accommodavit, eam hic jam Rosensibus adscribit, sic enim ille: *Suspicio mihi vehemens oritur, Zavischium vel Slavnikum corrupte hic Schlavitzam* (scilicet ut eum appellavit Aventinus) *appelluri, uti & Pithæi Slavitagonem, Slavum Vitigonem ex familia Rosenfium, qui tum Vitkones, & Witigones dicebantur. Id quoque Veitrachi a Vito deductum indicat nomen. In his locis enim Vitigones imperabant olim, ut feuda Rosenfium ab Episcopo Laureacensi, seu Passaviensi petenda ostendunt.* Jam qui hæc conciliabimus, cum ipse Balbinus cœlo toto diversam faciat Rosensium originem a Slavatis? hos enim ab Ursini Italis prodiisse scribit, cum, si Slavitagus iste Wratislai filius fuit, eum Przemysli & Czechico prognatum sanguine dicere necesse sit. Papro cius certe, qui Slavatarum origines profert, ad Slavitagum hunc non reflexit, nec vero antiquissima & suis immortalibus gestis inclyta Slavatarum familia ad hæc figmenta recurrat, opus habet, cujus pervetustas memorias suis locis proferemus.

Balbin. Dec. 1. l. 2. c. 12. p. 145.

Paprocius in Diadocho in Dominor. ord. c. 12.

Pagius in Critic. Baron. ad h. a.

IV. Ad hunc annum, ut adnotat Pagius, prima fit S. Cyrilli Slavorum Apostoli memoria tum adhuc Constantinopoli degentis. Nam cum hoc anno divus Ignatius Patriarcha Constantinopolitanus, sed

sua

sua motus, & Photius in ejus locum fuisset intrusus, narrat Anastasius Bibliothecarius: objurgatum & refutatum Photium *a Constantino Philosopho magnæ sanctitatis viro, fortissimo ejus amico, quod unumquemque hominem duarum animarum consistere prædicaret.* Constantinus vero ille, inquit Pagius, alius non est, quam S. Cyrillus, qui cum S. Metudio germano suo Slavorum gentem ad fidem Christianam adduxit. Circa hæc tempora accidisse videtur, quod Presbyter Diocleates de eodem sancto his verbis refert: *Temporibus Zuaniniri floruit ut rusa ex civitate Thessalonica quidam Philosophus Constantinus nomine, filius cujusdam Leonis Patricii, vir per omnia sanctissimus, atque in divinis scripturis profundissime a pueritia edoctus. Hic vir sanctus a spiritu sancto admonitus exiens de civitate sua Thessalonica venit in Cæsaream* (sed rectius fortasse Casaream seu Gazarorum) *provinciam, ibique cum plurimis Philosophis disputans diebus plurimis convicit eos, suaque doctrina & prædicatione convertit totam Cæsaream provinciam ad fidem Jesu Christi, & baptizati sunt omnes in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Dein author is conversionem Bulgarorum & Suatopeleci refert, nomenque *Kyrillus* ait ei postea datum a Stephano Papa, postquam eum Monachum consecravit. At vero eruditissime animadvertere Henschenius & Pagius: S. Cyrillum ætatem Stephani Papæ nequaquam attigisse; quare ajunt verosimilius esse, quod in priori vita SS. Cyrilli & Methodii ab Henschenio prolata memoratur: *Hic* (Constantinus) *quinquagesimo die ante obitum suum ex licentia summi Pontificis imposuit sibi nomen Cyrillus, asserens sibi nomen hoc divinitus fuisse revelatum.* Magnopere autem res Joannem Lucium aliosque suspensos reddidit: Constantinusne is idem cum S. Cyrillo fuerit, an alius? pereruditam Lucii disquisitionem hic libet exscribere: *Constantinum Thessalonic. Philosophum inventorem literarum Slavicarum populis Slavis Christi fidem prædicasse, sacrosque libros in eandem linguam vertisse Diocleas refert, ceteri autem auctores omnia hæc Cyrillo & Methodio fratribus tribuunt, imo unum ex duobus Alfabetis Slavonicis BUBUIZAM dictum D. Hieronymo, alterum vero KIURILIZAM ipsi Cyrillo tribuunt a KIURUL nomine Slavo, quod Cyrillum latine sonat. Sed cum ex epistola Joannis Papæ VIII. Suetopluchо Comiti scripta ejusdem Cyrilli coævi constet non Cyrillum, sed quendam Constantinum Philosophum fuisse inventorem literarum Slavonicarum:* Literas Slavonicas a Constantino quodam Philosopho repertas, quibus Deo laudes debitæ resonant, jure laudamus Epist. 247. *Si hic Constantinus pro Philosopho Thessalonicensi Diocleatis ponatur, de quo Breviarium Polonicum:* Sancti Confessores & Pontifices Cyrillus & Methodius fratres: Constantini Thessalonicensis cognomento Philoso-

Anastas. Bibliothec.

Presb. Diocleat. in regno Slavor.

Acta SS. ad 9. Martii. Pagius ad h. a.

Joannes Lucius in Not. in Presb. Diocl.

phi Civis Conſtantinopolitani erant filii. *Cum Epiſtola Joannis Papæ concordari poſſet, quamvis Conſtantinopolitanum civem Breviarium aſſerat, tamen civitatem quoque Conſtantinopolitanam ex patritiatus dignitate memorata habere potuit. Ideo Conſtantinum hunc Theſſalonicæ degentem cum proximis Slavis converſantem baptiſmum prædicaſſe, caracteres eis dediſſe, ſacramque Scripturam vertiſſe, qua deinde filii ſui Cyrillus & Methodius uſi ſunt, argui poteſt. Auctores autem cum eosdem fratres late per Europam Slavicas nationes ad Chriſti fidem converſas per Cyrillum & Methodium cognoſcerent, ipſis quoque omnia tribuerunt, Conſtantini patris nomine obliterato; quæ notitia Diocleati tribuenda eſt, quam ipſe ex libro METHODIUS nominato habere potuit.* Hactenus Lucius.

Pagius ad An. 880. n. 6. Sed his non obſtantibus eruditiſſimus Pagius ait: *Certum tamen eſſe debet Conſtantinum Philoſophum non eſſe diverſum a Cyrillo Methodii fratre, illum ab Hadriano II. cum eodem Methodio ad prædicandum Evangelium in Moraviam miſſum, & in epiſtola Joannis Papæ pro:* Conſtantino quodam Philoſopho, *legendum eſſe*: Conſtantino quondam Philoſopho, *quia Amanuenſes lineolas breviationis cauſa ponendas non raro omiſerunt.* Idem ſentit Henſchenius ad 9. Martii §. 4. Ceterum Cyrillum cum Conſtantino natione Theſſalonicenſi Slavorum Apoſtolo & literarum Slavicarum inventore eundem facit ſat vetuſtus author Andreas Dandulus Dux Venetiarum in Annal. Mſſ. quos citat Lucius. Et prorſum non alium ab eo eſſe docet nos Anaſtaſius Bibliothecarius coævus in epiſtola ad Carolum Calvum anno 875. in qua memorat *Conſtantinum* Romam S. Clementis attuliſſe corpus, ut ita Stredovskius paſſimque noſtri hallucinati ſint, qui Conſtantinum hunc patrem SS. Cyrilli & Methodii fecerunt. Nam etiam liber Slavonicus, cui titulus STEPENNAJA KNIGA, cujus plura fragmenta protulit Clariſſimus Aſſemanus, SS. Cyrilli & Methodii patrem vocat Leonem Theſſalonicenſem. Ejuscemodi illud eſt, cum Methodius a Cedreno & Porphyrogenito *Romanus* vocatur, nam familiare Scriptoribus Græcis, ut Græcos Romanos vocent, uti & Conſtantinopolim novam Romam. Ex his denique elidjtur, quod author Anonymus in elucidata vita Mſ. SS. Cyrilli & Methodii refert: vocabulum Panaczek, quo Moravi hodiedum Sacerdotes & Clerum indigitare ac ſalutare ſolent, reliquias eſſe ex nomine *Cyrilli*, ab eoque habere ſuam originem. Nam ut ille inquit: *Cyrillus ſeu Kyrillus derivatur a KYRIE græco dominum ſignificante vocabulo, Kyrillus vero idem eſt ac ſi dicas micellum Slavice* Panaczek *dicas. Nam cum S. Cyrillus interrogaretur a Moravis, quid nomen ſuum Slavice ſignificaret, repoſuiſſe fertur:* Panaczek; *inde que profluxit vulgi rumore, ut Sacerdotes omnes hoc nomine appellarentur, quod*

Lucius de Reg. Dalmat. & Croat. l. 2. c. 3.

Stredovsky S. Morav. hiſt. l. 2. c. 2. In Kaleud. univ. Eccleſ. T. III. p. 7.

ipſe

in gente mea hodie quoque perdurat. At ex utraque vetusti authoris vita, quam adfert Henschenius ad 9. Martii liquet S. Cyrillum hoc nomen primum Romæ paulo ante mortem suam obtinuisse, igitur in Moravia degens adhuc *Constantini* nomen gessit, quo nomine sub allationem Corporis S. Clementis Romam adhuc ab Anastasio coævo refertur. Ut taceam Pan eo ævo non quemcunque dominum, sed majorem terrarumque gubernacula tractantem Slavis connotasse, ut pridem sæculo superiore docuimus. At cum in nomine Cyrilli & Methudii versamur, non præterire libet hodie a nobis passim vernacule *Cyrilli* nomen reddi per Crha seu Cerhota, *Methudii* vero per Strahota. Id tamen non semel miratus sum me hactenus, quod memini, nusquam hoc vernaculum prænomen in aliquo vetusto monumento legisse, ut non perperam ex hoc argumentari licent olim priscisque temporibus *Cyrilli* & *Methudii* nomina aliter fuisse a majoribus nostris vernacule reddita, nec enim credibile gentem nostram Apostolorum suorum tantoopere fuisse immemorem, ut sibi non quoque ab iis quemadmodum ab aliis sanctis baptismalia nomina adsciverit. Et quanquam de Cyrilli nomine mihi nihil testatum sit, tamen suspicione perpetua pulsabar *Groznuta* seu *Hroznata* nomen *Methudium* connotare, qua in re me confirmavit Vincentius Ganonicus Pragensis a me inter Monumenta Bohemiæ hactenus nusquam edita vulgatus, nec non diplomata quæpiam, quæ id prænominis loco adhibent. Eandem sententiam tuetur Nomenclator Budvicensis, qui in Cathalogo Mſ. nominum veterum suorum Bohemicorum Hroznata *Methudium* interpretatur, quem se e meris legitimis veteribus documentis congessisse memorat. Multo tamen majorem is fidem Catalogo suo conciliasset, si singulis nominum explicationibus authoritatem, locumque monumenti adjecisset. Id nihilominus juri & laudi Catalogi hujus Compilatori tribuendum, quod adversaria *mea*, quæ pridem de nominum ejusmodi veterum interpretatione adnotaveram, accurate relatis ejus respondeant. Publicabimus vero aliquo monumentorum nostrorum ineditorum tomo fusissimum ejusmodi nominum propriorum Slavicorum cum suis interpretationibus syllabum, quem incredibili industria ex variis Mſſ. preloque datis libris concinnavit Clarissimus D. Joannes Clauser Archivarius Regius.

Sed præmissis, quæ de nomine S. Cyrilli dubia erant, ad ejus gesta redimus. Auctor itaque Vitæ SS. Cyrilli & Methodii de S. Cyrillo narrat: *Eodem tempore ad præfatum Imperatorem* (Michaelem) *in Constantinopoli venerunt Guzarorum legati supplicantes, quatenus dignaretur aliquem virum* *Acta SS. Bolland. ad 9. Martii p. 22.*

rum eruditum ad illos mittere, qui eos fidem Catholicam veraciter edoceret, adjicientes inter cetera, quomodo nunc judæi, nunc Saraceni ad suam fidem eos molirentur convertere. Tunc Imperator cum Patriarcha habito consilio præfatum Philosophum (Cyrillum) *illuc transmisit, optime confidens de ejus prudentia, conversatione laudabili & morum puritate.* Et alter Vitæ scriptor §. II. *Vir autem* (Cyrillus) *clarus iter arripiens venit Gersonam, quæ Gazarorum terræ vicina & contigua erat, & ibi gratia discendi linguam illius gentis est aliquantum commoratus.* Narrata dein Gazarorum conversione, & translatione Corporis S. Clementis ait: *Egressus itaque primo venit ad Bulgaros, quos divina gratia cooperante sua prædicatione convertit ad fidem.* Non nescio quidem certissimo velut calculo id Stredovskium jam ad annum 843. recensuisse, sed magis assentior Henschenio, qui nullo anno certo consignato id demum post annum 843. accidisse autumat. Nihil ad historiam nostram attinet hic conversionem Gazarorum, inventionemque corporis S. Clementis, quæ copiose in historia Ecclesiastica, ac vita SS. Cyrilli & Methudii recensentur, verbis locupletius explicare, at quoniam in defensione nostra P. II. contra Clarissimum Virum Lucubratorem Actorum Eruditorum Lipsiensium cum Brerevodo tuiti sumus: *Gazaros* seu *Gazaritas* gentem fuisse Slavicam, hocque argumento usi sumus ad convincendum: Slavicos olim populos ultra fluvium Tanain etiam extensos fuisse; partium nostrarum esse ducimus isthic sententiam hanc propugnare contra eos, qui Gazaros hos summa fiducia genti Hunnicæ vendicare conati sunt. Alter eorum est Clarissimus Vir & de rebus nostris Slavicis summe meritus Josephus Simonius Assemanus, cujus opera serius, & post jam publicatas primas duas partes Annalium nostrorum, imo posteaquam pene supremam manum tertiæ parti imposuissemus, transmissa nobis fuisse multum dolemus. Alter est Admodum Reverendus ac Eximius P. Georgius Pray S. J. a suis doctissimis Hunnorum, Hungarorumque Annalibus nominatissimus, amicus mihi multis titulis & ipso literarum commercio suspiciendus. Uterque vel hoc uno prope argumento, quod Porphyrogenitus & Theophanes non nunquam *Chazaros* Turcorum seu Hunnorum nomine expresserint, Hunnicam gentem affirmat, imo Henschenium in commentario prævio a vitam SS. Cyrilli & Methodii hallucinatum, posterior etiam eodem errore Clarissimum Kohlium lapsum censet. Ego cum Eruditissimis his Viris omnia deferam, gaudeamque eorum scriptis erudiri, at haud ægre ferent illi, si contra eorum sententiam veritatis historicæ unius causa opinionem Brerevodi, Henschenii, Kulcinii, Miechovii, Kohlio alio-

Stredovsky S. Morav. hist. l. 2. c. 2. Acta SS. Boland. ad 9. Martii.

Kalendaria Eccles. univ. T. III. §. 6.

Annal. Hunnor. P. III. Dissert. prævia p. 308.

aliorumque propugnem, hisque ea ſtabiliam, quæ contra Acta Eruditorum Lipſienſia in mea Apologia P. II. tuitus ſum. Sed ut rem rationum pondere convincamus, acervanda nonnulla argumenta, longiusque excurrendum. Et quidem

Triplicem circa hos Gazaros Virorum literatorum opinionem deprehendo: alii Cazaros ſeu etiam Cataros dictos (unde Germanicum nomen Kätzer profluxiſſe ſentiunt) pro hæreticis habent, quemadmodum hæreticos Novatianos Proſper Aquitanicus & Iſidorus hoc nomine appellant; atque hinc nonniſi ſectam aliquam ab errore ad viam a S. Cyrillo revocatam autumant, quod maxime ex notiſſima illa Photii epiſtola eruere conantur, in qua cum Ruthenorum & Bulgarorum converſionis mentio fit, de Chazaris altum ſilentium, ac nonniſi de hæreticis Photii tempore ad Eccleſiam Græcam reductis elato cilio phylacteria jactantur. Alii eandem cum Bulgaris gentem fuiſſe autumant, quod nonnunquam a Græcis Scriptoribus confundantur, ad Danubium habitaſſe affirmentur, imo Bulgari non raro Chazari appellentur, ut ex Joſepho Geneſio, ipſoque Conſtantino Porphyrogenito legere eſt. Sed utramque hanc ſententiam non moramur, quandoquidem indubitatum eſt gentis hoc non ſectæ nomen eſſe, & eam gentem quam primum omnium convertit S. Cyrillus ſeparatum ritusque ethnici populum fuiſſe, ad Pontum & Cherſoneſum coluiſſe, imo ab ea integram provinciam, teſtibus pene omnibus veteribus Græcis Scriptoribus, nomen *Gazareæ* ſeu *Chazariæ* obtinuiſſe. De gentis hujus converſione ita habent ſupra laudati duo vetuſtiſſimi vitæ SS. Cyrilli & Methudii Scriptores: *Eodem tempore ad præfatum Imperatorem* (Michaelem) *in Conſtantinopoli venerunt Gazarorum legati, ſupplicantes quatenus dignaretur aliquem virum eruditum ad illos mittere, qui eos fidem Catholicam veraciter edoceret, adjicientes inter cetera, quomodo nunc judæi nunc Saraceni ad ſuam fidem eos molirentur convertere. Tunc Imperator cum Patriarcha habito conſilio præfatum Philoſophum* (Cyrillum) *illuc transmiſit, optime confidens de ejus prudentia, converſatione laudabili, & morum puritate.* Perſequitur alter vitæ author, Cyrillus *iter arripiens venit Gerſonam, quæ Gazarorum terræ vicina & contigua erat, & ibi gratia diſcendi linguam illius gentis eſt aliquantum commoratus.* Jam quam linguam eum iſthic didiciſſe aſſeverabimus? procul dubio haud aliam quam Slavicam, quam eum calluiſſe tot argumentis teſtatum eſt, ipſe enim poſtea caracteres ejus invenit, ut fatetur coævus ſummus Pontifex Joannes VIII. in epiſtola ſua, quin authore Chriſtanno, Presbytero Diocleate, Dandulo aliisque veteribus tam vetus

Epitome Chronic. magno folio Norimberg. 1493. impreſſa p. 171. Proſper Aquit. in Chronic. Iſidorus l. 8. orig. c. 5.

Geneſius l. 4. de rebus Conſtant. Porphyr. de admin. imp. c. 42.

Acta SS. Bolland. ad 9. Martii.

quam novum teſtamentum in eam linguam tranſtulit. Nihil autem uſpiam apud veteres proditum de ſermone Hunnico, quod ſeu illius gnarus fuiſſet, ſeu ea in lingua quidquam ſcripſiſſet. Nec enim Hungari, ſed Slavi univerſi eum Apoſtolum ſuum venerantur. Ex conſequentibus igitur pronum eſt conjicere, cum hoc in ſermone excelluerit, haud aliam fuiſſe Gazarorum linguam quam Slavicam, qua ibidem imbutus eſt, quod haud dubie ejusdem vitæ ſcriptor innuit, cum Gazarorum exemplo provocatum ait Raſtislaum Moraviæ Principem itidem Slavum, ut virum Apoſtolicum expeteret, verba authoris ſunt: *Philoſopho* (Cyrillo) *reverſo* (a Gazaris) *Conſtantinopolim, audiens Raſtislaus Princeps Moraviæ, quod factum fuerat a Philoſopho in provincia Gazarorum, ipſe quoque genti ſuæ conſulens ad prædictum Imperatorem* (Michaelem) *nuncios miſit &c.* Nec enim hæc Gazarorum converſio Raſtislao aliam ob cauſam incitamento eſſe potuit ad evocandum Divum Cyrillum, quam quod ſperaret eadem effecturum in Moravis, quæ præſtiterat in Gazaris ejusdem linguæ hominibus. Si autem Gazari fuere gentis Hunnicæ, exhibenda nobis erunt legitima documenta S. Cyrillum non minus Hunnicum quam Slavicum idioma tenuiſſe. Ac proinde is majore pene jure Hunnorum quam Slavorum Apoſtolus dicendus erit, quia ſcilicet ea in gente prius Apoſtolicorum laborum merita jecit. Verum ut ipſiusmet Porphyrogeniti armis adverſam ſententiam penitus enervemus: luculentiſſimus is nobis teſtis eſt Gazarorum linguam prorſus diverſam fuiſſe a Turcorum ſeu Hunnorum, quod argumento maximo eſt, Chazaros alterius originis quam Hunnos & gentis fuiſſe. Sic vero ille: *Cabari a Cazarorum gente deſcendunt. Facta autem inter eos ſeceſſione, belloque orto civili prior pars vicit, quique victi, pars occiſi ſunt, pars fugientes ad Turcos in Patzinacitarum terram ſe contulerunt, ibique ſedes poſuerunt, contractaque mutua amicitia Cabari appellati ſunt, unde Chazarorum linguam ipſos Turcos docuerunt, habentque etiam hodie eandem dialectum, aliaque item Turcarum lingua utuntur.* Quem locum quamquam referat ipſe Eruditiſſimus Aſſemanus, mirandum tamen ab eo ſic præteritum, veluti nihil prorſum difficultatis oggereret, cum tamen alter Doctiſſimus Vir P. Georgius Pray *intricatum plane locum* queratur. Jam ſi Porphyrogeniti teſtimonio Gazari alterius linguæ a Turcis ſeu Hunnis fuere, cujus alterius dicamus quam Slavicæ, ut vetus ſcriptor vitæ innuit, actaque poſteriora Divi Cyrilli teſtantur? nec enim aliam ob cauſam arbitror tam crebro a Græcis Scriptoribus Chazarorum nomen pro Bulgarorum adhibitum, quam quod ii noſſent unam eandemque gentem eſſe, magnamque illius partem cum Bulgaris ad Danubium

Conſtant. Porphyr. de admin. Imp. c. 39.

Annal. Hun. P. III. p. 330.

deſ-

deſcendiſſe. Ceterum ex his facile ſcrupulus ſolvitur, quare nonnunquam Theophanes & Porphyrogenitus Gazaros Turcorum nomine impertiantur, quia ſcilicet magna pars eorum ad Turcas in Patzinacitarum terris reſidentes tranſiere, eos linguam ſuam docuere, ac in unam cum iis gentem coiere. Hinc etiam Georgius Cedrenus Turcos orientales Chazaros appellari ait, diſtinguendosque eſſe a Turcis occidentalibus. *Georg. Cedrenus in Compend. hiſt. §. 117. p. 327.*

Nec obſtat: quod Chazarorum Principes paſſim *Chagani* (quam vocem nos vel ultra fatemur eſſe Turcicam) a Græcis Scriptoribus appellentur. Nam ſi Chazarorum magna pars coaluere cum Turcis, quid mirum, ſi hoc dignitatis nomen retinuere prius Turcis ſeu Hunnis uſitatum? Conſtat præterea ex Fredegario Slavos ab Attilæ temporibus paſſim ſub Hunnorum dominatu ſtetiſſe, qui cum ſe ſe ab iis ſejunxere, lenteque a ſua forma democratica receſſere, an mirum, ſi dignitatis nomina vetuſta Hunnica ab iis emutuavere? nolim Scriptores Græcos cujuſpiam erroris aut oſcitantiæ inſimulare: at non uno loco teſtatum eſt eos nomen *Chuguni* multis barbarorum Principibus etſi gente aliis ab Hunnis tribuiſſe. Sic Ruſſorum Slavorum Bulgarorumque Principes non raro Chagani appellantur a Scylize & Cedreno apud Aſſemanum, & ipſis Annalibus Bertinianis ad annum 839. Nec fuere ipſi Turci ſeu Hungari tam ſcrupuloſi, ut ne etiam a Slavis nomen Principis, quem *Woyewodam* appellabant, aſſumerent. Hoc enim nomine Hungarorum Principem exprimit Porphyrogenitus, dum ait: *Turcorum gens olim prope Chazariam habitabat in loco cui cognomen Lebedias, a primo ipſorum Boebodo, qui nomine Lebedias appellabatur.* Quam vocem *Boebodi ita recte* explicat Anſelmus Bandurius: *ὅτις Βοεβοδος latine Vaivoda dignitas apud Slavos Voevoda idem, quod apud latinos Capitaneus, tribunus, dux militum.* Nec hic ſolus Porphyrogeniti locus, nam mox infra: *Erantque gentes eorum ſeptem, & principem vel indigenam, vel alienigenam habuerunt nunquam, ſed erant inter ipſos Boebodi quidam, quorum primus is, cujus ſupra mentionem fecimus, Lebedias.* Rurſum: *Chaganus Chazariæ Princeps Turcorum Boebodo Lebediæ fortitudinis eorum & commilitis cauſa uxorem dedit Chazaram nobilem.* Denique: *Cum Boebodo ac Duce ſuo Lebedia.* Quibus jam firmatis haud dubium cuiquam erit Chazaros Slavicæ fuiſſe ſtirpis gentisque. *Kaleud. univ. Eccleſ. T. I. p. 239. 403. 405 426. T. III. p. 337.* *De admin. Imp. c. 38.*

ANNUS 858.

Zatecenſium populationes.

Luczenſes Principis ſui permiſſu, ſeu verius conſiliis ac juſſu infeſtis ſignis petiere Slanenſis montis confinia, ac vicos Chodczow, Kladna, (a) aliaque ejus tractus oppida omni belli clade vaſtarunt, crudeliter non minima incolarum trucidata parte.

Wlaſtislaus expugnat & exſcindit Budeczium.

Wlaſtislaus ipſe certus hoc anno finem bello facere, coactis quam potuit maximis copiis, in Pragenſem agrum irrupit, urbemque Budeczium (b) loco celſo, natura munito poſitam, ac prope illi ætati inexpugnabilem viſam, obſidione cinxit, quarto demum decimo oppugnationis die impreſſione facta cepit, expilavit, atque igni ferroque a fundamentis excidit. Tam vicinus terror adeo non excitavit torpentem metu Principem, ut, mordente licet oculos Budecenſis incendii fumo, alia omnia, quam defenſionem atque arma cogitaret.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLVIII.

NICOLAI PAPÆ I. LUDOVICI II. IMP. 4. NEKLANI 7.

(a) Kladno oppidum in regione Rakonicenſi hodie ſupereſt Pragæ duobus & medio lapide diſſitum. Chotetſch vicus eſt ſedis nobilitatis inclytus olim, hodie ad Reverendiſſimum Decanum Colleg. Eccleſiæ ad omnes ſanctos pertinens in eadem regione, Pragæ ſemi-altero milliario remotum, ab eo olim equeſtris ordinis familiæ agnomen de *Chotzowa* tulit.

(b)

(*b*) Beczkowsky poſt hanc cladem ſcribit civitatem hanc cum ſua arce cœpiſſe ruere. Sed cum poſtea hic loci adhuc literæ Slavicæ a S. Cyrillo inventæ, referantur traditæ, reſtauratam denuo oportuit, ſi authoritate veteri nituntur, quæ hic Hagecius recenſet. *Beczkowsky hiſt. Boh. P. I. c. 16. Chriſtan. in Paſſ. SS. Ludmillæ & Wenceſl.*

PRÆTERMISSA.

Hoc anno menſe Julio rurſum expeditio ſuſcepta a Ludovico contra Boemorum fœderatos. Sic enim Annales Francofuldenſes & Metenſes: *Hludovicus reverſus in Franconofurt cum multa de utilitate regni cum ſuis tractaret, atque diſponeret, tunc etiam decrevit tres exercitus in diverſos regni ſui terminos eſſe mittendos, unum quidem per Carlmannum filium ſuum ſeniorem in Sclavos Margenſes contra Raſticen, alterum vero per Ludovicum filium ſuum minorem in Obotritos & Linones, tertium autem per Tucholfum in Sorabos dicto obedire nolentes, ut ſedatis extrinſecus adverſariorum tumultibus facilius intrinſecus regni gubernacula diſponeret.* Ex capitulis reſponſionum Nicolai Papæ ad legationem Salomonis Epiſcopi hoc ipſo anno miſſi a Rege Hludovico etiam locum & primam arenam diſcimus, qua ſe Hludovici exercitus adverſus Raſticem congregabat, & quo ipſe Hludovicus ſe conferre meditabatur ad compeſcendam Raſticem. Sic vero habent: *Quoniam nuncius, quod fidelis Rex diſpoſitum habeat venire Tullinum, & deinde pacem cum Rege Vulgarorum confirmare, & Raſtitium aut volendo, aut nolendo ſibi obedientiam facere. Oramus omnipotentem Deum, ut angelus, qui fuit cum Jacob Patriarcha, ſit cum ipſo, & cum omnibus ſuis, & bene diſponatur iter ejus, & cum pace & gaudio revertatur ad propria.* Hi quidem erant apparatus bellici, & conſilia multo ante agitata premendi bello Raſticis, quæ tamen hoc anno vix ad effectum perducta videntur. Nam memorant ſupra allati Francofuldenſes Annales hoc ipſo tempore advenisſe legatos Francorum occidentalium, qui contra Caroli tyrannidem regnum peſſumdantis opem implorabant. Quare jam menſe Julio collecto maximo ex oriente exercitu eo feſtinaſſe Hludovicum; ſed cum hic vix compoſitis rebus dedentem ſe Caroli exercitum excepiſſet: *Interea* (perſequuntur Annales laudati) *nunciatum eſt ei in oriente rempublicam Sorabici limitis eſſe turbatam, eo quod Sorabi, Duce ejus Cziſtiboro nomine ſibi fideliſſimo inſidioſe peremto, deſectionem meditarentur. Ac per hoc ille quidem ad comprimendam ſeditionem exortam in regnum ſuum quanta potuit celeritate, regreſſus eſt.* E quibus liquet has duas expeditiones obſtitiſſe, quo minus hoc anno conceptum in Raſticem odium explere poſſet. Peſſima nihil *Annal. Francofuld. & Metenſes ad h. a. Apud Baluzii l. 5. Miſcellan. p. 484. Annal. Francofuldenſes ad h. a. Peſſima Mart.*

Moray. l. 2. c. 5. hilominus graviſſimum hoc anno prælium inter Moravos & Carolomannum fuſiſſime deſcribit, aitque Radislaum fœdus cum Poloniæ & Ruſſiæ Ducibus iniiſſe, nec non a Michaele Bulgarorum Rege ſelectiſſimam bellatorum manum in auxilium accepiſſe. Sed ea veroſimillime ex Aventino deſumſit, qui præter authoritatem veterum ita fabu-

Avent. Annal. Boj. l. 4. p. 245 latur: *Carolomannus filius Regis noſtri coactis copiis ex Bajoaria, quatenus Auſtrum, orientemque ſolem ſpectat cum Brynnone regulo Venedorum, qui Danubium accolebat, arma in Moravos movet. Copias Ratiſolai cædit, fundit, univerſum Moraviam - - - præda igne ferro depopulatur: ſegetes ſuccidit, agros, domos exurit, pecora abigit, captivos pueros, puellas, viros, fœminas cives, agricolas, ſervos, nobiles abducit: usque ad Suartzam amnem cuncta luctu, cæde, rapinis complet. His denique coactus Ratiſolaus legatos primum pacem petitum ad Carolomannum præmittit. Accepta fide deinde ſupplex advenit: regioque nomine abdicato in verba Carolomanni jurat. Tributa impoſita quot annis penſitaturum pollicetur. Pactis itaque Sclavis cœpere rurſus deſerta Bojorum habitari, oppida & vici in Auſtria ſive Pannoniis inſtaurari.* Quæ auſpiam alibi prodita. Ceterum luculentus is in memoratis Annalibus locus eſt: Moravos & Sorabos, quos Germani quique Scriptores una cum gente noſtra portionem Regni Ludoviciani faciunt, minime in eo fuiſſe cenſitos, cum Annales hi tanquam extrinſecos reputent. Sic enim loquuntur: *Ut ſedatis extrinſecus* (ſcilicet Moravorum Soraborum, & Obotritorum) *tumultibus, facilius intrinſecus regni gubernacula diſponeret.*

Baluz. Miſcell. l. 5. p. 484. Ex ſupra laudata vero Nicolai Papæ epiſtola liquet jam hoc anno ſemen Evangelii accepiſſe Bulgaros, & Regem ipſorum ſpem obtruſiſſe ſuſcipiendæ legis divinæ, ſic enim habet eadem epiſtola: *Quis vero dicis, quod Chriſtianus Rex ſperet, quod ipſe Rex Vulgarorum ad fidem velit converti, & jam multi ex ipſis Chriſtiani facti ſunt, gratias agimus Deo, quem precamur, ut abundare faciat incrementa frugum in horreo ſuo. Jejunium vero pro eis & orationes, ſicut per te hortatur, Deo propitio facimus.*

Ibid. p. 483. Cognoſcimus ex illa denique hoc anno adhuc ſedi Patavienſi, atque hinc etiam Moraviæ Chriſto initiatis paſculis ditionibus præfuiſſe *Hartvigum*, qui cum hoc anno graviſſime infirmaretur, oratum a Ludovico, ut alius ſubſtitueretur.

) o (

AN-

ANNUS 859.

Germani a plagis occiduis facta manu valentiſſima in Zatecenſem agrum irruperunt, priusque omnem regionem longe lateque populati, luculentiſſimam prædam in tutum deportarunt, (a) quam Wlaſtislaus ex dilapſis metu incolis juſtum agmen hoſti poſſet opponere. Id hoc anno conſiliis Wlaſtislai obſtitit, ut ne Neklanum bello auderet laceſſere, quandoquidem non vanus rumor increbreſcebat: Minatos Germanos propediem reditum, neque quieturos prius, quam Zatecium ipſum in ſpolium eis cederet. *Germanorum irruptio in Zatecenſem agrum.*

Neque tamen hoſtis infelici Neklano defuit Krasnik (b) Doliſi filius Curimenſis Princeps fidentior aliena infirmitate, quam ſuis viribus (id quod ignaviſſimis etiam animantibus commune eſt, de proſtrato domitoque leone audentibus prædam agere, alioqui valentis atque integri ne adſpectum quidem ferentibus) ſumſit ſibi per eos dies Neklanum, & ſua ſegnitie (c) & præteritis cladibus laborantem vacillantemque bello laceſſere. Neclanus nihil animo, quam pacis ſtudia agitans legationem ei miſit fœdera amicitiæque vincula in memoriam revocatum, tum ne flamma novi belli erumperet, etiam finitima quæpiam oppida ultro finibus ejus ceſſurum ſpopondit. At ferox juvenis barbarico reſpondit faſtu: „ Non ſibi de provinciæ finibus, ſed de univerſo „ Wiſſehradenſi principatu certamen eſſe. „ Excanduere ſcilicet ad improbiſſimi oris impudentiam legati, verum *Curimenſis Dux Neklanū oppugnat.*

quid

quid agerent, cum ille ferox & omnis humani gentiumque juris contemtor festinata incursione Drastinium, Schkworecium, Zidomiricium (d) aliaque insigniora loca iniquissimis armis occuparet.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLIX.

NICOLAI PAPÆ 2. LUDOVICI IMPER. 5. NEKLANI 8.

(a) Hæc Germanorum in regionem Luczensem finitimasque provincias irruptio verosimillime tribus annis citius reponenda erat ab Hagecio scilicet ad annum 856. quo eam referunt Annales Francofuldenses, & nos retulimus. At ea non ad solum Wlastislaum (si quidem is tum præfuit) sed plures harum regionum Duces Bohemicos spectabat, ut ibidem videre licet.

Dubrav. hist. Boh. l. 3.

(b) Eandem prope historiam de Krusnicio refert Dubravius Hagecio coævus, quanquam alio ordine. Ante eos vero apud veteriores altissimum silentium.

(c) Ea si se ita habent de Neklani segnitie, ut Hagecius omni loco graphice describit, plane eodem tempore oriens simile exemplum in Michaele Imperatore habuit, qui solo augurandi studio delectatus, omnem imperii curam projecit, ut ne ejus somnolentia tot hostium incursionibus, suorumque clade excitaretur. Nam refert Curopalates: eum tantum aurigandi studio fuisse deditum, ut cum esset aliquando in curru, ipse agitans equos colore indutus veneto, Protonotarius autem per signum factum ei nunciaret Saracenorum irruptionem, Imperator torvo ac terribili aspectu Protonotarium intuitus. *Et quomodo ausus es o! sceleratum caput, inquit, de istiusmodi rebus me alloqui in hoc necessario ludo occupatum, neque aliud quicquam curantem, quam videre mediis sinistram partem conversam, pro qua re omne certamen mihi est institutum?* Adeo inquit Curopalates, *erat demens, & mente captus.*

(d)

(*d*) *Sikworez* hodie oppidum eſt in regione Kaurzimenſi non longe ab Auwal remotum. *Sudomirz*, ſi idem eſt, vicus eſt in regione Boleslavienſi Neo-Boleslavia ſemi-altero lapide diſſitum. *Draſtin* his confiniis nullum reperio, niſi vicum Draſti ad Kunraticium, aut alterum Draſt ſupra Kleczan dicamus.

PRÆTERMISSA.

Inter tot legationes ad Ludovicum miſſas, his annis nuſpiam mentio fit ſeu legationis cujuſpiam, ſeu delatorum annuorum munerum a Bohemis aut Moravis, e quibus non obſcura argumentatio deduci poteſt annuum illud tributum propter continua bella, & inimicitias fuiſſe ſuſpenſum; & quanquam a victis nonnunquam Moravis vi extortum videatur, tamen prolatis rurſum armis abolitum eſt usque ad annum 874. quo demum rurſum ſuo vigori reſtitutum ſcribunt Annales Fuldenſes. Sic enim ad hunc annum: *Legatos Zuentibaldi pacem petentes & fidelitatem promittentes ſuſcepit, cujus legationis princeps erat Johannes presbyter de Venetiis, qui etiam, ut ei Rex omni ambiguitate remota crederet, quidquid verbis dicebat, ſacramento firmabat, videlicet, ut Zuentibald Regi fidelis permaneret cunctis diebus vitæ ſuæ, & cenſum a Rege conſtitutum per annos ſingulos ſolveret, ſi ei tantummodo quiete & pacifice a Rege vivere concederetur.* An vero eo anno reſuſcitatum fuerit, ibidem examinabimus. *Annal. Francof. ad An. 874.*

Neſſenus ad hæc tempora reponit: *Ludovicus Germanicus Ludovici Pii filius ad convertendos Sorabos, aliosque Slavicos populos Eccleſiam Niſecenſem fundavit, cujus propagationem & defenſionem Conrado Marchioni commiſit.* Sed, quo fonte hæc biberit, nuſpiam indicavit. Quæ profecto fide laborant; Soraborum enim converſio poſterius reponenda, nec Ludovicus, ut ex poſterioribus annis apparebit, imperium in Sorabos tum exercuit, nec Marchiones ante Henricum Aucupem iſthic leguntur. Porphyrogenitus pluribus locis aſſeverat adhuc ſuo tempore, quo ſcripſerat, ſcripſit autem circa annum 949. Sorabos hos, quos paſſim magnos ſeu albos vocat, baptiſmi fuiſſe expertes. Erat porro *Nizizi* pagus Sorabicus inter flumina Albim & Mildam, ut adnotat Abbas Gottvicenſis. *Neſſenus hiſt. Luſat. in corollariis.* *Chron. Gottv. Vocab. Niſici l. 4.*

ANNUS 860.

Horak (a) quidam ex pago Dubinka (b) ingentis animi vir, memor injuriarum ſuperiore anno Neklani clientibus intentatarum a Duce Kurimenſi, apud ſe conſtituit eum ſeu interficere, ſeu, ſi fortuna benignior arriſiſſet, vivum intercipere, conſilio prima quidem ſpecie temerario, ceterum, ut eventus docuit, tum neceſſario ac propemodum fortunato. Capiebatur mirifice equeſtribus ludis (c) Krasnikus, iisque & quot diebus in agro ſuburbano aderat, & præpilata haſta equeſtris pugnæ ſimulacrum dedit. Eum quodam die ludicro illi certamini pro more intentum repente ex inſidiis Horakus, cum duodecim juvenibus in omne diſcrimen projectis, magna vociferatione veraque jam pugna adortus parum abfuit, quin vivum in poteſtatem redigeret. Primo concurſu equitibus octo interfectis, ceteris inſidiarum metu in fugam actis, Dux accepto in manu vulnere inter primos pernici equo fugiens, ægre in urbem evaſit; quo minus alte plaga deſcenderet, armillas ferreas, quas dextro lævoque brachio gerebat, obſtitiſſe dicunt. Concurrentibus deinde ad arma civibus Horakus collectam cohortem ſuam, veritus multitudinem, incolumem reduxit extra unum leviter ſaucium. Id facinus quam Curimenſem perculit, tam Neklanum voluptate exſplevit, qui Horakum cum ſuis duodecim bellatoribus illico Wiſſehradii adeſſe juſſit, multisque laudibus cumulatos ampliſſimis donavit præmiis.

Horaci facinus adverſus Curimenſem Ducē.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLX.

NICOLAI PAPÆ 3. LUDOVICI II. IMP. 6.

NEKLANI 9.

(a) Dubravius hunc Horakum *Montanum* vocat ſcilicet latina interpretatione; priſco Slavico *Gorak* dicebatur.

(b) *Dubinka* in hoc regionum tractu non amplius comparet, Dubowka duplex vicus in Kaurzimenſi provincia ſupereſt.

(c) Majores noſtros & cumprimis juventutem equeſtribus ludis delectatos fuiſſe, armorumque exercitatione corpora prævalida, ut inquit Procopius, ad omne facinus aſſueviſſe, pluribus veterum teſtimoniis proditum eſt. Anonymus Poeta in Poemate Rudolpho II. Imp. inſcripto, Pragæque anno 1608. typis excuſo ſic ſui ſæculi juvenilem increpat ſegnitiem:

Heu ubi priſca latet Czechææ audacia pubis?
Cur jacet armorum uſus, cur ludus equeſtris,
Illæ deliciæ docilis priſcæque juventæ?
Alea quid ſibi vult? quid damnoſa otia? noctes
Et Venere & Baccho & quævis heu ſorde ſepultæ!
Annales veteres lege ad omnia ſurda juventus:
Hinc nudos juvenes armis pugnaſſe, girare
Aſſueviſſe feros intractandosque gaballos,
Froena tenere, pilas, tela, & vibrare ſagittas,
Concertaſſe hoſti diſces. Spectacula priſcæ
Hæc olim fuerant, non ludicra nota juventæ.
Artem exercitium peperit, dedit arsque decorem,
Non tamen in quæſtum. Merces nam gloria ſola
Victoris fuerat viciſſe. Id Marte feroces
Invictosque tibi genuit Bohemia cives
Heroesque - - - -

PRÆTERMISSA.

Ad hunc annum narrant Rhegino & Annales Metenſes: *Ludovicus ſenior frater Lotharii Imperatoris his temporibus plurima bella geſſit ſtre-* *Rhegino. Annal. Metenſ. ad h. a.*

ſtrenuiſſime adverſus Slavorum gentes, ſiquidem Marahenſium regna ingreſſus cuncta perdomuit capto eorum Principe Ruſtiz, cui etiam propter violata fœdera oculos erui juſſit. Similia prope refert jam ad priorem annum Sigebertus Gemblacenſis. At quanquam vera ſint ea, quæ circa bella his temporibus contra Slavos & Moravos geſta narrantur, tamen captivitas & exoculatio Raſticis decennio poſterius ad annum 870. cum Annalibus Francofuldenſibus rejicienda. Minus recte igitur hiſtoriæ veritati conſuluere Scriptores noſtri, dum paſſim jam ad hunc annum Suatoplucum Raſtizio ſubſtituunt.

Sigebert. Gembl. ad An. 859.

II. Hoc anno ſuperſtitem adhuc fuiſſe Prinnonem docet nos diploma Ludovici Germaniæ Regis datum in Regensburc Indictione VIII. quæ huic anno reſpondet, monaſterio inferioris Altahæ, quod ita habet: *Quapropter comperiat omnium fidelium noſtrorum præſentium ſcilicet & futurorum ſolertia, qualiter Bribinus fidelis Dux noſter veniens in procerum noſtrorum præſentiam poſtulavit ſerenitatem noſtram, ut de rebus proprietatis ſuæ, quas ei in proprietatem conceſſimus, liceret ei partem aliquam ob memoriam ejus dare ad S. Mauritium, & ad monaſterium noſtrum Altaha, cui tempore illo Ottgarius præeſſe videbatur, & rector; cujus petitioni libenti animo aſſenſum præbentes decrevimus ita fieri. Dedit itaque Bribinus fidelis Dux noſter cum conſenſu & licentia noſtra ad præfatum monaſterium S. Mauritii Martyris Chriſti de ſua proprietate in ſuo Ducatu, quidquid habuit, ad Salipiugiti infra terminos iſtos: in orientem ultra Salam fluviolum usque in Slougenz in Marcham & Stresmaren, & ſic ſurſum per Salam usque ad Waltungesbuch, & ſic inde usque in Hrabagisreit, & ad Chriſtetin.* Comperi quidem dein Clariſſimum Aſſemanum hoc diploma rejicere ad annum 845. in quem etiam Indictio VIII. inciderat, ſed annus 23. Ludovici Germaniæ Regis cum anno 845. modis omnibus pugnat, ut itaque perſuaſiſſimum cenſeam, id ad annum hunc potius quam priorem pertinere.

Gevold. in addit Hundii T. II. p. 11.

Kalend. univ. Eccleſ. T. III. p. 95.

Atque hæc poſtrema eſt Prinnonis ſeu Privinnæ Moraviæ Ducis memoria, nam ad annum 865. jam occiſus a Moravis, eique Hezilonem filium ſucceſſiſſe refertur ab Anonymo de Converſione Bojoar. & Carent. Belline vero an per inſidias interfectus ſit, nihil apud vetes res proditum, quemadmodum & ipſe annus nos latet. Aventinus quidem tradit eum a Radislao Carolomanni incitamento interfectum at ſine tabulis. *Eruditiſſimus Hanſizius* inquit: *Pientiſſimus Princeps Privinna nuper Carolomannum in Moravos ducentem ſecutus occubuerat.* Conti vero contendit Clariſſimus Aſſemanus, contra Hanſizium ſcribens

Apud Frebe-rum p. 20.

Aventin. Rer. Boic. l. 4.

Hanſiz. Germ. ſacræ T. II. p. 134. Aſſeman.

Fal-

Fallitur vir doctus: non enim Carolomannum filium, ſed Ludovicum patrem Privinna ſecutus, ſub ipſo Carolomanno una cum Moravis fœderato, & in patrem rebellante a Raſtice Moravorum Duce interfectus fuit, idque factum contigerit oportet circa annum 861. dein producto fragmento ſuperioris diplomatis Ludoviciani, quo Privinna fidelis Ludovico aſſeritur, productis etiam fragmentis Annalium Bertinianorum & Fuldenſium de anno 861. quibus rebellio Carolomanni contra patrem, & expulſio Ducum Pannoniæ commemoratur, ſubjungit: *Eo igitur anno occaſionem nactus Reſticius ſive Raſtices Moravorum Regulus id perficiendi, quod Moymarus ſuus patruus, dum Privinam circa annum* 828. *ditione ſua privatum, fugam ad Rusbodum capeſſere compulit, in mente habuerat, conjunctis cum Carolomanno armis non Carinthiam tantum ſed etiam Pannoniam inferiorem, ubi Privina dominabatur, invadens, eundem Privinnum tanquam antiquum hoſtem e medio ſuſtulit.* Hactenus doctiſſimus vir: at vero num Raſtizius anno 861. tam procul pertigerit exercitu ſuo, ſcilicet ad poſſeſſiones Privinnæ Savum inter & Dravum jacentes, multum dubito. Cum autem Anonymus de Converſ. Bojoar. & Carentanorum dicat Privinnam occiſum a Moravis popularibus ſuis, ego eum verius cecidiſſe autumo in vindicatione proprietatum ſuarum Transdanubianarum, neque tam a Raſticis, quam Zuentibaldi exercitu occiſum: nam Zuentibaldus erat, cui Raſtizes in beneficium terras Privinnæ dederat, & quas ipſe jure gladii acquiſivit contra Privinnam. Ei rei argumento mihi eſt querela Archi-Epiſcopi Juvavienſis & Suffraganeorum, in qua hæc leguntur: *Anteceſſor veſter Zuentibaldo Duce imperante Wichingum conſecravit Epiſcopum, & nequaquam in illum antiquum Patavienſem Epiſcopatum eum transmiſit, ſed in quandam neophytam gentem, quam ipſe Dux* (Zwentibaldus) *domuit bello, & ex paganis Chriſtianos eſſe patravit.* Quo loco cum luculentiſſime indigitetur regio Nitrienſis, cujus Wichingus erat Epiſcopus, quamque prius Privinna tenuerat, eam autem domuiſſe & occupaſſe dicatur Zuentibaldus, haud vana argumentatione conjicere licet, hoc quocunque inteſtino Zuentibaldi bello, Privinnam in defenſione proprietatum ſuarum occubuiſſe. Et quanquam ante annum 869. in nullis vetuſtis documentis Zuentibaldi occurrat memoria, tamen indubium eſt, eum multo ante aliquas terras in beneficium tenuiſſe, cum is potentia & rebellione tantum invaluerit, ut tandem anno 870. Raſtislaum capere, Francisque tradere potuerit. Circa hæc igitur tempora accidiſſe videtur, quod peremto Privinna Zuentibaldus Nitrienſis regionis tractum quiete poſſidere cœperit. Nam Hezilo nusquam le-

T. III. P. I. p. 295.

Apud Gevold. in addit. Hundii T. I.

gitur aliquid amplius ultra Danubium proprietatis poſſediſſe. Et fortaſſis hoc ipſum irritamento fuit Ludovico, ut toties arma contra Moravos expediret, nominatimque anno 864. cum exercitibus ſuis ultra Moravam fluvium inque ditiones Nitrienſes progrederetur, vix quidem alio fine, quam ut Heziloni clienti ſuo paternas ditiones vindicaret. Porro an *Pribunia*, de quo Conſtantinus Porphyrogenitus, idem ſit cum Privinna noſtro, & de quo hæc ait: *Quo* (Cræſemere Chrobatorum Duce) *mortuo, quum Myroſtblabus filius, poſtquam quadriennium genti præfuiſſet, a Pribunia Bano interfectus eſſet &c.* incertum eſt. Nec vero ætas, nec temporum hiſtoria, nec locorum vicinitas repugnat (quemadmodum ex clariſſimi Aſſemani calculo videre licet) ut ne eundem fuiſſe dicamus.

Conſt. Porphyr. de ad min. imp.

Kal. Univ. Eccleſ. T. IV. p. 321.

ANNUS 861.

Conventus præſente anno in Wiſſehrado habiti caput ac ſumma fuit decernendi in perfidum Curimenſem belli, hominisque ante in ordinem cogendi, quam Wlaſtislaus altera parte novis copiis inſtitiſſet; id quod Principi minus jam trepidanti facile ab Optimatibus perſuaſum. Wſſebog Dux vetus multarumque ſub Krzezomyſlo palmarum heros exercitui cum imperio præfectus, juſſusque paria Curimenſi reddere. Quanto is animo, tanta celeritate cum ſuo agmine progreſſus expugnatis Hrubowa, Zasmuka, Witicio (a) arcibus valentiſſimum munimen Trziſſow (b) appellatum acceſſit, cepitque, ejus Præfecto Zlobec in vinculis Wiſſehradum deportato (c) funeſta ubique acerbæ ultionis veſtigia reliquit. De ſpoliis, quæ opima allata ſunt, nihil omnino Princeps tetigit, omnia Wſſebogio in præmium navatæ operæ relicta, ab ipſo in milites pro mercede fortitudinis diviſa ſunt.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXI.

NICOLAI PAPÆ 4. LUDOVICI II. IMP. 7.

NEKLANI 10.

(a) *Hrubow* inter vicos, oppida, arcesve regionis Kaurzimensis hodie locum nuspiam habet. *Zasmuk* vix lapide Kaurzimio dissitum, oppidi nomen hodie obtinet, Cœnobioque A. R. PP. Franciscanorum nobilitatum est. *Vitiz* vicus est templo inclytus inter Bohemo-brodam & Kaurzimium medius.

(b) *Trzissow* nominatum etiam sæculis posterioribus castrum, cujus tamen situm invenire necdum licuit.

(c) Ab hoc *Zlobecz* (quem *Lobecz* appellat) Paprocius vetustissimam, & hodiedum S. R. I. Principum ordine florentem *Lobkoviciorum* stirpem deducit. Cujus verba vernacula hic latio donata apponere libet: *Lobecius iste* (inquit) *e Neklani captivitate dimissus, longo tempore in Silesia usque ad regimen Christianorum Principum commoratus est. Ejus posteri appellati Lobkones, uti nomen istud in Principum diplomatibus (dum Principibus a consiliis essent) legitur. Et dum post tempora transivissent rursum in Bohemiam, nonnemo ex illis Lobkovicium ex nomine suo condidit, & inde se scribere cœperunt secundum morem aliorum Dominorum, qui exteros imitantes, titulos suos augere solebant. Nam prius nemo seu ex ordine Dominorum, seu Equitum aliter quam proprio, simplici & nudo nomine, dempto omni prædicato, se scripsit, ut supra memoratum.* Hactenus Paprocius: sed utinam quam vera sunt posteriora periodi suæ verba, tam testatam fecisset historiam hanc de *Lobec*, nonque sola conjectura nominis docuisset Lobkovicios ab eo descendere. Officio certe Genealographi solertis eruditique minus satisfecit, cum ab hoc Lobecz per quingentos quinque supra viginti annos illicito plane Genealogiæ saltu usque ad *Joannem de Lobkoviz* (qui circa annum 1390. vixit) neminem attulit hujus nominis aut familiæ. Sed Deo favente nos Joanne hoc vetustiores hujus inclytæ stirpis ramos suo tempore proferemus. *Paproc. in ordine Domin. c. 5. p. 119.*

PRÆTERMISSA.

I. Annales Francofuldenses hoc anno referunt: *Carlmannus quoque filiorum Regis natu maximus res novas molitus est, expulit enim Duces, qui-* *Annales Francofuld. ad h. a.*

quibus custodia commissa erat Pannonici limitis, & Carantani, atque per suam Maream ordinavit: quod Regis animum rebellionem suspicantis non parum commovit. Sed quid maxime indignationem patris provocaverit, his verbis prosequuntur Annales Bertiniani: *Carolomannus cum Resticio Vinidorum Regulo fœderatur, a patre deficit, & Resticii auxilio magnam sibi partem usque ad Hin* (Oenum) *fluvium paterni regni præsumit.* In cujus facinoris suspicionem cum quoque Ernustus socer Carolomanni inter omnes Optimates præcipuus, item Uto & Berengarius frater, nec non Sigihardus Comites, Woldoque Abbas venirent, in publico conventu in Reganesburg, ut loquuntur Annales Francofuldenses, exauctorati, & publicis honoribus privati sunt. Annales Bertiniani addunt: nepotes quoque Ernusti regno expulsos. Duces vero Carentani & Panonii limitis maxime istic contra Maravannos constituti, tum erant: Wilhalmus, & Engelschalcus summa apud Ludovicum gratia, quos gradu suo a Carolomanno dejectos tam indigne excepit pater.

Annales Bertin. ad h. a.

Annales Francofuld. ad An. 884.

II. Ad eundem annum Pagius, nec non Hansizius ex sinceriori Chronotaxi referendam autumant conversionem Bulgarorum per SS. Cyrillum & Methodium, ostenditque prior Porphyrogenitum magno errore lapsum, cum Theodoræ Augustæ hanc conversionem attribuit, quem simul errandi causam dedisse putat non modo Curopalati, Cedreno, & Zonaræ, sed etiam Baronio & Henschenio: nam verum quidem esse conversionem hanc anno quarto Michaelis Imp. accidisse at solius regnantis & Theodoræ jam tum ex aula ejectæ. Hansizius id etiam indubie ex Chronographo Salzburgensi argumentatur, qui ad hunc annum scribit: *Huni Christiani fiunt.* Videlicet quod non raro hoc ævo Germanis Scriptoribus Bulgari nomine Hunnorum veniant, quod ii passim Hunnorum terras occupasse non ignorati fuerint. Ipse vero contra hanc Chronologiam acerrime depugnat Clarissimus Assemanus, ac invictis prope argumentis ex Annalibus Bertinianis, Fuldensibus, Sigeberto, Anastasio plane coævo, imo quibusque literis Nicolai summi Pontificis ostendit hanc Bulgarorum conversionem, & maxime Bogoris Bulgarorum Principis baptismum minime ante annum 865. accidere potuisse. Nos pensatis utrinque virorum gravissimorum argumentis mediam deligere viam tutissimum quidem rati sumus, hoc, de quo agimus, anno dicamus cum Pagio & Hansizio SS. Cyrillum & Methodium jam jam fuisse in Bulgaria, isthic sparsisse semen Evangelii cum locuplete messe, multos Bulgarorum ad salvificam fidem per-

Pagius in Crit. Baron. ad An. 845. 866. Hansiz. Germ. sacr. T. II. p. 136.

Kalend. Eccles. univ. T. II. p. 170. seqq. & alibi.

perduxiſſe, clade illa a Michaele Conſtantinopoleos Imperatore accepta Bulgaros turmatim Chriſti fidem amplexos, accidiſſe etiam illud, quod de pictura extremi judicii a Divo Methudio in aula Bogoris delineata paſſim a Scriptoribus Græcis aſſeritur, at horum omnium complementum ſcilicet univerſalem Bulgariæ converſionem Bogorisque baptiſmum haud ante annum 865. ſeu initium anni 866. accidiſſe cum Eruditiſſimo Aſſemano merito adſtruimus, quo quidem tempore jam SS. Cyrillum & Methudium in Moravia verſatos ex poſterius dicendis teſtatiſſimum eſt. Et oppido liquet ex ipſis Græcis Scriptoribus: nec a S. Cyrillo nec Methudio Bogorem baptizatum, quandoquidem baptiſmus ei ab Epiſcopo impertitus aſſeritur, quo Eccleſiaſtici muneris gradu hactenus neuter illorum inſignitus fuit. Scilicet Scriptores Græci plurium annorum geſta una narratione, ut non raro fit, in unum congeſſere annum, eaque quæ poſteriobus acta fuere annis, innitiis adſcripſere. Atque hoc pacto videbimur conciliaſſe graviſſimorum veterum monumentorum antilogiam.

Verum quoniam ex hac Bulgarorum converſione Moravorum dein & gentis noſtræ ad Chriſtum acceſſio profluxit, in eaque luculentæ Divi Methodii Apoſtoli noſtri occurrunt memoriæ digniſſimum deputo ex uno alterove Scriptore Græco, quæ geſta ſunt, proferre: & quidem Şimeon Logotheta inquit: *Anno quarto Michael Imperator terra marique adverſus Goborem* (Bogorem) *Bulgarorum Principem copias educit. Bulgari apparatu audito, ac cum alias ferme conficerentur, quaſi tacti e cœlo obrigeſcentes, omnique abjecta victoriæ ſpe ante etiam agones & prælia nomen Chriſto dare depoſcunt, ac Romano ſubeſſe Imperatori. Michael vero in urbem inductos ſalutari omnes lavacro donavit, eorumque Principem ex ſuo nomine Michaelem appellavit. Ille ad ſuos reverſus Methodii pictoris manu ac penicilla judicium, futuramque retributionem in ſuis ædibus depingi curavit. Quamobrem etiam omnes ejus populares magis in eum accenſi tumultuantur, in quos ille cum paucis conſerta pugna victor, divinæque crucis collare* (ſeu pectorale) *ſignum circumferens omnes palam Chriſtianos fecit.* De S. Methodii pictura fuſius rem deſcribit Curopalates, quam is verius præcipuam cauſam adſtruit accelerati baptiſmatis. *Aliud vero accidit* (inquit) *quod Principem* (Bogorem) *ipſum in veræ fidei cultu magis confirmavit - - - Conſtructa nova domo Methodium quendam Monachum arte pictorem juſſit domum illam picturis ornare. Verum quaſi divina quadam providentia ductus non præſcripſit definite, quænam & qualia pingeret, verum quæcunque ipſe vellet, juſſit pingere, terribilia tamen eſſent, quæ pingerentur, ut ſpectantibus terrorem & metum incuteret.*

Anno IV. Michael. N. XXV

In Epit. hiſtor.

rent. Ille autem nihil terribilius noscens secundo Christi adventu, hunc ibi descripsit. Cumque jam finita esset illa pictura, conspicatus Princeps ex altera parte justorum cœtum coronari, ex altera vero impios puniri, & a pictore percepta picturæ mente statim propriam ejurat religionem, imbutusque, ut diximus, a sancto Episcopo divinis mysteriis intempesta nocte sacrum percepit baptisma. Baptismus vero hic dein primum consecutus anno 865. Divis Cyrillo & Methodio jam in Moravia degentibus, nec enim alteruter vitæ author memorat Bogorem seu Bulgarorum Principem ab his Divis conversum, minus baptizatum, a quo autem Episcopo administratum fuerit baptisma, nusquam proditum. Fuit igitur hoc præcipuum Divorum horum in gentem Bulgaricam Apostolici laboris meritum, quod non modo Bogorem eo induxerint, ut liberum exercitium eis permitteret per regiones suas subjecto populo Christum annunciandi, sed etiam animum ejus tantum inflecterent, ut ad suscipienda Christiana sacra propensissimum se ostenderet, quod re ipsa tandem paucis elapsis annis exsecutus est. Atque hæc est sincerior Chronologiæ crisis, quæ ex posterius dicendis magis magisque illustrabitur: vi cujus jam evertitur supputatio Balbini, Pessinæ, Stredovskii aliorumque nostrorum, qui jam sex septemve annis prius adventum sanctorum Cyrilli & Methodii in Moraviam defigunt, imo perperam cum Pessina jam hoc ipso anno Welehradii sedem Episcopalem a Nicolao summo Pontifice confirmatam scribunt, cum postea certis invictisque argumentis cognituri simus Divos hos nonnisi post annos duos e Bulgaria in Moraviam advenisse.

Balbin. Epit. l. 1. c. 3. alibique. Pessina Phosph. sept. Rad. 3. p. 118. Stredovsky l. 1. c. 12. Pessina Mart. Morav. l. 2. c. 5 S. Morav. hist. l. 2. c. 2.

Quod ad rem præsentem præterea spectare videtur: negat Stredovskius seu S. Cyrillum seu Methodium fuisse monachos, quod tamen præsertim de Methodio affirmant pene omnes Scriptores Græci & uterque vitæ Author, quam difficultatem elidere ac enervare anti cetera conveniisset Stredovskio. Et quanquam lubens ei adsentiar anti quitus voce *monasterii* non raro *Clericorum Ecclesiasticorum Collegium* indigitatum, tamen vix idoneum documentum is ex illa ætate protulerit, qu vox *Monachus* pro *Clerico Ecclesiastico* adhibeatur. Doctissima hac de r Seldeni observatio dicentis: *Voce Monachus, nullius familiæ nota adjecta Benedictinum intellectum semper apud veteres certum est, uti apud Græcos Basilianum.* Nec mirum quod S. Methodius artem pictoriam exercueri eo enim ævo cum Iconomachorum hæresis longe lateque in Orienta Imperio serperet, passimque sanctorum imagines contemnerentur, co fringerenturque, prospexit pietas Christiana periculo, ne sanctoru cultus penitus intercideret, itaque inventi passim Monachi, qui se

Seldenus ad Eadmer. p. 215.

ei

ei arti dederent. Sic narrat Anaſtaſius Bibliothecarius coævus circa hæc ipſa tempora ſcilicet anno 856. ab eodem Michaele Orientis Imperatore dona miſſa ad Benedictum Papam *per Lazarum Monachum picturæ artis nimis eruditum.*

ANNUS 862.

Kolodogius Pietimieri ex pago Hunatice filius, vir proceritate corporis æque & animi magnitudine ſpectabilis, quique nupera expeditione ſub Wſſebogio ſtipendia meritus non unum egregiæ virtutis ſpecimen ediderat, Wſſebogii gloria, præmiis, lætisque ſucceſſibus ſtimulatus, non deſtitit animum Neklani pulſare precibus: „ daret ſibi vel trecentos exercitatos præliis viros, exactu„ rum ſuis terris Kraſnikum, Ducatumque Kurimenſem „ Neklani Principatui adjecturum. „ Princeps collato cum conſiliariis capite adſenſit voluntati Kolodogii. Is, acceptis viris, ſilenti agmine, & itineribus quam occultiſſimis in hoſtem profectus, tam improviſus Curimio ſupervenit, ut ægre civibus ſcandendi mœnia, cataractamque dejiciendi ocium ſuppeteret. Primorum quatuor dierum noctiumque continenti jaculatione tantum lapidis telique oppido infuſum, ut & domus vicique operirentur illo nimbo, nec quisquam pro munitionibus conſiſtere, aut protrudere caput auderet, quin continuo deſtinatis ictibus figeretur. Hoc imbri nonnihil quieſcente, quinto die ab obſeſſis de eruptione cogitatum; ſed intercedentibus ſententiæ majoribus natu fruſtra fuit id conſilium, qua etiam nocte Kraſnikus deſperatis re- *Kolodogius vir ſtrenuus.*

bus clam per muros ex oppido demiſſus in Skalicium (a) caſtrum profugit, ignotusque omnibus ibidem latuit. (b) In octavum jam diem oppugnatione producta obſeſſi tandem, rebus in ſingulas pene horas arctius fluentibus, & nulla uſpiam auxilii affulgente ſpe, de deditione cogitare cœperunt, denunciatum obſidentibus: „ Omnia ſua in eorum poteſtatem „ tradituros, ſolam vitam deprecari. „ At reſponſum a Kolodogio: „ Quidquid veſtrarum facultatum eſt cum vita „ ipſa, quin deferre opus ſit, in manibus jam jam noſtris „ eſt, non dedito, non veniæ locus eſt. „ Cum reſponſo tam triſti ac inexorabili dimiſſis internunciis, irruptio in urbem facta, laboratumque tantiſper, dum ſuperior porta effringitur, ejus clauſtris atque obicibus a Brtako Horaci filio, illius, qui Kraſniko vulnus ſecundum manum inflixerat, ruptis, urbs momento capta, cæſum ſine diſcrimine, quidquid primo ſe furori obtulerat, reliquum populi, quod cladi ſuperfuit, Wiſſehradum pro captivis abductum, exhauſta præda inania tecta ſuo fato permiſſa, nec enim ſubjectus iis ignis, aut humi ſtrata. (c)

Wiſſehradenſes Curimium expugnant & diripiunt.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXII.

NICOLAI PAPÆ 5. LUDOVICI II. IMP. 8. NEKLANI 11.

(a) Skaliz caſtrum in regione Kaurzimenſi olim valentiſſimum urbe que Kurimio non longe remotum, hodie nomen amiſit, ſu perſunt in eadem provincia duo cognomines vici. Hic loc ſæculo XIV. Theodoricus Mündenſis Epiſcopus, & Præpoſitus Wiſſe hradenſis annuente Carolo IV. Imp. cœnobium ordinis Ciſtercien ſub

ſub titulo ad *Gratiam Beatæ Virginis* ampliſſima dote fundavit, cujus cœnobii diplomata tanta, bona fortuna, ſervata ſunt, quanta de nullo alio ex deletis hodie reperire licet.

(*b*) Dubravius, Boregk, & Paproczky abhinc eum in Moraviam cum nonnullis comitibus delatum ſcribunt ad Hormidorum Regem Moraviæ. Sed quis ille Hormidorus Rex Moraviæ hoc tempore fuerit, omnibus veteribus incognitum. *Dubrav. hiſt. Boem. l. 3. Boregk in Neklano. Paproczky in Diadoche c. 21.*

(*c*) Noſter P. Victorinus addit: jam jam nonnullos flammas ſubjicere paraſſe, ſed a ſanioribus ob loci reverentiam & Lechi memoriam fuiſſe prohibitos.

PRÆTERMISSA.

Hoc anno Carolomannus, ut irato patri ſatisfaceret, purgavit ſe de conſpiratione cum Raſtitio, aliisque ſibi objectis criminibus. Sic enim Annales Francofuldenſes: *Carlmannus per ſacramenta pacis & ſecuritatis ſuæ Reganesburgum venit, & reddita ratione convincit adverſarios, patriquc ſuo reconciliatur, juramento confirmans, ne contra ejus juſtam poteſtatem quidquam deinceps mente malitioſa machinaretur.* Annales vero Bertiniani inſuper eum invaſum regnum a patre in partem tuliſſe memorant: *Carolomannus Ludovici Regis Germaniæ filius conceſſa ſibi a patre regni portione, quam pridem invaſerat, & dato ſacramento, ne amplius inde ſine patris voluntate invaderet, cum patre pacificatur.* Sed diuturnitatem non habuiſſe hanc pacificationem innuunt iidem Annales, dum ajunt, Carolomannum noviter rebellaſſe, cum pater ducto in Obotritos exercitu Ducem eorum Tabamuizilem ſubigeret, nam ſubjungunt: *Ludovicus ad reconciliandum, vel ad reſiſtendum filio ſuo, qui auxiliante Reſtitio Winidorum Regulo contra patrem rebellaverat, Bajoariam petiit.* Atque cum res Carolomanni præſidio Raſtizii his partibus incrementum caperent, factionique adverſæ metum conciliarent, ea de cauſa memorat Adelzreiter, Gundacarum, qui Carolomannum apud patrem prodiderat, urgente conſcientia pariter ad Raſtizen confugiſſe, ei vero in Carantania ſubſtitutum Hezilonem Prinninæ filium. *Annal. Franc. ſuld. ad h. a.* *Annal. Bertin. ad h. a.* *Annal. Bojor. P. II. 11. §. 25.*

Ceterum non prætereundum id ſilentio, quod non mediocriter Clariſſimum & de rebus Slavicis meritiſſimum Virum Joſephum Aſſemanum aliosque Hungariæ Scriptores torſiſſe comperi: qui cum in iis- *In Kalendariis Eccleſ. univerſæ T. II. p. 164.*

dem Annalibus Bertinianis ad hunc annum *Ungrorum* memoriam reperirent, existimavere eosdem esse cum Ungaris, quos primum anno 889. in Pannoniam irrupisse ex Annalibus Metensibus aliisque coævis Scriptoribus certum est. *Ungri* vero hi seu aliter a Continuatore Reginonis vocati *Unorani* item etiam *Ugri*, *Uchri*, *Ukrani* erant Slavici populi in hodierna Pomerania inter fluvios Havelam & Oderam in *Ucro-Marchia*, quæ nomen etiam hodie inde retinet, & de quorum limitibus copiosissime agit Abbas Gottvicensis, nosque eorum situm in tabula nostra Geographica Parte II. indicavimus. Non enim obscure ex iisdem Annalibus eruere licet authorem loqui de Ungris vicinis Obotritis, apud quos bellum gesserat Ludovicus.

Ad An. 934.

Chron. Gottvicense l. 4. p. 829.

ANNUS 863.

Confecto Curimensi bello, tanto acrius Zatecense recruduit, malignitate fortunæ cognata arma ad mutuam perniciem exercente. Wlastislaus, uti ad tempus omissa acrius resumuntur, utique atrocia plerumque ac diuturna cognatorum sunt odia, remis velisque ad exscindendum Wissehradensem Principatum ferebatur. Tam sævum consilium, quo certius perficeret, convocatos ad se nonnullos e Proceribus hoc fastu alloquitur: „ Næ vos „ pridem in vinculis meis effæminatum illud Neclani caput „ gemens conspiceretis, Principatumque Wissehradensem „ jugum nostrum præceptaque ferre, nisi invisa Germanorum „ natio fortunatissimos progressus ipso in medio cursu stitis„ set. Sed prolata solum in tempus est, minime sublata ex„ stinctaque vindicta pridem imis concepta visceribus. Ii „ igitur consiliorum saluberrimum mihi visum: præmittendæ cohortes nonnullæ, quæ agrum Wissehradensem late

„ re

„ re omni lanient, hoſtisque copias diſtrahant, tum omni „ exercitus robore irrumpendum, Principatusque indignis, „ & tractando clavo minus idoneis manibus eripiendus. „ Nemo non fuit, qui conſilia Principis non modo ſuo probaret ſuffragio, ſed & auctor hortatorque ad celeriter audendum exiſteret. Nec mora, delecti viginti ſupra trecentos militari fortitudine viri, præfectisque traditi cum imperio, ne ſeu ætati, ſeu ſexui parcentes terrorem, vaſtitatem, ignem, cædemque ad Pragenſes usque portas circumferrent. Wiſſehradi ex fumantibus late villis cognito hoſtium adventu trepidatum nonnihil initio; confirmato dein ex ſuperioribus victoriis animo, emiſſus in hoſtem cum exercitu non minimo Kolodogius. Ut iſthuc Wlaſtislaus intellexit, ſubito militem ſuum tribus agminibus locisque diſcretum contraxit, obviamque Tuhanium (a) usque Neklani proceſſit copiis. Dimicatum iſthic, ut inter infeſtiſſimos animos, acriter, dubioque aliquamdiu & ancipiti Marte pugnatum; cadente demum cum promtiſſimis Kolodogio, ſecundiſſimus fuit Wlaſtislao eventus prælii.

Nova Wlaſtislai expeditio contra Neklanum.

Prælium ad Tuhanium.

Wlaſtislaus victor.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXIII.

NICOLAI PAPÆ 6. LUDOVICI II. IMP. 9.

NEKLANI 12.

a) Prælii hujus campum prope Melnicium in ipſis Albis fluvii ripis fuiſſe memorat noſter P. Victorinus. Reperio iſthic adhuc ſuperſtitem vicum *Duban* inter Trzeboſch & Przibor pagos.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

Annal. Francofuld. ad h. a.

I. Hoc anno rursum Rastitii in Annalibus Francofuldensibus & Bertinianis occurrit memoria: Priores ita habent: *Carlemannus filius Regis, qui prælatus erat Carentanis, tam multis criminibus, & tam magni apud patrem absens accusatus est, ut merito reus majestatis haberi debuisset, si ea, quæ in eum dicta sunt, ab accusatoribus probari potuissent. Quod regis animum adeo commovit, ut per se ipsum coram frequentia populi sui protestatus sit: Karlemannum filium suum ab eo tempore & deinceps, donec ipse viveret & regnaret, sua voluntate publicis honoribus nunquam esse potiturum. Quo audito Karlemannus ab itinere, quo ad palatium ire cœperat, perterritus, in Carinthiam se recepit, ibi tutari apud suos, quos sibi fideles arbitratus est, volens, donec patris ira quiesceret, & ipse per internuncios veraces sibi fallaciter objecta purgaret. Interea Rex collecto exercitu specie quidem, quasi Rastices Margensium Sclavorum Ducem cum auxilio Bulgarorum ab oriente venientium (ut fama fuit) domaturus, re autem vera ad Carantanos filium expugnaturus accessit, qui revera ad id temporis defenderet, nisi proditione Gundachari Comitis sui deciperetur incautus, qui totum pene robur exercitus secum habens, quasi vada fluminis Hin hostibus prohibiturus, cum omnibus copiis transivit ad Regem, & prælatus est Carantanis, sicut ei prius occulte promissum est, si dominum suum fraude decepisset. Et hic quidem præfecturæ dignitatem hoc modo promeruit. Carlemannus vero per juramenta principum venit ad patrem de objectis sibi criminibus securus, quia innocens erat, & testimonio conscientiæ fretus, lætum se per omnia exhibebat, atque jucundum.* At Annales Bertiniani in custodia retentum his verbis indicant: *Alium Missum fratris* (Ludovici) *nomine Bitgarium accipit* (Carolus Franciæ Rex) *petentem, ut Carolomannum filium ejus a Rastitio Winidorum desertum, & a fugatum, si ad illum venerit, non recipiat. Quem non longo post tempore: deceptum atque desertum a suis sub conditione sacramenti pater suus Ludovicus recepit, & secum in libera custodia retinuit.* Erravit itaque Spangenbergius, dum hoc anno domitos a Ludovico Moravos scribit, quibus quanquam bellum se illaturum simulaverit Ludovicus, nuspiam tamen intulisse legitur. Nec minus Pessina a vetustorum relatis multum recessit, cum fusissimo stylo bellicos motus Carolomanni & Arnonis Herbipolensis Episcopi contra Radislaum susceptos, Moravorum spolia, Slavatæ se consilia persequitur.

Spangenberg. Chron. Sax. c. 102. Pessina Mart. Morav. l. 2. c. 5. p. 148.

II. Tandem annus ter fortunatus auroque notandus illuxit, qu Divos Cyrillum atque Methudium in regiones nostras adduxit; quo

rum

rum auſpiciis Moravi gensque noſtra deterſo gentilitatis errore penitus ad Chriſtiana ſacra acceſſerunt. Rem narrat ſequentibus pervetuſtus Author vitæ Eorundem Sanctorum Scriptor: *Philoſopho* (S. Cyrillo) *reverſo* (a Cazaris) *Conſtantinopolim, audiens Raſtislaus Princeps Moraviæ, quod factum fuerat a Philoſopho in Provincia Cazarorum, ipſe quoque genti ſuæ conſulens ad prædictum Imperatorem* (Michaelem) *nuncios miſit, nuncians hoc, quod populus ſuus ab idolorum quidem cultura receſſerat, & Chriſtianam legem obſervare deſiderabat, verum doctorem talem non habent, qui ad legendum eos, & ad perfectam legem ipſos edoceat: rogare ſe talem hominem ad partes illas dirigat, qui pleniter fidem, & ordinem divinæ legis, & viam veritatis populo illi oſtendere valeat. Cujus precibus annuens Imperator eundem ſupernominatum Philoſophum ad ſe venire rogavit, eumque illuc, id eſt, in terram Sclavorum ſimul cum Methodio germano ſuo transmiſit, copioſis valde illi de palatio ſuo datis expendiis.* Dlugoſſus præter Raſtislaum memorat etiam Suentopelum & Kocziel legationem ad eundem Orientis Imperatorem miſiſſe pro fidei Magiſtris, quod non incredibile, quandoquidem Presbyter Diocleas ab eodem S. Cyrillo Suentoplucum Chriſtianæ Religionis initiis imbutum aſſerit, & Anonymus vetuſtus non obſcure docet: S. Methudium in Kocziel ſeu Hezilonis terris, quæ Salisburgenſis Eccleſiæ jurisdictioni ſubjectæ erant, Evangelium Slavis annunciaſſe. Recte autem vitæ hujus author innuit jam tum Moraviæ populum ab idolorum cultura receſſiſſe, non quidem omnem, ſed magnam ejus partem, cum ſuperioribus annis oſtenderimus Yrolphum, Virgilium, Amandum aliosque in agro Moravico deſudaſſe. Quare etiam Epiſcopi Bavariæ meritum adductæ ad Chriſtum Moraviæ ſibi vindicant in querela ſua ſummo Pontifici Joanni delata ita ſcribentes: *Qui* (Marahenſes) *exinde* (videlicet ex Bajoaria) *primum imbuti, & ex paganis Chriſtiani ſunt facti.* Et procul dubio meritum illud anno 845. converſorum XIV. Ducum Boemanorum, quos inter Moravos quosque comprehenſos fuiſſe credibile, ad Epiſcopos Bajoariæ & cumprimis Ratisbonenſem ſpectabat.

Acta SS. Bolland. ad 9. Martii.

Dlugoſſ. hiſt. Pol.

Presb. Diocleas in Regno Slav.

Anonym. de Converſ. Bojoar. & Carens.

Gevold. in addis Hundii T. I.

III. Hæc autem vera epocha eſt, annusque certus adventus SS. Cyrilli & Methodii in Moraviam: Recte enim adnotavit Pagius falſum eſſe Bollandum (Henſchenium ſcribere voluit) in commentario prævio ad vitam SS. Cyrilli & Methudii §. IV. dum exiſtimavit ſanctos hos jam ante annum 856. ad Moraviam adveniſſe. Nam cum uterque vitæ author dicat SS. Cyrillum & Methudium per annos quatuor & dimidium Evangelium in Moravia diſſeminaſſe, ac demum Romam

conceſſiſſe juſſu Nicolai Papæ, qui eodem anno videlicet octingenteſimo ſexageſimo ſeptimo demortuus eſt, ducto calculo adventus ipſorum in Moraviam haud alio anno quam præſente accidere potuit. Rei hujus indicium haud obſcurum in ipſis Annalibus Francofuldenſibus ad hunc annum eſſe deputo, in illis enim legitur famam fuiſſe: Raſticen imminere Francico Regno *cum auxilio Bulgarorum ab oriente venientium.* Quam famam unde demum in terris caſtrisque Francorum ortam dicamus, quam ex ſumtuoſiſſima legatione Michaelis Imperatoris orientis, de qua ſupra laudatus vitæ ſcriptor? quæ videlicet multo Bulgarorum comitatu, Apoſtolos ſuos SS. Cyrillum & Methodium peculiari veneratione proſequentium, ſtipata eos ad Moraviam deduxit. Nam alter vitæ author verbis expreſſis memorat ſanctos hos a Bulgaris ad Moravos tranſiiſſe, ſic enim ille: *Egreſſus* (S. Cyrillus) *itaque primo venit ad Bulgaros, quos divina gratia cooperante ſua prædicatione convertit ad fidem. Abinde autem procedens venit in terram Moravia.* Et procul dubio huc collimant Annales Weingartenſes, dum ad hunc annum ſcribunt: *Gens Hunorum Chriſtianitatis nomen aggreſſa eſt.* Conſtat enim retroactis Hunnis jam a Caroli M. tempore pauciſſimas hujus gentis eſſe memorias, paſſimque Scriptores poſterius eos populos Hunnorum nomine cenſuiſſe, qui in eorum terras ſucceſſere, quemadmodum P. II. docuimus Moravos in omnes Transdanubianas Hunnorum regiones ſe ſe immiſiſſe.

Annales Francofuld. ad h. a.

Apud Mabillō. Veter. Analect. edit. Nov. p. 368.

IV. Hanc vero epocham quam etiam amplexus eſt Joan Georg. Ekhard in rebus Francicis, pluribus argumentis vel ob eam cauſam roborare noſtra intererat, quod Clariſſimus Aſſemanus ex Bogoris Bulgarorum Regis baptiſmo, qui omnino anno 866. accidit, argumentetur SS. Cyrillum & Methudium primum anno 866. ad Moravos venire potuiſſe, cenſeatque illos *quatuor & dimidium annum*, quibus uterque vitæ author hos Divos in Moravia commoratos ſcribit, non ſolum ad Moravos, ſed etiam Chuzaros & Bulgaros ſpectare, imo non tanti hujus utriusque Scriptoris authoritatem reputet, utne aliis coævis repertis documentis ſibi integrum eſſet, ab ejus relatis diſcedere. Verum quoniam eruditiſſimus vir hunc utrumque vitæ Scriptorem optima fide ſecutus eſt in ea epocha, quam uterque itineri SS. Cyrilli & Methudii in Italiam Romamque ad Nicolaum Papam defixit, ſi præterea in aliis utroque tanquam regula utimur, ad quam narrationes Chronologiamque ad aptare placuit, non video cur hac in parte ipſis fidem derogemus au-

Kalend. univ. Eccleſ. T. III. P. I. c. 2. p. 122

authoribus præſertim tam vetuſtis, & quorum prior coævus fuit, ut non levibus argumentis probat Henſchenius. Mirandum profecto, ſi ſub Bogoris baptiſmum, circa annum 866. adhuc SS. Cyrillus & Methudius in Bulgaria, Principisque aula fuere, de illis nullam mentionem fieri nec in epiſtola Bulgariæ Regis ad Nicolaum data, nec in reſponſionibus Nicolai ſummi Pontificis, nec in aliis literis ad Bogorem ejusque Proceres datis, cum tamen Epiſcoporum Bulgariæ aliorumque luculentæ inſint memoriæ. Et ſane ſi S. Cyrillus nonniſi anni 866. fine aut plane 867. initio venit ad Moraviam, quantillo hic eum tempore demoratum dicemus, cum jam medio ſequenti anno eum Romam ad Nicolaum Papam conceſſiſſe non ipſe diffiteatur vir Doctiſſimus? tam momentaneumne hujus Apoſtoli in Moraviam meritum, tam paucorum menſium labores aſſeremus? At ut jam ante ad annum 860. inſinuavimus, conciliari poteſt præter vim uterque vitæ author cum Annalibus Bertinianis, Fuldenſibus, Nicolaique Papæ literis, ſi dicamus SS. Cyrillum & Methudium procuraſſe quidem magnam partem converſionem Bulgarorum, diſpoſuiſſe Bogoris animum ad Chriſti fidem amplectendam, nam Annales Bertiniani ad ſequentem annum ajunt, Caganus Bulgarorum *ſe Chriſtianum fieri velle promiſerat*, & ad annum 866. qui præcedente anno - - - Chriſtianus fieri meditatus fuerat. At illius baptiſmum, hancque conſecutam univerſalem Bulgarorum ad ſalvificam Dei viventis doctrinam acceſſionem tandem annis duobus poſterius accidiſſe, cum uterque Divorum jam in Moravia Evangelii ſemen jaceret. *Annal. Bertin. ad An. 864. & 866.*

V. Et ne præteriiſſe videamur ea, quæ contra epocham hanc ex Balbini & Peſſinæ ſententia movet Stredovskius: ait vir hic Eximius ſe ſe eam ob cauſam non poſſe amplecti annum 863. quod neceſſario ſequeretur: SS. Cyrillum & Methodium cum Photio Pſeudo-Patriarcha cenſuris innodato communicaſſe. At habemus clarum Anaſtaſii Bibliothecarii coævi teſtimonium aſſeverantis, quod quanquam Conſtantinus ſeu S. Cyrillus primum amice uſus fuerit Photio, tamen cum animadverteſſet eum ab Eccleſiæ Romanæ doctrina recedere, graviſſime ab illo fuiſſe objurgatum. Nec enim omnes, qui Græcæ fuere Eccleſiæ aut ex Græcia his temporibus venere, Photio faverunt, conſtat ex geſtis Nicolai Papæ multos Epiſcopos, ac cumprimis Monachos perpetuo partes Romanæ Eccleſiæ & S. Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani fuiſſe tuitos, plurimos eorum, ut Michaelis Imp. & Photii ſchiſma *Anaſtaſ. in præfat. hiſt. ad octavam ſynodum.*

declinarent, Romam confugiſſe. Sane dum maxime Photii ſchiſma Conſtantinopoli & in Græcia increbreſceret, uterque hic Divus jam abfuit, verbumque divinum in Bulgaria diſſeminavit, nec uſpiam legitur præcepta inſtitutionesque accepiſſe a Photio, ſed a ſede Romana, quæ ipſa & vix alia cauſa eſſe videtur, quod Photius in notiſſima illa epiſtola, quæ apud Baronium ad annum 862. legitur Moravorum converſionem tantis ſuis jactationibus non immiſcuerit, ſi certa ſunt, quæ Aſſemanus adſtruit hanc epiſtolam ab eo tandem nequiter anno 867. fuiſſe effictam. Quin etſi dicamus juſſu Imperatoris & Patriarchæ ſchiſmatici hanc Moravorum converſionem a SS. Cyrillo & Methodio fuiſſe ſuſceptam, an id quidpiam ipſorum ſanctitati derogat? quandoquidem opus ſanctiſſimum ſcilicet converſionem gentium aggreſſi ſunt, obedientes in his mandato Apoſtoli, ut etiam Præpoſitis diſcolis obedientia præſtetur, ceterum doctrina & animo longiſſime ab iis diſſentientes, & Romanæ Eccleſiæ, ut geſta poſteriora teſtatum facient, perpetuo adunati.

ANNUS 864.

Arx Kukle conditur.

Huic anno originem ſuam debet munitiſſima altisque incincta ſilvis arx Kukle, (a) quam vir quidam divitiis & auctoritate potens cognomento Haluſs conſtruxit. Sortita vero nomen, quod ejus conditor frequenter inde cum ſua manu erumpens tam occulte prædas ageret ex Satecenſi agro, ut neque quis eſſet, neque unde proreperet, neque quo prædam abigeret, noſceretur; arx itaque illi inſtar bardocuculli, quem Slavice Kukle dicimus ad ſtruendas inſidias & latrocinationes deſerviret. Non latuere autem auſus hi Neklanum, qui tanti contra Satecenſes ſuſcepti facinoris etiam conſultor laudatorque exſtitit.

Per

Per eosdem dies Wlaſtislaus caſtrum firma & elegan-
ti ſtructura Lowin (b) appellatum magnis ſumtibus extulit, *Lowinum con-
ea uxori Widislawkæ Brzezky de Prautek filiæ & ſedes & diſur.*
voluptuarium fuit, quam illa poſtea gyneceis, ambulacris
odoratis, balneis, omnique muliebri elegantia exornavit
adeo, ut ei ætati miraculo eſſet. Erat vero Widislawka
incredibilis prope venuſtatis mulier, magicarumque artium
incantamentis famoſiſſima, cui caſtrum hoc pro ſchola & fa-
no præſtigiorum ſuorum fuit, ſed & haud multo poſt horri-
bile buſtum, idemque prænuncium fatalis obitus mariti an-
no deinde vertente ſecuti. Eam quippe impura malorum *Widislawka
dæmonum ſacra in arcis iſtius larario procurantem dejectum fulmine icta
cœlo fulmen ad impias aras in fruſta diſcerpſit. (c) per is.*

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXIV.

NICOLAI PAPÆ 7. LUDOVICI II. IMP. 10.

NEKLANI 13.

(a) Hujus caſtri ſitum nullo documento prodere licuit, nec vero in Balbini Catalogo deſertarum arcium comparet. Hagekus in ſyllabo ſuo caſtrorum poſterius adjecto nudum nomen *Kukla* profert. Legitur caſtrum Kuchel ſæculo XII. in coævis Scriptoribus, in quo ſcilicet Maynhardus Epiſcopus Pragenſis anno 1132. ruente a ſummo ſaxo pene oppreſſus fuiſſet. Sed caſtrum hoc Pragam inter & Aulam Regiam ſitum fuiſſe, hodieque nomen vico dediſſe paſſim creditur. Aliud nominatum caſtrum in Bohemia fuit *Kukelweit*, at in regione Bechinenſi.

(b) Num Lowin caſtrum illud ſit, quod Dalemilus Lowoſen appellat, & prope quod Wlaſtislaviam urbem conditam memorat, non habeo exploratum. *Dalemil. c. 17.*

(c)

(c) Unde hanc Widislawkam uxorem Ducis Wlastislai, historiamque dejecti e cœlo fulminis, tacentibus veteribus omnibus, acceperi Hagecius, tectum est.

PRÆTERMISSA.

Annal. Bertin. ad h. a.

I. Fertiles hoc anno Annales Francorum de rebus Moraviæ: Bertiniani quidem nonnisi loquuntur de consilio Ludovici cepto ad componendas res Winidorum, at vero Fuldenses gravem expeditionem nobis annunciant. Priorum verba sunt: *Ludovicus Rex Germaniæ hostiliter obviam Balgarorum Cagano nomine, qui Christianum se fieri velle promiserat, pergit: inde ad componendam Winidorum marcham, si se prosperari viderit, perrecturus. - - - Carolomannus filius Ludovici Regis Germaniæ, qui in libera custodia cum patre suo morabatur, simulans se venatum ire a patre fuga labitur, & marchas sibi a genitore ablatas cum consensu Marchionum, qui eum tradiderant, reoccupat. Quem pater e vestigio insequens sub firmissimum conditionem ad se venire facit, & ei honores donat.* Fuldenses vero: *Ludovicus Rex in mense Augusto ultra Danubium cum manu valida profectus Rastizum in quadam civitate, quæ lingua gentis illius Dowina* (Dewina) *id est pulla dicitur, obsedit. At ille quum copiis regiis congredi non auderet, atque loca sibi effugiendi denegata cerneret, obsides, quales & quantos Rex præcepit, necessitate coactus dedit; insuper cum universis optimatibus suis fidem se cunctis diebus Regi servaturum esse, juramento firmavit, licet illud minime servaverit.* Chronicon Herveldense, Hildesheimense & Schafnaburgense brevissimis verbis rem absolvunt: *Ludovicus Rex Ratzidum Regem Marahensium sibi subjugavit.*

Ad hunc an.

II. Ego vero non vane suspicor, quæ author Annalium Fuldensium de Rastice hic narrat, pertinere ad Zuentibaldum seu Suatoplucum ejus nepotem, referrique huc illa ex querela Episcoporum Bajoariæ, quæ jam ad annum 860. præoccupavi de occupatis a Suatoplucu trans Danubium in regione Nitriensi Privinnæ, hoc vel superiori anno extinctæ possessionibus, quas ut Ludovicus Heziloni filio ejus, clienique suo vindicaret, in regionem hanc contra Suatoplucum occupatorem arma movit, tamque imparatum oppressit, ut antequam Rastices sue currere posset, eum ad dandos obsides & juramento firmandas pacis conditiones cogeret. Nam cum querela hæc dicat: a Zuentibald Nitriensis regionis gentem bello domitam sibique subjectam, id annan-

Gevold. in addit. Hundii T. I.

annum 870. contigiſſe oportuit, quo demum is alioquin ſublato Raſtice univerſæ Moraviæ dominatum conſecutus in omnes avunculi poſſeſſiones ſucceſſit. Nec vero uſpiam vel in ipſis Francicis Scriptoribus aliquod inteſtinum his partibus bellum legitur, ut Zuentibaldo ab occupato regno rurſum opus fuiſſet ditionum harum populum noviter bello ſubjugare. Tum vix credibile Raſtizen, qui his annis viribus & potentia plurimum invaluerat uno per Danubium tranſitu ita fuiſſe perculſum, ut Ludovici copiis congredi non auderet, ita conſtringeretur, ut locum effugiendi non amplius haberet, imo in ipſa ripa Danubii primoque ſtatim caſtro obſideretur, ad obſides dandum duriſſimasque conditiones juramento firmandas adigeretur. Nec ſi id aſſeruerimus quidpiam authoritati Annalium Francofuldenſium derogaverit, cum certum ſit Zuentibaldum ante occupatum Moraviæ principatum feudatarium fuiſſe Raſticis, nec cognitus fieret Scriptoribus Francicis, quam dum anno 870. avunculum captivaſſet, Franciſque tradidiſſet, hinc proeul dubio factum, ut illi Raſtizi ea adſcriberent, quæ proprie ad Suatoplucum ſpectabant, quæque in feudatarii privatique Ducis terris geſta, ipſi ſummo Moraviæ Toparchæ imputarent. Id ſi admittimus, liberamus Ratislaum a perjurio, quod ei impingunt Annales Francici, quodque multum exacuunt Scriptores quique poſteriores Germani. Nam jam Parte II. ex Priſco & Helmoldo docuimus Slavos in præſtandis juramentis fuiſſe parciſſimos, in ſervandis autem tenaciſſimos. Peſſina quidem (at ſine tabulis) ut Ratislaum ab his conviciis purgaret, ait vi extortas fuiſſe pacis conditiones in excidium regni Moravici, & forſaſſe totius Slavici nominis. Nam Ludovico his ipſis conditionibus admiſſum fuiſſe, ut e ſiniſtra Danubii ripa inque Raſtislai terris exſtruere duo munimenta, eaque Francicis præſidiis tutari poſſet, quæ cum is cognoſceret ſibi ſummo eſſe periculo vi deturbaſſe. At mea ſententia, ſi concedimus juramentum hoc ad Raſtislaum pertinuiſſe, rerius conſulemus ejus exiſtimationi, ſi dicamus ſollicitatum a pluribus Marcarum Comitibus Francicis finitimarum, ipſisque Ludovici filiis, qui in patrem conſurgentes ejus opem imploraverant, id enim non obſcure indigitatur a diverſis Francicis Scriptoribus. Cum itaque Ratislaus videret ſcindi regnum Franciæ, certoque ſperare poſſet majorem a filiis tranquillitatem habiturum, ſi eos adjuvaret, alia præterea non levia argumenta haberet pacem cum Ludovico rumpendi, quid mirum, ſi homo præſertim Ethnicus, quod non tam ſuam, quam filiorum Comitumque cauſam ageret, integrum ſibi eſſe credidit, citra piaculum a ju-

Peſſina Mart. l. 2. c. 5. p. 152.

juramento recedere. Certe major culpa in filios Comitesque refundenda, qui non ignari hujus a Raſtislao præſtiti juramenti, nulli religioni ſibi duxerunt illum ad id rumpendum exſtimulare, ac urgere.

III. Et ne prætermittamus ſitum caſtri Dewin, cujus in Annalibus Francofuldenſibus mentio fit: Peſſina id habet pro Dewin ſeu etiam Podiwin. At geſta Ludovici cum Podivin, quod in extremis Moraviæ limitibus Boemiæque vicinis ſitum erat, & quod olim ad Epiſcopos Pragenſes ſpectabat, minus reſpondent. Jordanus de ſitu hujus caſtri ita commentatur: *Dovina ſeu Devina Slavice, Dievin Bohemice, puella latine, eſt arx diruta in bodiernis Hungariæ confiniis ultra Moravum fluvium, nunc Teben (ex Devina corrupto nomine) germanice, aſt ab incolis Slavicis hodie quoque Dovina & Devina nuncupata.* Nec diſſenſiſſe videtur Abbas Gottvicenſis, qui id pene ad oſtia Moravæ fluminis e ripa ſiniſtra Danubii ſub nomine *Teben* reponit in ſua tabula Geographica veteris Germaniæ. Et quidem ſub eodem nomine comparet paſſim in mappis Geographicis Hungariæ noviſſime excuſis. Ceterum longe abſunt a vero, quæ Timon & Peſſina ad hunc annum rejiciunt: videlicet Raſticen in Noricum irrupiſſe, Avarumque opera Viennam ſeu Favianas occupaſſe, quod veroſimillime aliqua conjectura ex Hermanno contracto aucupati ſunt, qui ex Annalibus Weingartenſibus anni ſuperioris verba eadem adfert: *Hunni Chriſtianitatis nomen aggreſſi ſunt*, perperam verbum *aggreſſi* tanquam hoſtilem motum explicantes, cum illud accipiendum ſit ex propria ſignificatione pro *auſpicati ſunt* ſeu *gerere inceperunt*, ut id explicat compilatio Chronologica ad eundem annum: *Hunni convertuntur.*

Peſſina eit. loc.

Orig. Slav. Num. 989.

Timon in antiquæ Hung. imag. l. 2.

Apud Leibnit. T. II. p. 63.

IV. Annus hic ſecundus eſt adventus SS. Cyrilli & Methodii in terras Moraviæ, & quanquam de illorum geſtis non habeamus per annos digeſtam hiſtoriam, tamen ad initia maxime ſpectare videntur, quæ alter vitæ author de indefeſſa ſollicitudine in jactando verbo divino commemorat. *Quotidie cum frutre ſuo Methudio perluſtrabat* (Cyrillus) *vicos & villas, oppida & civitates inſtillando in aures fidelium verba vitæ: docens populum per baptiſmum remiſſionem peccatorum accipere, nec eos aliter ſalvari poſſe veraciter proclamabat. Dum hæc ſaluberrima vir Dei prædicaret eis quia, & in corde regis ac populi jam inſpirata divinitus illuxiſſet gratia, Rex ipſe cum multitudine populi ſui hac doctrina firmiter confortatus non moratus via, nil dubitans in fide hilaritate magna animi, magna ſpe ſalutis præſentis & futuræ in-*

Acta SS. Bol. ad 9. Martii.

intimis inſtabat poſtulationibus, quatenus Catholicæ fidei cum firmis initiaret ſacramentis. Hoc ut audierunt viri ſancti præ gaudio lacrymati pro eorum converſione & deſiderio deprecabantur dominum inſtantius: deinde ſacri baptiſmatis unda mundatum æterno Regi munus acceptabile Regem obtulerunt mortalem. Cumque viri Dei ipſum Regem cum pòpulo ſuo religioſa ſollicitudine ad fidei lumen omnino provocaſſent, illis deinde novum & vetus teſtamenta exponentes, & informantes eos plura de Græco & latino transferentes in Sclavonica lingua Canonicas horas & Miſſas in Eccleſia Dei publice ſtatuerunt decantare. E quibus eruere licet Raſtislai baptiſmum inter annum 863. & 867. quo S. Cyrillus Romam profectus eſt, nec amplius ad Moraviam redivit, accidiſſe. Verum Clariſſimus Aſſemanus hunc Raſtislai baptiſmum in dubium vocat, allato enim ex epiſtola Epiſcoporum Bojoariæ loco, quo dicitur Moravos primum a Bojoariis Chriſti fide imbutos & ex paganis Chriſtianos factos ſubjungit: *Nulla hic mentio Cyrilli & Methodii Moravos ad Chriſti fidem adducentium; quin imo ante eorum tempora dicuntur Moravi a Bajoariis Epiſcopis ex paganis Chriſtiani facti. - - - Adeoque ſi verum eſt, quod de SS. Methodio ac Cyrillo in Moraviam a Raſtice evocatis narratur, præcipuum hac in re conſilium Raſtici fuiſſe oportet, ut ſancti illi viri a Moravorum gente, quæ ibi irrepſerant vitia evellerent, & literas, quibus Moravi carebant, edocerent. Id quod apertis verbis in priore vita inſinuatur, ubi ſic legitur:* „ *Philoſopho reverſo Conſtantinopolim audiens Raſtislaus Princeps Moraviæ, quod* „ *factum fuerat a Philoſopho in provincia Chazarorum, ipſe quoque genti ſuæ* „ *conſulens, ad prædictum Imperatorem nuncios miſit, nuncians hoc, quod po-* „ *pulus ſuus ab idolorum quidem cultura receſſerat, & Chriſtianam legem obſer-* „ *vare deſiderabat* (ergo id totum, verba ſunt Aſſemani, non opera SS. Cyrilli ac Methodii, ſed Præſulum Bajoariorum jam factum fuerat) „ *verum doctorem talem non habent, qui ad LEGENDUM eos, & ad perfectam* „ *legem ipſos edoceat: rogare ſe talem hominem ad partes illas dirigat, qui ple-* „ *niter fidem & ordinem divinæ legis, & viam veritatis populo illi oſtendere* „ *valeat. Cujus precibus annuens Imperator eundem ſupernominatum Philoſo-* „ *phum* (Cyrillum) *ad ſe venire rogavit, eumque illuc, id eſt, in terram Scla-* „ *vorum ſimul cum Methodio germano ſuo transmiſit.* „ *En igitur Moravi jam ab idolorum cultu receſſerant, Chriſtianam fidem amplexi: ſed literis Slavonicis carebant, quibus inventis pleniter fidem & ordinem divinæ legis & viam veritatis a SS. Methodio & Cyrillo edocti ſunt.* Hactenus Doctiſſimus Vir. At juxta communem regulam priora ex poſterioribus elucidanda ſunt, cum igitur idem prioris vitæ author, ut mox ſupra verba illius retulimus, dicat: *Deinde ſacri baptiſmatis unda mundatum* (videlicet Raſtislaum) *æter-*

T. III. P. I. c. 2. p. 130.

aterno Regi munus acceptabile Regem obtulerunt mortalem. Cumque Viri D ipſum Regem cum populo ſuo religioſa ſollicitudine ad fidei lumen omnino prov caſſent &c. ut ne dicamus unum eundemque authorem in narratis ſu ſibi contradixiſſe, verba priora accipienda ſunt de deſiderio & volu tate amplectendæ fidei Chriſtianæ, niſi malimus dicere ſcribarum oſc tantia in priore narratione aliquid omiſſum fuiſſe, quo declaretur ſolu aliquam partem populi jam receſſiſſe ab idolorum cultura, non omn no omnem, ita ut legendum ſit: *Quod populus ſuus non modicus ab idolor quidem cultura receſſerat.* Quemadmodum eadem pene verba legunt de Bulgarorum converſione in Annalibus Francofuldenſibus ad annu 866. Nam non negamus ante adventum SS. Cyrilli & Methudii, quo alibi crebrius indicavimus, multos Moravorum baptiſmi lavacro ja fuiſſe tinctos opera cum primis Epiſcoporum Bojoariæ. SS. Cyrill & Methudio autem omnem negare gentis Moravicæ converſionem, ſolum quandam vitiorum exſtirpationem, ipſamque literarum Slavica rum inventionem concedere, violentum eſt, hoc enim titulo vix qui dem Moraviæ Apoſtolorum nomen perpetua fama & traditione meri tos autumo. Imo ex ipſa Epiſcoporum Bajoariæ querela haud obſcu re eruitur SS. Cyrillum & Methudium in regione Nitrienſi, quæ pa Moraviæ erat, gentem ad Chriſtum adduxiſſe, ſic enim ibidem legitur

Gevold. in addit. Hundii T. I. p. 31. *Anteceſſor veſter Zuentibaldo Duce imperante Wichingum conſecravit Epiſcopu & nequaquam in illum antiquum Patavienſem Epiſcopatum eum transmiſit, ſe in quandam Neophitam gentem, quam ipſe Dux domuit bello, & ex pagani Chriſtianos eſſe patravit.* Jam cum confiteantur ipſi Bajoariæ Epiſcop converſionem gentis Nitrienſis non inter ſua merita cenſeri, ſed Zuen tibaldo eam adſcribant, qui patraverit ſeu fecerit, ut Nitrienſes e paganis eſſent Chriſtiani, quæro jam per quos Zuentibaldus id patra verit ſeu fecerit, ut eſſent Chriſtiani, niſi per SS. Cyrillum & Methu dium? quos hoc ipſo anno, de quo agimus, certo conſtat jam commo ratos in Moravia, cum Privinna interfecto Zuentibaldus gentem ditio nis Nitrienſis ſibi ſubjugaſſet; conſtet etiam ſecundo, quamdiu Zuent baldus vixit, S. Methudium perpetuo ei ad latus fuiſſe, ſi peregrina tiones breves Romanas excipias. Ceterum merito inter fabulas rejic

Stredovskius l. 2. c. 5. mus, cum Stredovskius ait Miroslavam Raſtislai uxorem ſimul aqu baptiſmalibus ablutam; Miroslava hæc enim nemini ante Stredovskiu cognita fuit. Propius accedemus ad veritatem hiſtoricam, ſi circa hu ipſa tempora Zuentibaldum ad Chriſtiana ſacra acceſſiſſe dixerimus, quo anno agemus ſequente. Quod autem Peſſina aliique jam ad hu

Peſſina Phoſph.

an-

annum; imo Weleslavinus & Balbinus multo prius Borziwogi Ducis Bohemiæ baptiſmum reponant, ſuſtineri nequaquam poteſt, quod ſuo pariter loco expediemus. *ſept. Rad. 3. & Mart. Mor. l. 2. c. 5. Weleslav. in Gen. Ducum. Balb. Epit. l. 1. c. 2. & 3.*

ANNUS 865.

Kraſnikus ſuſcipitur a Rege Moravorum.

Exactum ante a Koldogio principatu Kraſnikum, opemque Regiam ſuppliciter implorantem in fidem ſuſcepit Moravus Rex. Erat ea tempeſtate Welehradium caput Regni Moravici, ſedesque potentiſſimorum ejuſce gentis Regum, (a) ibi Kraſnikum exilium ſuum, Neklani tyrannidem, principatus ſui rapinam querulantem, tum ſubjectionem, ſempiternumque annuum tributum Moravis pollicentem Rex armata manu reducere conſtituit. Is igitur acceptis celeriter copiis dum in Bohemiam avido curſu fertur ad limites milite Bohemo jam occupatos impactus hæſit, infelix ſtygem ante, quam Kurimium viſurus. Neklanus enim molimina illius clam edoctus Czaslavienſes tempori admonuit, Moravorum irruptioni præverterent, eosque ingreſſu prohiberent. Tres primi dies magno armorum corporumque motu exacti, his ad prohibendum ingreſſu hoſtem intentis, illis irruptionem omni parte tentantibus. Quarto die Czalavienſes duarum Pragenſium cohortium adventu fortuito auctiores tranſcenſo flumine tanto ardore Moravos adorti ſunt, ut cruentiſſima pugna deletis omnibus copiis ægre nonnulli evaſerint, qui ad ſuos cladem perferent. Inter cæſorum cadavera repertum Kraſnici corpus victoriæ fuit complementum. Ac tanta celeritate pugna- *Ejus, & Moravici exercitus clades.*

tum debellatumque est, ut eodem pene tempore & hostem adveniſſe, & evanuiſſe victum, Wiſſehradi nunciaretur. (b)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXV.

NICOLAI PAPÆ 8. LUDOVICI IMP. 11.

NEKLANI 14.

Balbin. Epit. l. 1. c. 2.

(a) De Welehrado ita commentatur Balbinus: *Scio nonnullos Welehradum ad Danubium ſtatuiſſe*, (& rectiſſime quidem) *mihi, ut alter, quod ſentio, proferam, ſecus videtur: nam ut taceam firmiſſimam & ab omni retro vetuſtate quaſi per manus traditam apud Welehradenſes Religioſos memoriam: apud ſe urbem maximam pulcherrimamque ſtetiſſe, ac Reges Moravos habitaſſe affirmantium, ut nomen ipſum Welehradi, quod remanſit, ut Pulkawæ id affirmantis authoritatem perantiquam omittam, nomine Bmæ. Virginis & ſancti Petri primum apud Moravos templum hodieque Welehradi videmus? Certe Boleslaum pudicum Poloniæ profugum Tarturis omnia inundantibus ſe ſe recepiſſe Welehradum Miechovius eſt author, quem tamen in Buchlo arce Welehrado noſtro vicina latiuſſe alii Scriptores tradidere. Vidimus nos ipſi Przemyslai Ottogari Bohemiæ Regis literas, qui cum Hradiſſtium urbem fundaret, ac jura civitatis conferret, id ſe facere veneratione antiquorum Regum, qui eo loci regnaſſent, fatetur.* Hactenus Balbinus, qui a traditione aliqua ad Pulkawam rectè provocat, nam is primus quidem omnium ſæculo XIV. qui Welehradii hujus meminit. Przemyslai Ottocari diploma Hradiſſtio datum minime patrocinio eſt Welehrado, cujus in eo nulla prorſus mentio. Verius autem Przemyslaus ſe revocavit ad veneration nem antiquorum Regum ſeu potius Ducum, qui in Hradiſſt habitaſſ crediti ſunt. Nam antiquis documentis teſtatum eſt eam regionem a hodiernum Hradiſcht olim *Gradicz* item *Gracz* fuiſſe appellatam, conjectura aliqua capi poſſit, eam nomen a caſtro hoc accepiſſe. Cæ de Epiſcopatu Welehradenſi a noſtris paſſim jactari ſolito poſtea egeri mus, oſtendemus, quo errore opinio increbuerit, ut quæ ad Welehradum Pannoniæ pertinent, huic loco adſcriberentur.

(b)

(*b*) Nequidem Dalemilus bellorum iſtorum meminit, qui geſta Neklani non alia refert, quam quæ apud Coſmam leguntur, ut itaque ea Hagecio ſoli debeamus, quo fonte in his uſus, ignotum.

PRÆTERMISSA.

I. Chronicon Fontanellenſe coævi authoris ad præſentem annum hæc adnotat: *Ludovicus autem Rex Noricorum, id eſt: Bajoariorum Ludovici* (Pii) *Imperatoris filius anno Incarnationis Domini JEſu DCCCLXV. poſt feſtivitatem Paſchalem Regnum ſuum inter filios ſuos diviſit, & Karolomanno quidem dedit Noricam, id eſt: Bajoariam & Marcas contra Sclavos & Longobardos; Ludovico vero Thuringiam, Auſtraſios, Francos, & Saxoniam dimiſit; Karolo quoque Alemanniam & Carvallam id eſt comitatum Cornugalliæ reliquit. Ipſe tamen Ludovicus ſuper filios ſuos feliciter nunc principatum tenet anno Incarnationis DCCCLXIX.* Eadem prorſus habet Chronicon Centulenſe ſeu S. Richarii l. 3. c. 12. Depravatum igitur hunc locum in non parvum gentis noſtræ præjudicium tranſcripſit Albericus Monachus Trium Fontium ſæculi XIII. ſcriptor, qui hæc eadem pene verba referens inter voces *Bajoariam & Marcas contra Sclavos* interſeruit *Boemiam & Moraviam*, quem poſtea Goldaſtus, Petavius, aliique Hiſtorici & Juris Publici Scriptores ſecuti, neſcio, quod jugum & compedes Boemis Moravisque injecerunt, cum potius ex hac ipſa terrarum partitione plenam libertatem inferre debuiſſent: cum enim rurſus vicinæ Bohemis terræ Franconia, Thuringia, Bajoaria & Carentania in filios hac authoritate & potentia, qua eminebat Ludovicus, minime pollentes diviſæ ſint, quis ſibi perſuadeat Bohemos tam faciles repertos, ut tributum annuum perinde filio ac patri citra omnem tergiverſationem elargiti ſint. Quin hanc ipſam regnorum partitionem cauſam fuiſſe, ut ſe denuo tributi annui nexu expedirent Bohemi haud obſcure innuit Chronicon Raddageshuſanum ad annum præſentem ita loquens: *Boemia recedit ab Imperio.*

Apud Lucam d'Achery T. II. p. 264.

Ibidem p. 317.

Apud Leibnit. in Acceſſ. hiſt. T. II. p. 193.

Goldaſt. de Reg. Boh. l. 1. Petavius in Ration. Temp. P. I. l. 8. c. 10.

Apud Leibnit. T. II. p. 73.

II. Hoc anno occurrit memoria Hezilonis, qui fuit filius Privinnæ, ſed jam nonniſi in Pannonia proprietates ſuas poſſidentis, ut ita eruere liceat jam terras ultra Danubium alteri, & veroſimillime Suatopluco, ut ſupra innuimus, obtigiſſe. Sic vero de illo ſcribit coævus author: *Anno DCCCLXV. Venerabilis Archi-Epiſcopus Juvavenſium Adelvinus Natalem Chriſti celebravit in caſtro Hebbrilonis* (Hezilonis) *noviter Moſeburch vocato, quod illi ſucceſſit moriente patre ſuo Privinna, quem Maravi occiderunt.*

De Converſ. Bojor. & Carent. p. 26.

Anonymus apud Hanſizium prodit ſitum caſtri Moſeburch, & quæ Privinnæ ditiones in Pannonia fuerint explicat his verbis. *Manifeſtum eſt regionem Privinæ conceſſam haud aliam eſſe, quam illam, quæ hodie Styriæ inferioris pars eſt circa Sanam fluvium, qui non procul a muris vetuſtæ civitatis Celejæ meat, & vulgo Comitatus Cileenſis vocatur. Ibi oppidum ſeu caſtrum a Privina conſtructum in Pala Sclude fluminis inde appellatum Mosburch veluti ſitum in palude inter Celejam & Petovium; ſitque Betoviæ apud eundem Anonymum in recenſione vicinorum locorum mentio, uti & aliorum: quæ omnia, quod vocabulis Teutonicis efferantur, manifeſtum eſt in Pannonia ulteriore quærenda non eſſe, ſed nec in Carentanis, ut Megiſerus & alii voluere, ſed in Pannonia inferiore, ubi Sana in Savum fluvium juxta Celejam influit.*

Hanſiz. Germ. ſacræ T. II. p. 129.

III. Circa hæc tempora veroſimillime eveniſſe Suatopluci baptiſmum perquam credibile, cum altero abhinc anno S. Cyrillus jam Romam profectus ſit, & S. Methudium poſt reditum ſuum ex Italia in inferiore Pannonia egiſſe ex coævis authoribus conſtet. Presbyter certe Diocleas, & qui eum exſcripſere Andreas Dandulus Dux Venetiarum & Blondus denique Epitome Chronicarum Suatoplucum noſtrum, ſeu ut illi in nomine variant Sueropelek, Suentopluc, & Sueropilum a S. Cyrillo ad fidem Chriſtianam perductum baptizatumque affirmant. In eo tamen hallucinati, cum eum Dalmatiæ Regem faciunt, & univerſam Dalmatiam cum eo ad Chriſtum acceſſiſſe affirmant. Nam Croatas & Srblos, qui potiſſimam Dalmatiæ partem occupabant, jam ſub Heraclio juniore baptiſmi undis initiatos fuiſſe Parte II. oſtendimus legitimis documentis, & Joannes Lucius plane convincit diplomatibus Eccleſiis Dalmatiæ datis jam ante S. Cyrilli tempora Duces iſthic Chriſtianos fuiſſe, tum recte judicat traditionem non omni parte integram abſolutamque ad Presbyterum Diocleatem pertigiſſe, qui Suentopluci Regnum ex Moravia, Boemia & Pannonia in Dalmatiam traxerit, & pro ſolis Narentanis tempore SS. Cyrilli & Methudii converſis cunctos Serblos & Croatas converſos ſcripſerit, denique Croatiam, Serviam, Dalmatiamque jungens unum quaſi regnum Suentopluci commentus ſit, quod fuſiſſime perſequitur toto capite tertio libri II. Et quanquam de Narentanis certo proditum non habeamus SS. Cyrillum & Methudium ad eorum converſionem operam contuliſſe, tamen cum plane his temporibus acciderit, teſtatumque ſit SS. Cyrillum & Methudium in vicina Bulgaria Pannoniaque verbi divini ſemen ſparſiſſe, pronum eſt conjicere ſeu per eos ſeu eorum diſcipulos hujus quoque gentis

Diocleas in Regno Slavor. Dandulus in Annal. Blondus l. 3.

Lucius de Regno Dalmat. & Croat.

tis converſionem procuratam. Unde vero & quo pacto Suatoplucus in traditiones Dalmatiæ irrepſerit, inde factum autumo, quod cum is poſtea ad immenſam pene potentiam excreverit, & omnes prope Slavorum vicinæ Regiones ad normam Regni Francici imperium Slavicum efformaturæ ſe ſe ei certis pactis & præſtationibus annuis ſubjecerint, etiam Dalmatiæ Duces hoc ipſum ſupremum imperium in eo reſpexiſſe videantur. Sed de eo uberius diſſerendi dabitur poſtea locus.

ANNUS 866.

Germanorum irruptio.

Annus hic rurſum Germanicis terroribus Wlaſtislaum exagitavit, ut quæ arma in Neklanum præparaverat, in hoſtem Germanum convertere opus fuerit.

Neklan per ocium hoc anno Wiſſehradum ornare adgreſſus eſt: metus erat: ne procedente tempore ſive oblivione, ſive poſterorum incuria Libuſſianæ ſtirpis memoria interiret. Ei damno ædificata in Wiſſehrado vaſtiſſima turri, pictisque in ea imaginibus, quæ majores ſuos inde usque a Przemyslo (a) referrent, egregie Neklan prævertit. Turrim illam, quoad ſtetit, ſtetit autem quam diutiſſime, Neklankam appellabant. (b)

Turris Neklanka ſtruitur.

Per eosdem dies prolutores foſſoresque metallici maiam auri vim ad Tetinenſe caſtrum collegere. (c) Saburam prædivitem ad proxime profluentem amnem prolutam mi liquavere, ejusque metalli ingentia fruſta ad Principem etulere. Nemo ut his terræ ſpoliis lætior, ita locupletior nam Neklanus redditus. (d) Nec mora omnis generis aos argenteosque numos cudi juſſit ſua imagine inſignis, (e) qui longe lateque per Bohemiam univerſam volabant

bant tanta cum Zatecenſis Ducis invidentia atque ſtomacho ut interitum Principi, regnoque ejus minaretur. Nec omni timore Neklanus fuit vacuus, qui ad muniendum magis magisque Wiſſehradum illico animum convertit.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXVI.

NICOLAI PAPÆ 9. LUDOVICI IMP. 12. NEKLANI 15.

(a) Mirum non inde a Czecho majores Ducesque Boemiæ fuiſſe relatos. Oblitus ſui Hagecius, cum veteriorum auctoritatem ſecutus Premyslo primum locum vendicat.

(b) Neklankam inſignem & miræ altitudinis turrim adhuc ſæculo XI. in caſtro Wiſſehrad ſtetiſſe perhibet Hagecius, qui eam anno 1036. terræ motu concuſſam everſamque ſcribit.

Hagec ad An. 1036.

(c) Balbinus ad hunc locum Hagecii ait: *Neque ſæculis noſtris ha invidit natura, ſi bona noſtra noſſemus: ad Tetin arcem illuſtrem D. Ludmilæ martyrio, ait Stransky: in aqua præterfluente ſtatimque in Miſam illabente aurea ramenta reperiri conſueverunt.*

Balb. Auctuar. I. S. Mont. c. 8.

(d) Olim jam Ethnicorum Ducum temporibus Bohemiam redundaſſe auro probant tot numi rudes aurei nullis literis ſed diverſis informibus ſignis figurisque inſigniti, qui paſſim etiam hodie in veteribus arcibus, humoque defoſſi reperiuntur. Eorum jam plures typos in Prodromo noſtro ad p. 107. exhibuimus. Alios ex formis ipſis autographis Tabula I. Num. I. iſthic proferimus, quorum quidem plus minus ſexaginta hinc atque illinc a me viſi, noviſſime duo ad Gilowiam inventi, quos mecum communicavit Clariſſimus Vir Thaddæus Peithner Regius rerum Metallurgicarum Profeſſor.

(e) Mſ. ſæpe laudatum de monetis Ducum & Regum Bohemiæ his verbis deſcribit monetam Neklani, quam quidem omnium primam in-

nter numiſmata Ducum Ethnicorum profert: *Practeatus*, inquit, *primæ magnitudinis* mit des *Neklani* Bildnuß, in jeder Hand ein Schwerd haltend zum Andenken der *Victorie*, die *Neklan* 869. über *Wladislaum* den Satzer Herzogen erhalten, da das ganze Satzer-Land von *Neklan* eingenommen wurde, um ſeine Unterthanen zum Krieg aufzumuntern, welches Schwerd *Neklan* ſamt den eigenen in Handen hat, um anzuzeigen, daß er nunmehro durch das Schwerd die Herrſchaft über das Herzogthum Satz erhalten. Verum conjecturam, ut monetam iſtam Neklano aſſereret Anonymus author noſter, ex relatis Hagecii depromſit, nam in moneta ipſa indicium nullum, ad quemnam e Ducibus noſtris reſpiciat. Eundem practeatum ante plures annos reperimus apud civem quandam Neo-urbenſem, quæ illum anathematis inſtar ſimulacro B. V. M. appenderat, eumque jam P. II. ad pag. 127. Num. II. excuſum vulgavimus, fere ſimilis illi eſt, quem Ludevigius T. VII. Reliquiarum Mſſ. Tab. V. N. 112. publicavit, Brandeburgiæ vindicare conatus. Ceterum quanquam repugnare nolim Ottoni Sperlingio adſtruenti ante ſæculum XII. & Lotharii tempora uſum non fuiſſe bracteatos apud Germanos excudendi, tamen bracteati, qui paſſim in Bohemia inveniuntur, antiquitatem majorem produnt, Slavisque & genti noſtræ eum morem jam Ethnicis ſæculis fuiſſe indubie innuunt. Id convincit ſigni ruditas, figurarum ſimplex ſine coronis, paludamentis ſceptrisque ornatus, lunarum ſtellarumque typi, & quod rerum maximum eſt, quod nullis prorſus characteribus inſigniti ſint, cum tamen a ſæculo X. & Boleslao Pio continua ſerie aliquando producturi ſimus gentis noſtræ numos Ducum nominibus, imo S. Wenceslai imagine tituloque inſcriptos. Liceat igitur hic idem, quod Sperlingius de orientis Imperatoribus dicit, genti noſtræ accommodare. Bracteatorum uſum longe antiquiorem fuiſſe apud Conſtantinopolitanos Imperatores, a quibus eum hauſiſſe Gothos ſecumque in Hiſpaniam invexiſſe credibile ſit. Ne dicam Georgium Leukfeldium adhuc dubitare, nec omnino calculo ſuo illi ſententiæ ſubſcribere, quæ bracteatorum in Germania uſum ad tam ſera rejicit tempora. Nos quorundam bracteatorum typos jam Parte II. ad pag. 127. dedimus, alios iſthic Tabula I. N. II. proponimus, quo eodem quoque numero quosdam ſolidos adjecimus, quos quanquam ad Ethnicorum Ducum ſæcula ſpectare non dubitemus, cujus tamen excuſi ſint tempore, cujusve imaginem referant, quis Oedipum agat?

Sperling. de Numerum bracteat. origine.

Antiquitates Numariæ Halberſtad. §. 15. p. 36.

PRÆTERMISSA.

I. Quæ ad anni hujus hiſtoriam ſpectant, ea his verbis referuntur ab Annalibus Francofuldenſibus: *Werinharius Comes unus ex primoribus Francorum apud Hludovicum Regem accuſatus, quaſi Raſtizen ſuis hortationibus adverſus eum incitaſſet publicis privatus eſt honoribus.* Et rurſum: *Hludovicus Hludovici Regis filius graviter ferens, quod Rex quædam beneficia illi ſubtrahens* (ſcilicet per partitionem Regnorum anni ſuperioris) *Carlmanno fratri ſuo reddidit, patri moleſtus efficitur. Num nunciis per univerſam Thuringiam & Saxoniam miſſis, quos potuit ad ſe traxit, & contra regem rebellare diſpoſuit. Werinharium quoque, Utonem, & Berengarium Comites a patre ſuo depoſitos adhibens conſiliis, priſtinam eis dignitatem reſtituturum eſſe promiſit. Sed & Henricum Principem ſuæ militiæ ad Raſtizen deſtinavit, obnixe poſtulans, ut ejusdem conſpirationis fautor fieri non recuſaret. Quo comperto Rex Carlmannum ad tuitionem Bojoariæ derelinquens concitus venit in Franciam, & a ſuis undique confluentibus honorifice apud Franconofurt ſuſceptus eſt, & conſpirationem totam facile exſtinxit. - - - Hludovicus vero mediante Luitberto Archi-Epiſcopo aliisque pacis amatoribus menſe Novembri apud Wormatiam patri ſuo reconciliatur.* Quanta autem continentia fuerit Raſtislaus, quanquam ab Hludovico filio, Comitibusque ſollicitaretur, explicant Annales Bertiniani, quos integros exſcribere libet: *Ludovicus Ludovici Germaniæ Regis filius conſilio Warnarii* (idem qui ſupra Werinharius) *ac ceterorum, e quibus pater ejus propter infidelitatem ſuam honores tulit, rixam contra patrem ſuum movit, concitato Reſtitio Winido, ut usque ad Bajowariam prædatum veniat, quatenus in illis partibus, occupato patre vel ejus fidelibus, ipſe liberius, quod cœpit, proſequi poſſet. Sed Carolomanno, cui pater ipſum marcham dederat, ſatagente, Reſtitius intra ſua ſe cohibet. Ludovicus autem ſenior in talibus experientia prudens, concite ad palatium, quod Franconofurd dicitur, properat & datis mutuo dextris, eundem filium ſuum ad ſe venire facit, ipſaque dextra usque V. Kalendas Novembris manere invicem promittunt. Sicque Ludovicus ad confirmandam marcham ſuam contra Reſtitium velociter repedat, reverſurus octavo die ante Miſſam S. Martini obviam fratri ſuo Carolo, & Nepoti ſuo Lothario ſecus civitatem Metenſium.* Cum itaque Ludovici filius celeriter viam relegerit ad marcham ſuam contra Raſtislaum obfirmandam, plane liquet ſibi ab eo metum fuiſſe, ac proinde Raſtislaum juramenti fide tenacem partes patris Ludovici egiſſe. Quem itaque (ut calumnias quorumque Scriptorum Germaniæ obviemus) magis religioſum dicemus: anne Raſtislaum intra ſua ſe cohibentem, an filium Comite

Ad hunc an.

Ad h. a.

que

que ſollicitantes ad juramenti violationem? Quanquam ſuperiore anno oſtenderimus probabilius videri juramentum ad Suatoplucum pertinuiſſe.

II. Anni hujus initio contigiſſe Bogoris Bulgarorum Regis baptiſmum his verbis teſtantur Annales Bertiniani: *Rex Bulgarorum, qui praecedente anno Deo inſpirante, & ſignis atque afflictionibus in populo Regni ſui monente Chriſtianus fieri meditatus fuerat, ſacrum baptiſmum ſuſcepit.* Rem confirmat Anaſtaſius Bibliothecarius contemporaneus, & praeſens legationi, quae hoc ipſo anno *menſe Auguſto Indictione XIV.* ut ipſe loquitur, ab eodem Rege miſſa Romam ad Nicolaum Papam appulit. Quandoquidem autem a Graecis Scriptoribus is paſſim Epiſcopus fuiſſe aſſeritur, qui Bogorem aquis Baptiſmalibus tinxit, neque ullus horum ſcriptorum, ſeu etiam quipiam Annales vetuſti, aut alteruter vitae Scriptor innuat hunc baptiſmum a S. Cyrillo vel Methudio Bogori collatum, alia etiam obſtent, quae jam ad annum 863. praeoccupavimus, merito contra Clariſſimum Aſſemanum ſtatuimus Bogorem neque a S. Cyrillo neque Methudio aquis ſalvificis ablutum, ſed utrumque confirmato in fide Bulgarorum populo & ipſo Bogore ſpem converſionis Baptiſmique ſuſceptionem certo pollicente (quod Annales Bertiniani ad annum 864. & 866. clare perhibent) jam anno 863. ad Michaelis Imperatoris citationem ex Bulgaria Conſtantinopolin rediiſſe. Id haurimus ex priori vitae Scriptore, qui cum enarraſſet nuncios miſſos a Raſtislao Moraviae Duce ad Michaelem Orientis Imperatorem pro Viris Apoſtolicis ſubjungit: *Cujus* (Raſtislai) *precibus annuens Imperator eundem ſupernominatum Philoſophum* (Cyrillum) *ad ſe venire rogavit, eumque illuc, id eſt in terram Sclavorum ſimul cum Methodio germano ſuo transmiſit.* Sed unde eum ad ſe venire rogavit, unde eum evocavit niſi ex Bulgaria? quod vel ipſe Eruditiſſimus vir his verbis non diffitetur: *Nimirum*, inquit, *his verbis indigitatur, Conſtantinum cum Methodio e Conſtantinopoli in Bulgariam abiiſſe ad Bogorem Bulgarorum Regem. Inde ergo eos evocavit Michael Imperator, ut in Moraviam pergerent.* Jam ſi SS. Cyrillus & Methudius primum poſt baptiſmum Bogoris, qui initio anni 866. contigit, vocati fuere Conſtantinopolim, ſi demum cum ſplendida legatione miſſi ad Moraviam, vix ante finem hujus anni aut ſequentis exordium pertingere potuere. Si vero jam anno medio 867. profecti ſunt Romam, quod qualeve tempus, ne dicam tempuſculum, eos in Moravorum converſionem impendiſſe dicemus, ut nomen Apoſtolorum Mo-

Ad hunc an.

Anaſt. in vita S. Nicolai I. Papae.

In Actis SS. Boland. ad 9. Martii.

Aſſeman. T. III. P. I. c. 2. p. 130. in notis.

eaviæ merentur? ſatius igitur ſtatuendum juxta utriusque Vitæ Scriptoris aſſerta ſanctos hos jam tribus annis citius evocatos ex Bulgaria: Michaele Imperatore, cum is videlicet comperiſſet jam meſſem non modicam Evangelii ab iis ibidem factam, ipſumque Bogorem proniſſimum eſſe ad ſuſcipiendum baptiſmum, ut Raſtislaus Dux Moraviæ tam excellentium virorum opera ad eandem frugem perduceretur.

ANNUS 867.

Wlaſtislaus tot cum Germanis initis prœliis jam audacior, elatiorque irruptiones eorum contemnere, atque tanquam innocuos latrantium canum ejulatus deſpicere cœpit. Nec enim animos, nec vires, nec multitudinem iis eſſe cauſabatur, quibus ſecum in aciem progredi auderent. Ab his itaque omnem belli vim in unum Neklanum transferendam ratus comitia univerſi populi ad diem certum indixit. Locus vaſta agrorum planities fuit, hic ex eminentiori quodam ſubſellio oratione primum fucata multisque verborum pigmentis illita circumfuſæ concionis mercatus animos, mox ſuperbo ſciſcitatur cilio: Paremne ſuæ adferrent voluntatem ad patriæ fines proferendos, ad nomen immortalitati tranſcribendum? Ei rei patere campum ampliſſimum Wiſſehradenſis Ducatus everſione: ſi dexteras ſibi jungerent effecturum procul dubio, ut ejecto in exilium Neklano, ex Wiſſehradenſi Zatecenſique (a) unus Ducatus coaleat, ejusque ſumma ac imperium jam non penes Pragenſes ſed Zatecenſes ſtet. Nihil ad irritandam popularium ambitionem ea oratione potuit proferri efficacius, & vero omnis altum vociferabatur populus

Comitia Wlaſtislai.

&

& animum & arma jam jam ſibi eſſe paratiſſima, inviſam eſſe omnem moram, quæ cupiditatem cum hoſte conſerendi retardaret. Placuit is populi in prælia ardor Wlaſtislao, quem ut magis magisque accenderet, neſcio, quas laudum, adulationumque tædas ſubjecit. Dimiſſa ſubinde concione omnia, quæ ad bellum pertinent, ſedulus circumſpicit, ne in annum ſequentem ſeu ab ærario, ſeu commeatu, ſeu armis ceteroque apparatu quidpiam deſideretur. (b)

Bellum contra Neklanum paratur.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXVII.

HADRIANI II. PAPÆ 1. LUDOVICI IMP. 13.

NEKLANI 16.

(a) Cum ad hiſtoriæ veteris cognitionem maxime faciat Chorographiæ notitia, digniſſimum nobis viſum eſt hic veteris Ducatus Zatecenſis ſeu Luzenſis & Luzanenſis deſcriptionem apponere. Et debemus quidem eam Coſmæ, qui utinam ceteras Bohemiæ provincias pari ſolertia deſcripſiſſet. Verba illius ſunt: *Unde autem antiquitus nuncupentur ea natio Luczane, nolumus præterire ſub ſilentio: quippe illa diſtinguitur provincia quinque regionibus locorum per compendia. Prima regio eſt ſita circa rivum nomine Guutna. Secunda eſt ex utraque parte fluvii Utcka. Tertia extenditur per circuitum torrentis Brocnica.* (Codex Dresdenſis Coſmæ haber Briznica) *Quarta, quæ & Silvana dicitur, ſita eſt infra terminos fluminis Miſa. Quinta, quæ in medio eſt, dicitur Luka: pulcherrima viſu, & ultima uſu, ac uberrima ſatis, nec non abundantiſſima pratis, unde & nomen ipſa regio traxit, quia Luka latine pratum dicitur. Et quando hæc regio primum, longe antequam Satz urbs condita foret, eſt inhabitata hominibus, recte ejus incolæ ſunt regione Luczane nuncupatæ.* Hactenus Coſmas. Sed jam par eſt has quinque regiones nonnihil elucidare: *Prima* regio ad *Guntnam* rivum a Pulkawa vocatur *Bynmia*, ab Anonymo apud Menkenium *Gymma*, a Weleslavino *Rywina*. Quæ diverſitas nominis difficultatem parit decernendi, quisnam is rivus ſit, ſed præterenda ſcriptio, quam Coſmas tum Freherianus tum Dresdenſis exhibet:

Coſmas Chron. l. 1.

bet: *Guntna.* Reperio in literis Joannis Regis de castro Loket seu Elbogen datis anno 1332. nominatum torrentem *Gunta.* An idem sit, asseverare non audeo, at verosimile est: eam ad regionum viciniam rivum hunc pertinere, cum Cosmas, ut ex sequentibus liquet, prius occidentalem & septentrionalem plagam describat, tum ad meridionalem progrediatur. *Secunda* regio ex utraque parte fluvii *Utcka.* Pulkawa & Anonymus apud Menken. legit *Uska.* ita olim appellatus fluviolus, hodie dictus *Sua,* qui ad Molkau & Sosa ex Aquilonari regione nascitur, & prope Stankowitz se se in Egram exonerat paulo infra Zatecium. Eum Abbas Gottvicensis in sua Mappa Germaniæ antiquæ *Assig* fortassis Calographi errore pro Ussig seu Usk, appellat. *Tertia* regio per circuitum torrentis *Briznica,* ut habet Dresdensis, seu *Erocnica,* ut Freherianus: ubi quærendus aut quo rejiciendus torrens hic, nullum suppetit argumentum, ad Aquilonem regionemque hodiernam Bilinensem spectare vix quidem dubito. *Quarta,* quæ & silvana intra terminos fluminis Mse sed verius legendum *intra terminos.* Msa fluvius hodie passim Beranz nomen fert, oritur in occidentali plaga Bohemiæ in Provincia Plsnensi cursumque dirigit in orientem. Apud urbem Strzribro seu Mistn alicujus sit nominis, inde flexuoso cursu Plsnam versus progreditur receptis pluribus minoribus fluviis ad Zbraslaw in Moldavam se præcipitat. Intra quos terminos, si olim constitit Ducatus Zatecensis, pervastum fuisse oportuit. Vocatur autem *Silvana* aliter, procul dubio quod silvis abundaverit, quibus nec hodie caret is regionum circuitus. *Quinta* est notissima, quæ Lauczka hodiedum appellatur, de ea Balbinus: omnium maxime est memorabilis vallis per antiphrasim Lauczka quasi pratulum diceres appellata. Hæc ex meditullio Zatecensis provinciæ oritur, ac ad Moldavæ usque crepidinem procurrit. De ea Stranskius, si toto regno duriori annona fieret, ac si modo in Lauczka feliciter seges provenisset, fame non perituram Bohemiam. Ita fere Balbinus.

Balbin. Dec. 1. l. 1. c. 10.

(*b*) Concilianti veterum historias cum Annalibus Hagecii, conferentique pronum est dispicere, id maxime vitasse Hagecium, ut annus aliquis prætercurreret, quem non gestis quibusdam gentis nostræ expleret, cum itaque in Cosma reperisset Neklanum bellum gessisse cum Zatecensibus, narrationem autem hanc uno anno nollet absolvere, in plures dispescuit, inque præsentem apparatum bellicum & concilii Wratislai rejecit.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Ad hunc annum refertur, quod in prioris vitæ SS. Cyrilli & Methodii auctore legitur: *Manserunt ergo SS. Cyrillus & Methodius in Moravia per annos quatuor & dimidium, & direxerunt populum illius in fide Catholica, & scripta ibi reliquerunt omnia, quæ ad Ecclesiæ ministerium videbantur necessaria. His omnibus auditis Papa gloriosissimus Nicolaus valde lætus super his, quæ sibi ex hoc relata fuerant, redditus, mandavit, & ad se venire illos literis Apostolicis invitavit. Quo nuncio illi percepto valde gavisi sunt, gratias agentes Deo, quod tanti erant habiti, quod mererentur ab Apostolica sede vocari. Mox igitur iter aggressi duxerunt etiam secum aliquos de discipulis suis, quos dignos esse ad Episcopatus honorem recipiendum censebant, sicque post aliquot dies Romam applicuerunt. Sed cum ante non multos dies supradictus Papa Nicolaus transisset ad dominum, secundus Hadrianus, qui illi in Romano Pontificatu* (die XIV. Decembris ejusdem anni 867.) *successerat, audiens, quod præfatus Philosophus corpus B. Clementis, quod studio suo receperat, secum deferret, valde nimis exhilaratus est, & extra urbem cum Clero & populo procedens obviam illis, honorifice satis eos recepit. Cœperunt interea ad præsentiam Sanctarum reliquiarum per virtutem omnipotentis Dei sanitates mirabiles fieri, ita ut quovis languore quilibet oppressus fuisset, adoratis pretiosi Martyris reliquiis sacrosanctis protinus salvaretur. Quapropter tam Venerabilis Apostolicus, quam & totius Romani populi universitas gratius & laudes Deo maximas referentes gaudebant & jucundabantur in ipso, qui eis post tam prolixi temporis spatia concesserit in diebus suis sanctum & Apostolicum virum, & ipsius Apostolorum Principis Petri successorem in sede sua recipere, & non solum urbem totam, sed & orbem quoque totum Romani Imperii signis ejus ac virtutibus illustrare.* De translatis Romam a S. Cyrillo reliquiis Divi Clementis Papæ consentit Anastasius Bibliothecarius oculatus testis, qui dein anno 875. data ad Carolum Regem epistola hæc scribit: *Vir magnus, & Apostolicæ vitæ præceptor Constantinus Philosophus Romam sub venerabilis memoriæ Hadriano priore Papa venit, S. Clementis corpus sedi suæ restituit.* Hinc jam quoque ab eodem Hadriano II. reliquias S. Clementis Ludovico II. Imperatori ablatas legimus apud Ughellium, quas is rursum Pisaurienſi seu Casinensi monasterio donavit. Quo autem reconditæ fuerint Romæ a S. Clementis reliquiæ, docet alter vitæ author his verbis: *Sepelierunt eum corpus sanctum in Ecclesia, quæ in nomine ejus diu antea fuerat constructa,* ad ut ad SS. Cyrillum & Methudium redeamus.

In Actis SS. Boland. ad 9. Martii.

Italia sacra T. VI. columna 838.

II.

II. Memorat mox relatus vitæ Scriptor: SS. Cyrillum & Methodium, antequam profecti essent Romam: *Scripta reliquisse omnia in Moravia, quæ ad Ecclesiæ ministerium videbantur necessaria.* De his scripti apud nostros veteres, recentioresque summum silentium. Nisi fortasse eadem sunt, quæ postea nomen *Methodii* obtinuerunt, ad quem librum se adhuc Presbyter Diocleas sæculo XII. revocat de Suatopluci præclaris gestis loquens: *Multas leges, & bonos mores instituit, quos qui velit agnoscere, librum Slavorum, qui dicitur METHODIUS, legat.* De eodem libro juvat subnectere, quæ Joannes Lucius in Diocleatem commentatus scribit: *Methodium vocari librum legum Slavorum, in quo continebantur multa, quæ instituit Rex Suetopelech, Diocleas ait, ex quo detegitur ejusdem equivocatio. Nam sicuti S. Methodium Suetopluchum Regem Marabensium, cujus Regni fines Pannonias etiam comprehendebant, ad Christi fidem convertisse constat, ita multa eundem, uti Regni Metropolitam, in ipso Christianitatis primordio ordinasse, & non solum ad S. Scripturam resque Ecclesiasticas pertinentia, sed etiam ad politicum regni statum gentibus literis carentibus scripta reliquisse censendum est; quem librum METHODIUM ab ejus auctore cognominatum arguit.* Alium nobis commendat Cosmas sub titulo *Epilogus Moraviæ.* Sed quo fato decora ista, historiam cumprimis horum temporum illustratura, perierint, incompertum. Quod ad SS. Cyrilli & Methudii iter Romam susceptum attinet:

Presb. Diocl. de Regno Slavorum.

In Notis ad Diocleatem.

Cosmas Chron. l. 1.

III. Christannus noster ait S. Quirillum (sic eum græca enunciatione vocans) orationis causa Romam adiisse, at prior vitæ author ait: *Papa glorioſissimus Nicolaus - - - mandavit, & ad se venire illos literis Apostolicis invitavit.* Alter vitæ author etiam causas evocationis apponit his verbis: *His omnibus auditis Papa Nicolaus lætus factus super his, quæ sibi relata fuerunt, scilicet de conversione gentis Bulgarorum & Moraviæ, & de reliquiis inventis S. Clementis, mirabatur tamen ex alia parte, quod aussi fuissent Sacerdotes domini Horas Canonicas in Sclavonico decantare; quapropter mandavit per literas Apostolicas illos ad se venire Romam.* Non me latet rebus in his summe Criticum Eruditissimum Assemanum hanc causam de hoc Canonicis in Slavonico impugnare, authoremque vitæ SS. Cyrilli & Methudii erroris damnare, eo maxime argumento: quod in Joannis VIII. epistola posterius data nulla uspiam fiat mentio de concessa seu Nicolao seu Hadriano licentia in lingua Slavica sacra peragendi. At silentium hoc Joannis Papæ minus me convincit, ut ne authori huic item Christanno nostro assentiar: controversiam hanc omnino S. Cyril-

Christann. in Passione SS. Ludmillæ & Wenceslai. Acta SS. Boland. ad 9. Martii §. 6.

Assem. T. III. P. 2. c. 1. p. 176.

illo vivente atque idcirco ſub ipſo Hadriano Papa eveniſſe, quanquam in eo lubens ei accedam, erraſſe poſteriores, qui eam datam licentiam jam Nicolao Papæ adſcripſerunt. Nullam vero ex epiſtola Joannis VIII. cum hac ab Hadriano data licentia emergere repugnantiam ſuo loco enodabimus, ubi epiſtolam hanc integram protulerimus. Momenta certe plura ſunt, quæ indigitant hos Moraviæ Apoſtolos in ipſa Evangelica meſſe conſtitutos haud præter rationem in non parvum neophyti populi diſpendium Romam ad tam prolixum iter evocatos fuiſſe. Nam ſi eorum temporum hiſtoria Eccleſiaſtica in concilium ſumatur, plane apparet Nicolaum Pontificem multas graviſſimasque cauſas nactum ad evocandum. Conſtat eo tempore Photii Pſeudo-Patriarchæ Conſtantinopolitani & Michaelis Orientis Imperatoris ſchiſma ingentes turbas imo calamitates offudiſſe Eccleſiæ latinæ, ut ex ipſius Nicolai Pontificis epiſtola ad Hincmarum Rhemorum Epiſcopum data videre eſt. *Apud Baronii ad hunc an.* Jam cum eundem Papam vix quidem latere potuerit ipſo hoc Photii ſchiſmate SS. Cyrillum ac Methudium a Michaele Imperatore miſſos ad Moraviam, & procul dubio etiam vicinorum Epiſcoporum Germaniæ ad eum querelæ delatæ fuerint, quod ſacra in lingua Slavica peragantur, aut certe id ex legatis ſuis ad Bulgariam miſſis comperire potuerit, quod ibidem Slavicus ritus ab illis inductus fuerit, merito hæc Nicolai Papæ ſollicitudinem exagitarunt, ut ex iisdem exquireret, quo ſenſu erga Romanam Eccleſiam & Pontificem animati eſſent, præſertim cum Græci tum non modo maligne X errores latinis imputaverint, quos ad eundem annum apud Baronium legere eſt, ſed & ipſe Michael Imperator latinam linguam tanquam barbaram & Scythicam calumniari auſus ſit in epiſtola ſua ad Nicolaum data. *Baron. ad An. 865.* Quæ veroſimillime eadem prorſus cauſa fuit, quod Bulgarorum rex dimiſſis fidei magiſtris, quos ex Græcia prius habuerat, alios non modo latinos a Nicolao Papa, ſed & a Ludovico Germaniæ Rege ſuperiore jam anno petierit, qui poſteriores, ut loquuntur Annales Fuldenſes, cum ad Bulgariam hoc anno pervenirent: *Epiſcopi a Pontifice Romano miſſi totam illam terram prædicando & baptizando jam tunc repleverant; quapropter iſti accepta a Rege licentia redierunt in ſua.* *Ad h. an.* Quam res autem male habuerit Photium, indicat pleniſſima contumeliis epiſtola contra latinos ad patriarchales orientis ſedes data, quam integram citat Eminentiſſimus Baronius. *Baron. ad An. 863.*

IV. Ad anni hujus hiſtoriam præterea pertinere videtur adventus S. Ivani in Boemiam, ſi vera Hagecii Chronologia eſt ſanctum hunc per quadraginta duos annos eremum incoluiſſe. Pontanus id quoque ſub Neklano accidiſſe memorat. Stredovskius vero primum anno ſequente eum Moraviam tranſiiſſe narrat. Quæ ſub ingreſſum in Bohemiam eremumque ei cum monſtris infernalibus fuerint certamina fuſe narrat Hagecius, cujus verba præoccupare hic ſupervacaneum cenſemus. De ejus patre, qui paſſim Geſtimulus Croatorum Rex fuiſſe aſſeritur, egimus jam Parte II. ubi ſimul in dubium vocavimus Peſſinæ & Stredovsky aſſerta, qui Miroslavam Raſticis Moraviæ Ducis uxorem nulli veterum cognitam S. Ivani ſororem fuiſſe aſſerunt. Communicata nobis eſt ab Eximio P. Eugenio Ord. S. Benedicti ſub rupe S. Joannis profeſſo, qui ejusdem ſancti fuſo ſtylo geſta Scripſit, hiſtoria S. Ivani ex Mſ. Codice Bibliothecæ S. J. ad S. Clementem Veteris Pragæ Lit. Y. M. I. quæ demum poſt Huſſi excitatam hæreſim ſcripta mihi videtur, eâ cum nunquam hactenus vulgata ſit typis, juvat exſcribere, quæ author de illius origine & adventu in Boemiam memorat, quanquam in eo graviſſime hallucinatus, cum S. Ivanum Ungarum & conſanguineum S. Stephani Regis Hungariæ facit, nam Ungaros hac ætate adhuc in ulteriore Scythia moratos, & ne de nomine quidem illic cognitos fuiſſe certo conſtat. Verba authoris ſunt Anonymi:

Hagek ad An. 909. Pontan. Bob. Piæ l. 2. Stredovsky l. 2. c. 12.

Ad An. 844.

Beatus Ivanus fuit natione Ungarus de ſtirpe Regia progenitus, qui fuit conſanguineus S. Stephani Regis Ungarorum. Hic conſpiciens vanitatem mundi hujus, quia in eo vita brevis, & omnia tranſitoria, & non permanentia, quæcunque ſunt in eo, cogitavit ſibi in mente: relinquere mundum, & ſoli Deo ſervire, & ſic in progreſſu abrenuntians ſæculo, & deponendo Principatum, relinquensque caſtra, poſſeſſiones, præſentesque ſuos, cum receſſit longe de confinio ſuo in unam heremum vaſtæ ſolitudinis ibi in Ungaria, in qua manſit 10. *annis, omnibus hominibus incognitus, fratresque ſui, & alii, parentes dolentes de receſſu ſuo & neſcientes, quo ſe diverterit, miſerunt per omnes terras, & provincias ad jacentes terræ Ungariæ, & nihil omnino potuerunt de eo audire. Tandem quidam perambulantes dictam heremum, in qua B. Ivanus degebat, caſu invenerunt, ſed ſalutantes eum, ſtatim receſſerunt, nullum colloquium cum eo habentes. Revenientes autem ad manſiones ſuas audiverunt, quod Principes B. Ivani venirent ſolemniter viſitare illum, qui eis manifeſtaret de fratre eorum. At illi ſtici accedentes Principes dixerunt eis: nos in tali & tali heremo deambulantes invenimus unum hominem, & neſcimus, qualis & quis ſit? audientes Principes fratres Ivani ſtatim iter arripuerunt una cum illis ruſticis, & ſic pervenerunt ad-*

usque ad ſupra dictam heremum, in qua B. Ivanus frater eorum habitabat. Cum autem appropinquabant ad locum videns eos B. Ivanus & cognoſcens rogavit omnipotentem Deum, ne eum fratres ejus cognoſcerent. Pervenientes ſui ad eum, videntes eum, & loquentes cum eo omnino eum non cognoverunt, & ſalutato eo, & eleemoſyna data receſſerunt ab eo. Et ſic B. Ivanus ſtatim illa nocte aufugit ab illa heremo. Et ſucceſſive pergens de uno loco ad alium tandem pervenit ad Bohemiam. In qua terra Bohemiæ viſitando nunc illa, nunc illa loca non potuit invenire locum, in quo placeret ſibi manere & requieſcere. Tandem pervenit ad flumen, qui vocatur Lodenicze, & cæpit deſcendere infra per ripam illius fluminis, usque dum pervenit cum magna difficultate propter nimiam condenſitatem frutetum & ſilvarum, intravit intra medios montes magnos & mirabiles, & altos, & inter magnas & altas petras miræ diſpoſitionis eminentes ſuper dictum flumen Lodenicze. Et conſpiciens huc illucque conſideravit in illo loco & ſub illis petris mirabiles & cavas ſpeluncas & cavernas, ad quas nec nix nec pluvia poteſt intrare. Et procedens modice ulterius invenit aquam limpidiſſimam emanantem de ſupra dicta petra. His viſis & conſideratis omnibus, & ſpecialiter, quia nullus eſt ibi acceſſus hominum, placuit B. Ivano locus, & ſic cæpit inhabitare locum illum, qui poſtmodum multum moleſtabat illum, impediens in orationibus ſuis. Tunc B. Ivanus fortiter pugnavit contra eos, & faciens ei flagella de fruticibus tenuibus flagellabat eos, & pellebat de manſione ſua &c. Atque hic eſt unicus ante Hagecium locus, quo beati iſtius memoriam fieri hactenus deprehendi. Non ſemel miratus ſum a veteribus noſtris non modo hiſtoriam B. Ivani, ſed vel ipſum nomen penitus præteriri, adeo ut ne vel Coſmas imo ſæculi XIV. Scriptores Dalemilus, Pulkawa, Franciſcus ejus mentionem faciat. Tanto magis admirationem parere debet Marignola, qui cum in præfatione primi libri polliceatur ſe de SS. Patronis Bohemiæ acturum, ne uſpiam quidem vel nomen S. Ivani profert.

ANNUS 868.

Wlaſtislaus nihil magis, quam gravem erga Neklanum ſtomachum evomere cogitans prægrandem mucronem cudi, annoque ſolido per univerſas ducatus ſui regiones circumferri juſſit, (a) qui exemplo eſ-

set, ad cujus normam per omnes ditiones suas gladii fabri carentur; ad formam mucronis aliud accedebat imperium ut qui anno consequente illius longitudinem statura æquasent superassentve, eis vacatio militiæ nulla esset. Progressuri autem ad bellum quovis armorum genere instructi essent, præcepit, videlicet ut cuique esset seu dexteritas & usus, seu fortuna admitteret: alii loricis piceis ferreisque, cassidibus, cataphractis, cudonibusque alii, alii arcubus, fundis, tribulis ferratis, pedicisque armati ab equo vel pedibus sub signa (b) centurionum suorum succederent omni tempore parati essent. Mandati castrensis præcipuum fuit: adferrent secum quantum quantum capere licuisset vulturum, nisorum, milviorum, edendisque carnibus assuetarum avium, spem certam propinans, ut aves has cædendorum hostium cadaveribus ad ingluviem saginent. (c) Tam victoriæ præfidens in bellum ibat Wlastislaus.

Ensis Wlastislai circumfertur.

Legatio ad Neklanum mittitur.

Prius vero, quam arma inferret, legatos mittere placuit lectos ex omni numero, oris duritie, asperitate vocis, torvitate vultus, & mole corporis metuendos, qui hujusce modi terriculamenta minasque ad Neklanum perferrent unum e tribus, quod sibi maxime salutare arbitratus esset, deligeret; aut ultro Neklanus principatu abiret, aut singulari certamine cum Wlastislao ex provocatione, hacque lege pugnaret, ut alterutrius victoris uterque esset Ducatus aut denique eadem lege pugnatoribus aliquot utrinque lectis universi certaminis aleam deferret. Quorum si nihil Neklano placiturum esset, jam adfuturum sciret Wlastislaum

Wis-

Wiſſehradi excidium, qui neque ætati neque ordini, neque ſexui miſericordiam eſſet impenſurus. Marte itaque & majore Neklani damno extorſurum Principatum, quem ſibi ſponte & ſuo aliquo bono in manus dare obſtitiſſet. Ad mandata tam atrocia, cum nihilo mitior legationis facies accederet, hæſit primum metu exanimis Princeps, tum impetrata ad conſultandum mora legationis capita ad procerum ſuorum magiſtratum detulit, qui re diſcuſſa in hæc verba præconem reſpondere juſſerunt: „ Princeps idemque „ Dominus noſter Neklan Wlaſtislao Principi veſtro, vobis „ legatis, civibusque veſtris hæc renunciari jubet: ut prin„ cipatum ultro cedat, animo ſuo perſuadere non poteſt; „ maximæ enim ſtultitiæ genus eſſe putat, maximum ſub „ ſole bonum, quod dominationem vocant, tam pueriliter „ projicere. Ex provocatione dimicare, ne id quidem pla„ cet; nam gregarii animi eſt in mortem non neceſſariam „ ruere; optimus contra Dux atque Imperator maxime „ quidem in ſenectute, aut ſeneſcens certe, oportet, mo„ riatur. Pari militum numero certare, ſi res plus aliquan„ to virtutis ac gloriæ, quam fortunæ haberet, conditio„ nem forſitan accepturus fuiſſet; nunc tam paucis capiti„ bus felicitatis ſummam permittere, ſapientia ſua non pu„ tat dignum. Quodſi Wlaſtislaus Princeps veſter cum „ exercitu venerit, audebit & noſter illi armatus occurre„ re; neque tamen niſi loco ſibi æquiſſimo pugnandi copiam „ faciet, non metu, ſed prudentia; quoniam nemo unquam „ Dux prudens in aciem deſcendit victoria non explorata.

Reſponſum ad legationem.

„ Postremo Princeps ac Dominus noster Neklan etiam at-
„ que etiam Wlastislaum Principem vestrum, fratrem suum
„ patruelem, meminisse jubet: multas esse moriendi vias,
„ fierique posse, ut mortem quam avide quærit, tam facile
„ inveniat, amittatque interim sua, dum habere quærit
Wlastislaus furit. „ aliena. „ His domi per legatos nunciatis, adeo in-po-
testate iram non habuit Zatecensis, ut caput feriret pugnis, vestemque a corpore insanienti similis unguibus discinderet.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXVIII.

HADRIANI II. PAPÆ 2. LUDOVICI IMP. 14. NEKLANI 17.

(a) Pluribus veteribus documentis proditum est: veteres Slavos sub expeditionem bellicam suscipiendam circumtulisse per pagos mucronem cruentatum, quo instar classici provocaretur populus in bellum. Eundem morem Hunnis Slavorum concivibus Hungarisque tribuit Thuroczius, quem plane lege increbuisse ait. Verba illius sunt: *Edictum etiam fuit, ut cum res communitatem æqua sorte tangens occurreret, aut generalis expeditio exercitus incumberet, mucro sanguinis aspergine tinctus medio Hunnorum per habitacula castraque deferretur, uxorque inquireret præconis dicens: „ Vox Dei & præceptum communitatis universæ: ut „ unusquisque in tuli loco, eundem designando locum, armatus, vel qualiter „ potest, „ compareat, communitatis consilium simul & præceptum auditurus. Hæc consuetudo inter Hunnos sive Hungaros usque ad tempora Gisæ Ducis, filii Ducis Toxan, filii Arpad inviolabiliter exstitit observata, & multos generationes de hac perpetuam redegit in rusticitatem. Nam sancitum erat, ut transgressor hujuscemodi mandati, nisi rationabilem assignarent excusationem, cultro media per viscera dividerentur, aut in desperatas causas vel communem immiserico[illegible] redigerentur in servitutem.* Similem prope pœnam ad hunc locum indigitat Cosmas noster: *Ut qui corporis statura præcellens gladii mensuram ingenius jusso egrederetur ad pugnam, procul dubio puniretur gladio.*

Thuroczi. Chron. P. I. c. 10.

Cosmas Chron. l. 1.

(b)

(b) Slavos olim ſeptentrionales habuiſſe vexilla dearum ſuarum ſimulacris inſignita jam Parte II. ex Ditmaro oſtendimus. Slavos Bulgaros ioc ipſo plane tempore pro ſignis bellicis uſos *equina cauda*, docet nos piſtola Nicolai Papæ, qui præcipit, ut jam converſi ad Chriſtum loco iujus equinæ caudæ vexillum ſanctæ Crucis, ut olim Conſtantinus Imp. oro inſigni adhiberent in exercitu. *Nicolai epiſt. reſponſ. ad conſultat. Bulgaror. c. 33.*

(c) Fabula hæc de captis inque bellum allatis rapacibus avibus veroſimillime ex pathetica oratione Wlaſtislai ſuos ad prælium accendentis profluxit, qua energia rem exprimat Coſmas, audire libet: *Quid opus eſt armis? arma ad ſpeciem militiæ portare faciatis. Quin potius falcones, uſos, herodios, & omne hujusmodi genus volatilium, quod magis aptum eſt ad iucunditatem & ludum tollite vobiſcum, quibus carnes inimicorum ſi forte ſuffi- ient dapibus ad veſcendum.* Quæ verba cum figuram Rhetoricæ complectantur, qua certam victoriam militibus pollicetur Wlaſtislaus ob oſtium, quos poſtea columbas vocat idem Coſmas, puſillanimitatem, uaque indigitare vult ſuos non-tam ad bellum quam venationem animique delectationem proficiſci, veroſimillime ævi ſequioris ſcriptores a de re ipſa geſta explicarunt, ut aves rapaces una in bellum aſſumtas criberent. Errorem hunc jam obſervaſſe videtur Dubravius, qui ſubbſcuram hanc Wlaſtislai ad ſuos adhortationem his verbis explicat; *Wlaſtislaus ad equites converſus: abjicite, inquit, ſcuta, quibus in fuga & ede hoſtium nihil opus eſt. Ac vice illorum accipitres, falcones ceterasque aves apaces in manus ſumite, ut illarum ingluviem hoſtili carne ſaturetis.* Nec ero de emiſſis poſtea avibus ſub pugnæ exordium ullam mentionem acit. *Coſmas Chron. l. 1.* *Hiſt. Boh. l. 3.*

PRÆTERMISSA.

Cum ſuperiore anno Nicolaus Papa mortuus ſit XIII. Novembris, Hadrianus vero poſt integrum menſem ſcilicet XIV. Decembris, t ex Gulielmo refert Baronius, in Pontificatum ſucceſſerit, maxime item credibile ſit hos paucos Decembris reſiduos dies legationibus iisque gravioribus cauſis fuiſſe transmiſſos, ad anni præſentis initium tocul dubio pertinent, quæ alter vitæ SS. Cyrilli & Methudii auctor rca Apoſtolos hos Slavorum Romæ accidiſſe memorat. *Apoſtolicus ro* (inquit) *& reliqui Rectores Eccleſiæ corripiebant B. Cyrillum, cur videli- t auſus fuiſſet in Sclavonica lingua horas Canonicas ſtatuere, & ſanctorum rum inſtituta immutare. At ille humiliter reſpondens dixit: attendite vos fra-* *Baron. ad An. 867. N. 130.*

fratres & domini sermonem Apostoli dicentis: loqui variis linguis nolite prohibere. Secutus ego Apostolicam doctrinam, quam impugnatis, institui. At illi dixerunt: quamvis Apostolus loqui variis linguis persuaserit, non tamen per hoc ipsam, quam statuisti linguam, divina solemnia volunt decantari. Cum autem propter hujusmodi institutionem plus & plus inter eos cresceret altercatio, B. Cyrillus dictum Davidicum protulit in medium dicens: scriptum est enim: omnis spiritus laudet dominum: & si omnis spiritus laudando magnificat dominum, cur ne ergo prohibetis sacrarum Missarum solemnia & Horarum Sclavonice modulari, siquidem si quivissemus illi populo aliter aliquando cum ceteris nationibus subvenire in lingua græca vel latina, omnino, quæ reprehenditis, non sanxissem: sed quia idiotas viarum Dei totaliter eos reperiens & ignaros, solum hoc ingenium almus sancti spiritus gratia cordi meo inspirante, per quod etiam innumerosum populum Deo acquisivi. Quapropter Patres & Domini cogitate consultius, si institutionis meæ normam hanc expediat immutare. At illi audientes, & admirantes tanti viri industriam & fidem, studiosa deliberatione præhabita statuerunt superducto ordine & sermone in illis partibus, quas Deo B. Cyrillus acquisierat, sic statuerat, Canonicas Horas cum Missarum solemniis ita debere deinceps celebrari.

Superiore anno jam innui Clarissimum Assemanum hæc authoris verba refellere, eaque primum sub Joanne VIII. & S. Methudio accidisse conniti probare, qui demum subjungit: *Neoterios non moramur, qui nullo producto antiquo documento narrationes tradunt a genuinis Romanorum Pontificum epistolis abhorrentes:* Sed quo pacto hic pervetustus author vitæ, cum Christannus noster, denique Ms. Breviarium Olomucense ab Henschenio vulgatum in censum Neotericorum venire possit, non video. Diffinquenda hæc sub Hadriano S. Cyrilli reprehensio Romæ ipso præsente facta, ab altera solum epistolari, quæ postea sub Joanne Octavo contra S. Methodium mota est. Imo ad hunc locum ostendemus S. Methodium non tam literis reprehensum, quod sacra in lingua Slavica peragat, quam quod a Bajoariæ cumprimis Episcopis absens accusatus fuerit apud eundem Pontificem, quod in lingua Slavica *aliter*, scilicet præter ritum & doctrinam Ecclesiæ latinæ, sacra celebraverit. Quo pacto etiam multo posterius ab Urbano Papa & novissime Benedicto XIV. Sacerdotibus Slavorum sacra interdicta fuere, qui videlicet non ritu Romano, Breviariis & Missalibus a sede Apostolica approbatis usi fuerint. Tum vix quidem persuadere mihi possum: hoc attentatum S. Cyrilli, quod linguam Slavicam in Ecclesiæ ritus, nonnisi alias latino & græco sermone peragi solitos, invexerit, potuisse latere summum Pontificem Hadrianum, & usque ad tempora Joannis VIII. manisi

Asseman. T. III. P. 2. c. 1. p. 178.

rec-

rectum, ut is primus demum ea in re abusum adverteret, ac propterea id S. Methodio interdiceret; certe his annis frequentiores jam fuere Romæ legationes ex Bulgaria, unde id procul dubio comperit Hadrianus Papa; ut vero is ad novationem hanc penitus subticuisset, nullus adduci possum, ut credam. Ceterum pedibus abeo in Clarissimi Assemani sententiam Neotericorum commentum esse, quod illi de voce cœlo emissa hac in ipsa synodo produnt. De illa primus omnium Pulkava sæculi XIV. scriptor his verbis: *Subito vox de cœlis insonuit dicens: omnis spiritus laudet dominum, & omnis lingua confiteatur ei. Tunc Papa hoc audito miraculo in perpetuum statuit, quod in lingua Slavonica possint Missæ & alia divina officia celebrari.* Hoc, inquam, miraculum, de quo nemo veterum, figmentum Pulkavæ est, quod postea Æneas Silvius, Anonymus apud Menkenium, Dubravius, passimque alii nostri recentiores exscripsere, eruditissimeque hac in re jam pronunciavit Henschenius: hoc cœlitus missum responsum haud aliter esse accipiendum, quam pro divino quodam instinctu, quo permoti sint singulorum animi, ut Apostolicorum virorum postulatis annuerent. *Pulkavæ Mſ. Æneas Silvius c. 13. Menken. T. III. p. 1633 Dubrav. l. 4. In Comment. prævio §. 3. n. 26. ad 9. Martii.*

II. Haud dubium ad eundem præsentem annum referri, quæ uterque vitæ scriptor de oblato SS. Cyrillo & Methudio Episcopatu commemorat, & prior quidem, postquam allationem corporis S. Clementis enarrasset subjungit: *Multis itaque gratiarum actionibus præfato Philosopho* (Cyrillo) *pro tanto beneficio redditis consecraverunt ipsum & Methodium in Episcopos, nec non & ceteros eorum discipulos in presbyteros & diaconos.* At vero alter vitæ author S. Cyrillum Episcopatui renunciasse refert his verbis: *Cum ergo fama viri Dei magnificaretur in populo, expaveſcens, ne rumigero populi celebraretur favore, sub magna deliberavit vigilantia potius soli Deo cognitus esse, quam hominum efferri laudibus, quapropter, Episcopatui renuncians, habitum induit monachalem, & ex auctoritate Apostolica dereliquit post se S. Methudium fratrem suum gloriosis virtutibus glorificandum: cui pro fœdere caritatis eternæ tanquam pius magister discipulo suo amore devoto curam commendavit pastoralem: in quo caritatis munificentia, religio optimæ vitæ, & verbi Dei instantia veraciter residebat. Factus ergo Moravorum Antistes &c.* reliqua ad sequentes annos pertinent. Ex hac posteriori narratione aliisque argumentatur rerum Slavicarum cognitione vir perpolitissimus Assemanus S. Cyrillum nunquam fuisse Episcopum, sed obtum sibi honorem recusasse. At vero quoniam priori vitæ scriptore, quem coævum fuisse multis probat Henschenius, antiquiorem certio- *Ad 9. Martii §. 9. Assemon. T. III. P. I. c. 2. p. 113.*

remque authorem de geſtis S. Cyrilli ſcribentem non habemus, iſque verbis expreſſis dicat S. Cyrillum fuiſſe conſecratum Epiſcopum, neque in hoc ab ejus aſſertis recedendum eſſe autumo. Non vero alter vitæ ſcriptor dicit eum oblatum ſibi Epiſcopatus honorem recuſaſſe, ſed *Epiſcopatui renunciaſſe*, quod utique poſt conſecrationem fieri potuit. Nam ſecundus vitæ ſcriptor, qui priore poſterior eſt ætate, ex primo in rebus dubiis obſcurisque explicandus. Imo is haud obſcuris verbis innuit S. Cyrillum fuiſſe Epiſcopum, cum de S. Methodio loquens dicat: *Cui* (Cyrillus) *pro fœdere caritatis æternæ tanquam pius magiſter diſcipulo ſuo amore devoto curam commendavit paſtoralem*, nempe Eccleſiæ Moravo-Slavicæ. Uterque enim procul dubio conſecratus fuit Epiſcopus regionarius Slavorum, ſed cum S. Cyrillo vita Monachalis Romæ præplacuiſſet, depoſito Epiſcopatus honore *ex auctoritate Apoſtolica*, ut idem author dicit, *dereliquit poſt ſe S. Methodium fratrem ſuum glorioſis virtutibus glorificandum.* Anthologium certo Ruthenorum, & Martyrologium Romanum eum Epiſcopum appellant, omnes Cathalogi Epiſcoporum Moraviæ eum primum ſerie referunt, ut taceam vetuſta quæque ſimulacra & imagines, quibus ubivis ornatu Epiſcopali repræſentatur. Nec obſtant lectiones Breviarii Polonici a Clariſſimo Aſſemano citati, quibus *habitu Monachico & gradu ſacerdotali* obiiſſe aſſeritur, nam hæ lectiones non æquant ætate primum vitæ ſcriptorem, nec ſilentium Joannis VIII. Papæ illius fidei derogare quidquam poteſt, quandoquidem is ex uſitata & magis nota appellatione ſimpliciter *Conſtantinum Philoſophum* vocat. Quin ajo: merito prudenterque Joannem VIII. abſtinuiſſe Epiſcopi titulo, quandoquidem is non ignorabat S. Cyrillum multo ante obtentum Epiſcopatus honorem Slavinas literas inveniſſe, quem titulum ei haud citra prolepſis vitium dare potuit de Slavicarum literarum inventione loquens.

Apud Culcinium ad XIV. Febr.

III. Ex ſupra relato utroque vitæ auctore, Breviario veteri Olomucenſi & Chriſtanno noſtro liquet S. Cyrillum non amplius rediviſſe ad Moraviam, atque ideo omnia illa Apoſtolica geſta, quæ ſeu in Moravorum ſeu Bohemorum converſionem poſterius exantlata ſunt, in unum ſolumque S. Methudium ſpectare, erraſſeque omnes recentiores patrios ſcriptores noſtros, dum S. Cyrillo baptiſmum Borzivogii, aliaque Apoſtolicos in Boemia labores tribuerunt. Non tam miramur Hagecium utriusque hujus vitæ ignarum, quam Stredovskium, qui ea Acta SS. Cyrilli & Methodii ab Henſchenio edita notisque adornata præ

præ manibus habuerit, tamen rebus in his amplificandis plus ingenio ſuo recentiſſimorumque figmentis, quam tantorum monumentorum auctoritati tribuere maluerit. Narrat is ergo tanquam rem certiſſimam tam ſanctum Cyrillum, quam Methodium rediiſſe Roma in Moraviam, S. Cyrillum Moraviæ Archi-Epiſcopum conſtitutum, imo quod minus ferendum, geminat is perperam horum ſanctorum profectionem Romam, & quidem primum anno 861. eos evocatos ait a Nicolao Papa, ut conſecrarentur Epiſcopi, & Welehradenſis Eccleſia conſtitueretur Cathedralis, tum rurſum anno 867. ab eodem Pontifice illuc citatos memorat, ut accuſationum capitibus de invecto in ritus Eccleſiæ linguæ Slavicæ uſu reſpondeant. Sed quis hæc non ſibiſo digna deputet, quisquis utramque Divorum horum vitam vel a limine ſalutavit. Poſt Nicolai enim mortem illi primum ab Hadriano conſtituti ſunt Epiſcopi, & Welehradenſis Eccleſiæ nec in alterutro nec in ullo vetere ſcriptore uſpiam memoria. Fabuloſum igitur eſt, dum ait: Paſſavienſem Epiſcopum ob erectionem Archi-Epiſcopatus Welehradenſis vetera Laureacenſis Archi-præſulatus jura amiſiſſe.

Stredovsky l. 2 c. 12.

Idem l. 2, c. 8.

Idem l. 2, c. 12.

IV. Alter quidem author ait: S. Methudium nonniſi factum Moravorum Antiſtitem, at Joannis VIII. poſterius datæ epiſtolæ innuunt S. Methudium hoc anno titulo Moraviæ ſeu Pannoniæ Archi-Epiſcopi inſignitum rediiſſe, hac enim appellatione impertit eum Pontifex in fronte literarum, & clare id innuit epiſtola Num. 194. in qua hæc leguntur: *Methudius veſter Archi-Epiſcopus ab Anteceſſore noſtro Adriano ſcilicet Papa ordinatus vobisque directus.* Nec tamen cum Moraviæ ſcriptoribus aut noſtris aſſerere auſim S. Methudium Welehradenſem Archi-Epiſcopum factum, aut Welehradenſem Eccleſiam in Metropoliticam evectam: conſtat ſæculo adhuc exeunte X. hujus Marchionatus Epiſcopos haud aliter in bullis ſummorum Pontificum, quam Moraviæ Epiſcopos appellatos, atque ſi fides Vincentio noſtro, quem nuper primus in lucem publicis typis protuli, ſæculi XII. ſcriptori: Epiſcopatum is in civitate Olomuc a primis ejusdem terræ Ducibus inceptum memorat. Adſipulor itaque ſententiæ Schminkii ita de S. Methodio commentantis: *Licet Methodius fuerit Archi-Epiſcopus, non tamen certæ ſedi eum affixum fuiſſe autem, innuere enim id mihi videtur Hatto in epiſtola ſua ad Joannem IX. cum ait, „ nunquam antehac ſedem metropoliticam in Moravia fuiſſe. „ Regionius igitur potius Archi-Epiſcopus & quidem Moraviæ erit appellandus, uti ſacius Germanorum Apoſtolus, qui pariter Epiſcopus & Archi-Epiſcopus erat*

Peſſina, Stredovsky l. 2. c. 12.

Vincentius ad An. 1141. inter Monum. inedita T. I. p. 31. Schminkius in Goldaſt. l. 1. c. 2.

regionarius, antequam ſedi Moguntinæ præficeretur. Rem magis explicat Serarius: *Quibusdam Epiſcopis incerta ſedes nullusque certus ac fixus locus eſt. Hoc genus Epiſcoporum in iis plerumque gentibus ac provinciis reperitur, quæ ad fidem Chriſti aggregari primo inceperunt. Cum enim ii, qui Evangelium iis annunciant, huc illuc procurrere debeant, neque congregatum adhuc ovile in una quapiam aut ditione aut urbe obtineant, Epiſcopalem quidem presbyterorum ordinandorum, vel Archi-Epiſcopalem etiam creandorum Epiſcoporum poteſtatem ab Apoſtolico accipiunt, ſed incertis interea vagantur ſedibus, præciſe ac ſimpliciter Epiſcopi, vel generatim ejus regionis, in qua laborant, vel Archi-Epiſcopi appellantur.* Qualem fuiſſe S. Methudium nullus dubito. Nec exiſtimo alia de cauſa Pannonienſis ſeu Moravienſis Eccleſiæ (nuſpiam enim Welehradenſis appellatur) Archi-Epiſcopum nuncupatum, quam quod nulli certæ ſedi urbique affixus fuerit. Quare veroſimillime tot Epiſcopatuum viciniſſimorum in Moravia Olomucenſis, Welehradenſis, Poleſchovienſis, Podivinenſisque traditio (nam documentum vetus legitimumque de illis exſtat nullum) non aliunde orta eſt, quam quod S. Methudius, nulli ſedi alligatus, jam in Olomucenſi, jam Welehradenſi, jam Poleſchovienſi, jam Podivinenſi Eccleſia reſederit. Ut verum quidem ſit eum Moraviæ Pannoniæque fuiſſe Archi-Epiſcopum, at ſedem Metropoliticam eo vivente nusquam deſignatam fixamque. Non vana ſuſpicione pulſor inde Welegradenſis Epiſcopatus traditionem opinionemque præſertim inter recentiores enatam, quod Velehradum hoc cum altero Belegrado, quod a Græcis Scriptoribus Velegrad quoque ſcribitur, quodque caſtrum fuit nominatiſſimum ad confluentem Savi & Danubii, perperam pro Welehrado Moraviæ fuerit acceptum. Iſthic enim eodem tempore fuiſſe Epiſcopum, qui ad Bulgarorum ditiones pertinebat, legere eſt ex epiſtola Joannis VIII. ad Bogorem Bulgarorum Regem ſcripta, in qua hæc notantur: *Ceterum gloria veſtra ſciat Sergium Eunuchum, qui quum genere Sclavus eſſet, & multis prævitatibus irretitus, ſacerdotium per ſubreptionem obtinuit; & poſt etiam ſuper aliis detectus & convictus exceſſibus ab Epiſcopo tunc ſuo depoſitus fuiſſe dignoſcitur, & poſt indigne ſatis a Georgio, qui falſo ſibi Epiſcopi nomen uſurpavit, ad Epiſcopatum Belogradenſem provectus eſt.* Hem Velehradenſem Epiſcopatum, quem a Savo & Danubio traxere ad Moraviam ſequioris ævi ſcriptores, creberrimeque hujus caſtri & urbis memoriam ingerit Conſtantinus Porphyrogenitus in ſuo libro de adminiſtrando imperio, in quo paſſim *Velegrad* ſcriptum legitur; eſt autem Velegradum iſtud haud aliud, quam quod hodiedum in Servia perſtat, annoque 1718. a Principe Eugenio Tur-

Serarius in vita S. Bonifacii Not. XXV.

Epiſt. Joan. VIII. N. 75.

Turcis ereptum, anno vero 1739. iisdem rursum a Carolo VI. Imperatore concessum est. Cui cum vicinum alterum fuerit castrum *Moravum* nomine, id procul dubio Moraviam interpretandi occasionem dedit. Libet audire Cedrenum scribentem: *Petrus quidam Bulgarus cognomento Delianus servus cujusdam Constantinopolitani profugus ex urbe Bulgariam pervagando usque ad Morabum & Belegrada pervenit, quæ sunt castella Pannoniæ ad istrum sita & vicina Regi Turciæ.* Eruditissime igitur Rdmus ac Amplissimus Dominus Bonaventura Pitter Ord. S. Benedicti Cœnobii Rayhradensis in Moravia Prælatus vir exquisita rerum patriarum cognitione & monumentorum varietate ac copia instructissimus in epistola anno 1763. die 6. Junii hæc ad me scripsit: *De Welehrado nostri quoque fabulam canere videntur; sedem Regis & Archi-Episcopi ibidem stetisse. Adsunt quædam vestigia supra monasterium alicujus castri, quod non Welehrad sed Hradek appellatur. Et certe, si quid ejusmodi fuisset, non tacuisset Wladislaus Marchio fundator & confirmator Przemyslaus ad initium sæculi XIII. monasterium Welehradense erigentes.* Addere liceat: nostrorum opinionem penitus everti ex querela Episcoporum Bojoariæ ad Joannem IX. Papam post mortem SS. Cyrilli & Methudii porrecta, in qua illi summo Pontifici nonnisi de uno in Moravia recto Episcopatu scilicet Nitriensi querulantur, & verbis expressis ait Ratto Moguntinus Archi-Episcopus ibidem in alia epistola: antehac in Moravia sedem Metropoliticam non fuisse. Ceterum de Welehrado hoc, quod hodie eversum constat, quodque seu in Monasterium ordinis Cistercienſium, uti quidam putant, seu in urbem Hradischt initit, jam plura præoccupavimus ad annum 865. situs is locus est ex facile lucis ab Olomucio in Austrum distans ad Moravam fluvium.

Cedrenus ad An. 1040. p. 745.

Apud Gevold. in addit. Humdii T. I.

V. A sacris ad profana: Annales quidem Francofuldenses hoc anno de rebus gestis Moravorum Boemorumque silent, at Bertiniani non obscure indigitant Ludovico Regi Germaniæ cum alterutra gente negotium hoc anno fuisse, utramque enim passim Winidorum nomine designare solent. Sic vero loquuntur ad annum sequentem: *Ludovicus rex Germaniæ ab expeditione hostili de Winedis, cum quibus præsenti & præterito anno sæpe comminus sui congredientes, aut nihil aut parum utilitatis egerunt, sed maximum damnum retulerunt &c.* Ut procul dubio hoc aliorum scriptorum Annalium silentium indicet, rem hujus anni gestam parum decori fuisse genti Francicæ, atque idcirco prætermissam narrari, vix fidem nullam meretur, dum Goldastus ex Spangenbergio hoc an-

Ad An. 869.

Goldast. l. 2. c. 8. §. 11.

anno Moravis novam cladem appingit his verbis: *Anno DCCCLXVII dicuntur Moravi debellati a Carolo III. Rege jussu patris Ludovici II.*

ANNUS 869.

Vix veris clementia aeris intemperiem aliquantum mitigabat, cum Wlastislaus suos jam jam accinctos viritimque lectos sub primum classici signum in campis Bozdiechovensibus (a) esse monuit. Inde missus Wisehradum fecialis, qui ad diem sextum Idus Maji solemnibus verbis Neklano bellum indiceret, camposque Turcenses prælio designaret. Perculit quidem hoc nuncium pectus Neklani ad probitatem magis, quam bellicam audaciam ex natura comparatum, at simulato pavore feciali ex procerum sententia sat animose respondit. „ Veniret modo „ Wlastislaus, audaciam hanc ei staturam capite, obversa „ ri sibi identidem ob oculos ludificam illam scenam, cum „ superbum illud Ducis Zatecensis caput stipite suo avulsum, „ cuspideque fixum triumphabundus in Wisehradenses mu „ ros illaturus esset. „ Non segnius igitur Wisehradi acceptum, quam indictum bellum est. Altero mox die e omni nobilitate, civitatibus, colonisque conscriptus exercitus, in quibus Neklanus nec voluntatem, nec armorum apparatum, nec celeritatem desiderari passus est. Jam octavo Iduum Maji (b) sub signis Pragensis egressus exercitu exporrectos supra torrentem Bruska campos occupavit, dictoque sacramento cum fide vitam Principi consecravit, quitidem die Wlastislaus ad exustum nuper Budecium appul

Neklanus bellum apparat.

al-

tera luce ex eminenti loco exertum manu mucronem teens hac vaniſſima oratione ſuos ad prælium accendit: „ Hæc una commilitones mei non tam ſpes, quam fiducia *Wlaſlidai ad milites oratio.* „ certæ vobis ſit victoriæ, quod haud immemores eſtis hoc „ pavidum mortalium genus toties a vobis fuſum, quoties „ vobiſcum in aciem deſcendere auſum eſt. Enim vero „ enſes veſtri jam toties illorum ſanguine refocillati, nihil „ ardentius, quam eum ipſum ſitiunt. Haud aliud ſenſibus „ veſtris jam objici ſuſtinete, quam palmas, quam lauros, „ quam triumphos, fiduciam hanc certam vobis faciunt Dii „ Pragenſium iniquitate irritati, & Mars ipſe non modo ſe „ vobis propitium, ſed patronum Ducemque futurum polli„ cetur. Infra numerum ſunt, quotquot vultures, niſos, „ accipitres, corvosque vobiſcum allatos coram video, „ nunquam enim tot devorandis ſternendorum corporum „ ſufficient carnibus, utinam turmam præterea gryphorum, „ aquilarum, otidumque adjunxiſſetis, ſat ſuperque illi ha„ bituri eſſent ad explendum ingluvie in plures menſes ven„ trem ſuum. Per Martis ſummam divinitatem, hujusque „ mucronis, quem manu gero, aciem juro, (c) nemini me „ parta victoria conceſſurum vitam, quin exagitatus ſemel „ furor ne liberis quidem veniam dabit; apponam uberibus „ matrum catulos, quos tygrides iſtæ lupæque ſatius, quam „ homines nutriant. Vos vero cavete maxime quempiam „ virtute veſtra cæſum ſepulturæ tradere, digni nempe, „ quos etiam mortuos aeris intemperies infeſtet, quosque „ canes & lupi lanient. Cras tandem cognituri eſtis, me

„ ora-

„ oraculum prolocutum, inviſum enim eo die germen p
„ nitus exciſum, vosque eorum divitiis locupletatos cer
„ mecum gaviſuri eſtis. „ Non prætereundum, quod p
eos dies Zatecii evenit: proficiſcentem ad bellum privignu
quendam Strabam (d) amplexata ſeorſum mater noverc
Noverce consilium. „ Haud me latet, inquit, fili! quam rarus ſit noverc
„ amor in privignum; mariti tamen mei, patris tui v
„ optimi recordatio facit, ut tibi germanæ matris ſim lo
„ Nunc igitur, quæ arcano tibi aperiam, eorum aliq
„ omittas, cave, inde enim in communi pernicie ſalus n
„ pendet. Cum acie dimicare cœperitis, primum, qu
„ ſors obtulerit, hoſtem interficies tu quidem, illoque e
„ dejecto, eques enim occurret, tu pariter ad pedes d
„ lies, ab capite reſecabis aures, inque ſinum conjic
„ tum ante pedes proſciſſa gladio decuſſatim humo (e) f
„ gies ex acie, quoad poteris, neque hercle, ſi ſapi
„ ſpicies, quamlibet horrendo poſt te fragore dirumpi ſ
„ montesque ruere videantur. Hoc pacto cladem tu, & pau
„ mi quidam tecum, quos benignior fortuna reſpexerit, eva
„ tis; nam de exercitu, deque rerum ſumma actum
„ exoſa quippe fieri cœpit gens noſtra immortalibus Dii
Hæc cum dixiſſet, privignus non ignarus artium nove
conſiliis gratiam habuit. At vero

Adventu Wlaſtislai cognito Neklan ſolita verti
correptus, circumſpicere cœpit, quo artificio & invi
ſibi ſemper pugnam ſubterfugeret, & tamen egregii
Ducis ſuſtineret perſonam. Multum æſtuanti in men
ve-

venit Styrus (f) de Cheinow vir ſtrenuus, ſummaque ſemper cum laude in prælis verſatus. Huic clam vocato morbum aperit, multisque virum obteſtatur: ut quoniam per animi vitium prælio adeſſe non poſſet, ipſe Principis arma indutus, virtute ſua Pragenſium gloriam ſuſtentaret. (g) Ad ea Styrus: „ Statim, inquit, ſubiit animum cogitatio, „ non fruſtra me hoc temporis articulo nominatim acciri, „ neque nunc ignarus ſum, in quæ pericula conjecturus ſim „ caput, cui nec in acie licebit conſpici, quin continuo „ intenta omnium tela me unum petant, nec victoriam per„ ſona tua dignam ſperare poſſim, Wlaſtislao manu mea non „ occiſo. Quod facinoris hujus præmium feram? „ cumque Neklanus polliceretur ſancte omnia, quæ vel deſideraturus eſſet, perſequitur Styrus: „ Præclarum tuum de me „ judicium facit Neklane, ut libenter vitam, quam tibi, „ patriæque debeo, in hac pleniſſima gloriæ ſcena profun„ dam, tuam in me liberalitatem ſalvo mihi atque incolumi „ redituro certam deputo, quodſi vero contigerit oppetere, „ tumulum mihi ſublimiore illic loco condes, unde Cheynovium poſſit deſpici. Ceterum nunquam me commiſſurum „ ſcito, ut ſeu in vivo ſeu mortuo eorum aliquid, quod perſona, quam geram, dignum ſit, deſideres. „ Hæc tolocutus alacri animo equum atque arma inſignia Principis poſcit, ſtatimque Neklano in amplexus cum lacrymis lente extremum valere juſſo cum paucis comitibus, quis nota erat fabulæ totius actio, equo Ducali vectus in ſtra maturavit. Pervaſerat jam in milites rumor Princi-

Styrus perſonam Neklani in prælio ſuſtinet.

pem adventare, & qui a Neklano (interea dum Wiſſehradi ſcena luditur) præmiſſi fuere, paratas ad profectionem copias præfectos habere juſſerant, cum adveniens caſtrenſes inter clamores perſonatus Neklan ſine mora exercitum in hoſtem rapit. Sequitur præeuntem ducem lætis paſſibus miles, jamque ad ripam fluminis (b) ventum, huc cum ſe flecteret, ecce tibi anicula haruſpica e ſublimi ſaxo magnis clamoribus vociferans: „ Quo ruitis impuri, inquit, pro„ fani, & inauſpicati iram Deorum poſt tergum trahen„ tes? (i) pergite modo, ut cœpiſtis, non certe tales, me „ quidem vate, redituri. „ Quærentibus execrationum cauſam; ſacrificia neglecta, non placatos hoſtiis Deos peſſimam cladem daturos dixit, quodſi prælio ſuperiores diſcedere velint, litent immortalibus Diis aſinam, ex eaque ſinguli deguſtent, nam id ſacrificium numina a Pragenſibus expoſcere. Ut rebus fidem conciliaret, miſſam ſe ajebat non modo a ſupremo Jove, ſed & Marte, Cerere, atque Bellona (k) ad mandata hæc perferenda. Nihil æque movet feroces animos, atque incuſſa mentibus ſuperſtitio. Lita extemplo aſina clitellaria, fruſtaque minutula ad deliban-dum viritim diviſa, incredibilem animis corporibusque vim ingeſſere, ut nihil jam præter pugnam atque hoſtem poſcerent. (l) Eo militum ardore dux uſus continenti ejus diei itinere, quamquam cadente jam luce, clivos tamen, & imminentia Turſcenſibus campis juga cum exercitu tenuit, ibidemque poſitis excubiis noctem cum lætitia exegit. Ortu aurora dubiaque lux jam utrinque hoſtem prodidit: Zatecenſem

Haruſpicæ conſilium.

Aſina litatur.

lem plana, Wiſſehradenſem ſuperiora tenentem. Nec mora prior Wlaſtislaus aciem inſtruxit, ſenſimque exporrigere cœpit. Idem a Styro factum, promotusque eatenus per declivia exercitus, quoad facultatem ſuperioris loci non amitteret, & tamen pugnandi copiam facturus videretur. In hoc rerum articulo uterque Dux hortari ſuos, Styrus quidem per conſcios, quis eſſet, circumire exercitum, monere: magno animo prælium capeſſerent, quos ſuperiores & Deorum præſidium, & locus ipſe, & æquitas cauſæ feciſſet. In victoria quantum deinceps ſecuritatis & gloriæ, quantum in præſentia ultionis ac prædæ offerretur, oſtendere; contra in fuga duplicem mortem exſpectarent, unam, quod aut in fuga, aut domi ab inſequente hoſte interceptis impliciter moriendum eſſet, alteram, eamque multo triſtiorem, quod liberos in ſinu matrum, maritos in uxorum amplexu necaturum ſe per cruciatus crudelis victor juraſſet. Demum hortari: ut quod in prælio facere Principem vidiſſent, eadem ipſi agere, ut ne per ſocordiam dubitarent, miſiti præterea plenam libertatem permittens: ſuppliciis ſe ſe deſtinaret omnibus, niſi eo adhuc die & luculenta victoria e Zatecenſi Principatu potiretur. Contra Wlaſtislaus cum uis turmis, armorum pretio ac ſplendore diluculi principia uſtrantibus, propius movens, intrepidus ſe ſe Pragenſium bjicit obtutibus, & cum cognoſcit hoſtem immotum ſuum ſpectare impetum, ſuos extemplo pede conſiſtere quoque bet, tum elata voce, ut ab omnibus intelligi poſſet, plea cavillabundæ commiſerationis ſatyram in Pragenſes op-

Acies utrinque inſtruitur.

positos evomit: „ Doleo, exclamat, o imbelles animos „ sortem vestram! fugamne vos circumspecturæ prius a „ arma? collem vero vestrum, quem metu occupastis sal „ ti vobis futurum creditis? „ conversus vero ad suos „ Hem! miles, inquit, fortes viros, qui in plana descende „ re, manumque conserere trepidant. Videsne jam ad fu „ gam accinctos? quibus si tu vel propius trux supercilium „ ostenderis, exterriti terga tibi obvertent. Ædepol si „ loco paululum successeris, habiturus neminem, quicum „ confligas. An singulis fortassis injecti compedes, ut „ etiam conviciis nostris provocati se se loco movere non „ possint? istud certe miles est: vim tuam operiuntur & „ impressionem. Nihil ergo jam opus mucrone, quem exe- „ ras, indignus illorum cruor, ut enses tuos telaque inqui- „ net, tanquam stipula pedibus, equorumque ungulis pro- *Emittitur rapacium volucrum turma.* „ terendi sunt. Evax emitte jam omnem, quem manibus „ tenes, rapacium avium exercitum, quem sat superque „ idoneum puta ad trepidantes has columbas profligandas. „ Is vero fuit fœdæ istius alitis numerus, ut instar sordidæ nu bis obducto cœlo diem oculis eripere videretur. Sed in perterrito vultu & animo hæc excepit Styrus, suos perpetu tum gloriæ tum salutis stimulis ad fortiter agendum anima ac demum orationem his verbis absolvit: „ Dexteritas fo „ titudoque vestra jam tot palmas, quot hostium capita d „ messura est. Ut me ductorem ita magnanimitatis exem „ plum habete: æterna infamia notetur in fastis vestris Sty „ nomen, nisi jam videritis illius dextera integros Luze

„ sium

„ ſum manipulos ſterni, & ipſum infeſtum Wlaſtislai jugu-
„ lum hoc acinace reſecari. „ Jamque Luzenſes acies ad
teli jactum propinquabant, cum Styrus poſtremo, eoque vali-
do clamore ſignum dedit, hoſtem citato impeterent curſu.
Primus is ferocem ſtimulis exagitat equum, inque confer-
tam Zatecenſium multitudinem cum prementibus veſtigia
Pragenſibus velut turbo irruit, impreſſione ex colle facta, *Committitur pugna.*
quidquid obviam eſt, ceditur ac trucidatur, unusque Styrus
ſuo mucrone tantam ubique ſtragem capitum circumfundit,
non ſecus atque falce gramina demeterentur. Diu tamen ancipiti
Marte pugnatum victoria jam in hanc, jam in alteram partem in-
clinante, tubarumque clangori permixto militum murmure,
armorum equorumque ſtrepitu omnem circum late aerem
implente. Styrus perruptis primis ordinibus jam jam me-
lius inter hoſtiles legiones furit; forte eminus obſervat vi-
rum eleganti forma, totum ferro opertum, & deaurata tec-
um caſſide ſtudioſe ſervari ab equitum non mediocri turma,
aque ut venuſtiore armis, ita viribus validiore. Wlaſtis-
aum eum procul dubio eſſe recte ominatus, omni impetu
n eum fertur. At quoniam Principis tutamen, ultra quam
lici poſſit, Luzenſium induſtriam ac fortitudinem exacuerat,
arum horarum ſpatio vix Styro inter centena funera &
ortes perrumpere licuit. Præſentiſſimum dein Wlaſtis-
s conſpicatus periculum, tutiſſimum credidit ſe ſe Styri
biei ſubducere, atque præſidium a tergo triariorum ſuo-
um quærere, quem Styrus equo inſecutus hac illuſoria vo-
increpat: Latere te putas truculente tyranne! Eho!

ubi rapacium tuarum volucrum turmæ, quarum pabulo c
davera noſtra deſtinaſti? tuis illæ jam carnibus ac ſangui
Styrus Wlaſtislaum ſternit. ingluviem ſuam expleturæ ſunt. Nec mora: ſumma eque
vi, disjectis tutoribus, in æmulum inſilit, diſciſſoque umbo
medium caput cum caſside findit. Corruit Wlaſtislaus e
animis toties Pragenſium victor, & equorum calcibus m
ſer proteritur. (m) Caſus hic Principis, quod fieri ſole
tantum Luzenſium furorem exaſperavit; ut jam unus Sy
rus infeſtis ſignis peteretur, in eum omnium enſes ac ſpic
la converterentur. Quid vero mirum, ſi multitudo tan
unum obruit, nec prius fortiter agendi aſſuetum animum
quam plurimis vulneribus fauciatum corpus expugnavit
Quod rerum erat infortunatiſſimum ſepto undique ab hoſt
Heroi nec Pragenſis exercitus celerem porrigere dexteram
nec quantumvis exerta comitum ſuorum virtus contra mu
titudinem illi ſaluti eſſe potuit. Stratis igitur per humum
Styrus occiditur. corporibus præſidiarii ſui militis, & ipſe Styrus exhauſto
per vulnera ſanguine equo decidit, contabuitque. Incer
tum vero, neque hodie proditum, cujus præcipue virtute
ac manu fortiſſimus virorum lethale vulnus acceperit, ecci
deritque. (n) Ceſſit nihilominus tanti Heroïs conſiliis a
fortitudine pulcherrima Pragenſibus victoria, quanquam mi
nime incruenta, at Luzenſibus præterea & ſumme calami
toſa & exitialis, perpaucos enim nonniſi caſus, fuga, ac
miſericordia morti eripuit. Hos inter numerum quoque
tenuit, quem ſupra memoravimus, Straba: is exhauſtis ni
te mandatis novercæ ſuæ domum ex fuga delatus uxorem

ex

ex accepto ſecundum pectus vulnere ægram palpitantemque offendit. Vulnus hujuſcemodi a ſe ipſo nonnemini in cam-pis Turſcenſibus inflictum fuiſſe memor, jam illud non va-na ſuſpicione Strabæ pulſavit animum, ut diligentius ægrum corpus exploraret. Et vero aures quoque deeſſe comperit, quas pera extractas cum aptaret capiti, plane agnovit eas-dem hic deſiderari. (o) Scilicet jam res ipſa loquebatur: permixtam hoſtibus contra maritum in armis ſtetiſſe uxorem ſuam, procul dubio quod domo eſſet Pragenſis, multaque neceſſitudine Pragenſes attingeret. Inter hæc feſtinata mors juſtis ſuppliciis triveneficam eripuit. Ad Martis are-nam redeamus: ab ea victoria omnis Pragenſium multitudo ad prædas & ſpolia effuſa ſtratis corporibus manubias detra-hit, eaque triumphi ritu in mœnia minoris Pragæ inferens æqua partitione inter victorem militem diviſit. Altera, quæ illuxit, dies humandis data cadaveribus; luſtratis corpo-ribus Styrus, quis eſſet, agnitus præcepto Neklani apud præ-altam quercum incumbentem Cheynovio tumulum, qui ho-dieque buſtum ſeu quercus fortis equitis appellatur, (p) in-venit.

Uxor Strabæ comperta ſte-riſſe in armis.

Spolia Pragen-ſium.

Styri tumulus.

Sub hæc Neklan ad legendos victoriæ fructus in Zate-menſem agrum cum exercitu profectus, jacentia omnia ac ſupplicia invenit. Petenti Zatecium præſto fuere primores cum ramis & infulis poſtulantes cum fletu veniam, ſe-ne victoris gratiæ permittentes, quos ille acerbe objurga-vit, quod id ætatis potentiæque viri inconſultæ Principis temeritati patrocinati eſſent ſe ſequi juſſit in forum. Ibi con-

Neklanus cum exercitu venit Zatecium.

conſcenſo tribunali poſteaquam ampliſſima a Krzezomyslo p
tre, majoribusque ſuis collata eam in urbem beneficia rec
tavit, queſtusque eſt nihil ſibi niſi graviſſimas pro his inju
rias redditas, de Wlaſtislai familia & liberis quæſtionem in
jecit. Unica erat Wlaſtislao proles maſcula Zbislaus (
quadrimo major, ſcitiſſimus puerulus, miraque & indolis &
oris ſuavitate. Is a muliere, apud quam Bitozewſii fi
delituit in forum primum, deinde per armatos hoſtes intre
pido vultu ad tribunal progreſſus, arcteque ſtringens, u
doctus erat, victoris genua, & neſcio, quid pipiens, com
plorationem fletumque civibus, qualis in urbe capta eſſe ſo
let, movit: verentibus ne nativa atque inſita Neklano in
dulgentia tantis exulcerata injuriis in furorem deſineret; a
fatis meminerant, quid pueri pater meruiſſet. Sed molli
ra erant Neklano præcordia, quam quæ barbariem ullam ca
perent. Nam ex urbanis magiſtratibus quærere cœpit: ec
quem fidum amantemque rerum domini ſervum Wlaſislaus
habuiſſet? cunctis pariter Srbum quemdam Duringum nom
nantibus Zbislai occultatorem, altoremque; digna fides, i
ille, cujus nomen apud poſteros vigeat, ſtatimque quibu
dam ſuorum in mandatis dat, qui admoverent manus ope
urbemque Durinkium (s) ſupra Egram haud procul Pol
berga (t) conderent. Tum vocato ad tribunal Durin
„ Srbe, inquit, Duringe, libenter intellexi magnis m
„ Wlaſtislao ornatum beneficiis, non minori fide illius f
„ tis reſpondiſſe. Ob hæc merita dignum te duxi, qu
„ in conſpectu horum omnium urbe Durinkio, quam ex
„ fic-

Ejus clementia erga Wlaſislai filiolum.

Durinkium exstruxit.

, ficari jussi, omnique Postlbergensi regione donarem. (u)
, En felix iterum de manibus meis puerum accipe filium
, Wlastislai dominum tuum, quem civibus hodie suis cum
, malefactorum impunitate ac bona gratia reddo, eum, qua-
, qua potes, charitate & fide complectere, patriæque edu-
, ca. „ Non mediocris voluptatis indiciis clementiam hanc
excepit Duringus, omnia imperata se integra fide expletu-
um pollicitus. Postea Neklanus lustrata provincia, impo-
itisque per loca idonea præsidiis, & æquissimis ubique ma-
gistratibus constitutis, reditum adornari jussit. (x)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXIX.

HADRIANI II. PAPÆ 3. LUDOVICI IMP. 15.

NEKLANI 18.

(u) Quemadmodum Hagecius hanc belli Wlastislai historiam, quam primus sola quadam traditione meticulose protulit Cosmas, mirum quantum auxit, ita locum hunc quoque primus adecit. Bozdiechow hodie nullum comparet inter Satecensis regionis oca, Bezdiekow quatuor isthic est reperire.

(b) Hic & proxime sequens dies æque primum ab Hagecio proatus est, eos vero rursum tam certos Lupacius & Weleslavinus arbiati sunt, ut non dubitaverit utrumque alter in Ephemerides, alr in Kalendarium suum inserere.

(c) Memoria hæc de juramentis per ensem præstare solitis locum abet in vetustis Slavorum historiis. Idem olim Hunnis Slavorum conibus in usu fuisse Menander Græcus Scriptor his verbis testatur: *Menander in excerpt. legat. de Abaris.* *se educto, & in altum sublato* (Chaganus) *sibi & Avarum genti dira est precatus, si quid mali comminisceretur Romanis.*

(*d*) Cosmas tacito nomine solum privignum vocat, primus nomen Strabæ protulit Dalemilus, quem secutus Hagecius. Non autem ille novercam hoc nomine impertit, ut ei imputat Balbinus.

Dalemilus c.9.
Balbinus Dec. 1. l. 3. c. 17. §. 4

(*e*) Marignola ex Cosma addit: primum omnium ei a noverc imperatum fuisse his verbis: tu ergo inter pedes equi tui crucem terra cum ense lineabis, & sic solves invisibiles ligaturas, quibus strorum equi ligabuntur.

Marignola Mſ.

(*f*) Cosmas vocat *Tyrum*, Marignola, Pulkava *Sderum*. Æneas silvius *Sclercium*, Dubravius *Syderium*, Lupacius *Zderum* a *Chynna* Hagecius secutus est Dalemilum & Hofmannum qui *Styrum* vocat Mſ. sæculi XVI. *Lech* vocat; quod si authoritate aliqua nititur, an fo tassis traditio hæc ad Cosmam usque pervenit a Lechone illo Bohemi Duce, qui a Caroli Magni exercitu anno 805. occisus in Eginhard legitur, & de quo copiose ad eum annum Parte II. egimus. Non quidem existimem usque in Turcenses campos penetrasse Caroli mi tem, quod ex anni illius Annalibus Francorum liquet, sed forsita prælio saucium elatum Ducem isthic mortuum sepultumque, a qu sepultura locus nomen adhuc Cosmæ ætate retinuerit, ut *bustum acerri militis* seu *robusti equitis* passim audiret.

Lupacius ad 9. Maji.

(*g*) Cosmas ait: *Neelan lepore pavidior, & pardo fuga velocior* [illegible] *nam imminentem pertimuit, & ficta infirmitate in castro dicto delituit.*

(*h*) P. noster Victorinus ait ripam istam ab hac vetula poste men accepisse *Podbaba* quasi sub vetula dicas, quod hodiedum retin Est vero læva ripa Moldavæ fluminis infra muros Pragenses sub p ruptis saxis ad locum, quo rivus Scharka Moldavæ jungitur.

(*i*) Hæc Deorum Dearumque Romanarum nomina jam rec Cosmas, sed minus recte ex Mythologia Slavorum, quos alia Deor Dearumque nomina habuisse alibi crebro monuimus.

(*k*) Slavis in bellum progressuris consuetum fuisse diversa cap auguria docet nos epistola Nicolai Papæ circa hæc ipsa tempor Bulgaros data, qua ejuscemodi superstitionum loco eis sacramentor perceptionem, operaque pietatis præcipit. Verba sunt: *Refertis*

Nicolai Papæ epist. respons. ad consult. Bulgar. c. 35.

iti fueritis, quando ad prælium progrediebamini, dies & horas observare, & cantationes & joca & carmina, & nonnulla auguria exercere, & instrui deleratis, quid nunc vobis agendum sit &c.

(*l*) Quam verbose sacrificium istud asini propugnet Balbinus videi is potest Dec. 1. l. 3. c. 17. §. 15. Ceterum contra omnes veteres lohemiæ scriptores est, quod Æneas Silvius, & post eum Cuthenus atue Boregk tradunt: Aniculam hanc pythonissam victoriam promisisse, humana hostia placarentur Dii, ac proinde a Neklano juvenem sortius indicatum, qui in sacrificium cæderetur. Omnes enim superiores um Cosma de asino loquuntur. *Æneas Silv. c. 10. Cuthen. c. 10. Boregk p. 27.*

(*m*) Dubravius narrat: Wlastislaum a Styro cuspide transfixum, c equo deturbatum fuisse. Luzenses vero maleficio sagæ ita stupore erculsos, ut neque progredi, neque pedem referre possent. Balbius longa argumentatione conatur evincere duos ex uno Wlastislao sse statuendos admittendosque. At quid colores in tenebris exquiriius? rem neque certam de uno propinat Cosmas, omniaque circa us ætatem, regimen, gestaque incerta, quam indubiam crisim de uobus capere liceat? *Hist. Boh. l. 3. Balbin. Dec. 1. l. 7. c. 10. in notis.*

(*n*) Dubravius, & ex eo verosimillime Paprocius: *In hac pugna derius cecidit, non tam ab hostibus, quam a suis, qui virtuti & gloriæ ipsius videbant, oppressus.* Scilicet Cosmæ traditionibus addere, seu detrahere, u denique adversa appingere quisque fas sibi plenum esse arbitraatur. *Hist. Boh. l. 3. Paproc. c. 20.*

(*o*) Dubravius auget fabulam, additque appositas capiti aures aluisse. Dalemilus narrationem hanc tam certam statuit, ut subngat: *Ibidem. Dalemil. c. 20.*

Kdoz tomu nechze wierziti
Przida na Klasstet kswatemu Witu moz sie tiem ugistiti.
Neb na Rayskem dworzie nalesne to psano
Czoz gest o tom nynie powidano.

Id est:

Qui id credere non vult,
Veniens ad monasterium S. Viti edoceri potest.

Nam in imperiali aula reperitur hoc ſcriptum,
Quod de hac re nunc narratum eſt.

Hofman. c. 13. apud Hieron. Pez. T. II. At vero Hofmannus Dalemili interpres id pictum fuiſſe aſſeverat in ambitu S. Viti, verba illius ſunt: Wer des nicht glauben wolt, der mag ſich des pas erfaren: wan zu Prage zu Sanct Veit ſtet das gemalt in dem Kreutzgange. Sed circumſpectius ipſe hujus univerſi Neclanus inter & Wratislaum geſti belli primus prolator Coſmas: *Et quoniam hæc antiquis referuntur eveniſſe temporibus, utrum ſint facta an ficta, lectoris judicio relinquimus.* Utinam poſteriores Scriptores hunc veritatis cautorem Coſmæ æmulati fuiſſent, ac non res ejus dubias incertasque paſſim pro hiſtoriis veriſſimis venditaſſent.

Coſmas Chron. l. 1.

(*p*) Coſmas inquit: *Unde & hodie nominatur militis acerrimi bujus Tyri.* Oſtenditur in hunc diem crudi & abrupti ſaxi moles ſuper ſteriles campis ad Tursko, quæ in buſti hujus memoriam huc advoluta citur, quam & ipſe ſpectavi oculis. Dalemilus de hoc Styro apud Bohemos proverbium inoleviſſe ait: *Ne ſis Styrus*, id eſt: homo truculentus: Sic vero canit:

Dalemil. c. 20.

Pro ſwe dobre czíny Sſtir
Myl bil czechom yako tatorom wyr.
Geſſtiet Sſtirka wzpominagi;
Ne czin ſie Sſtyrkem (babi) czikagi.

(*q*) Nomen pueri nuſpiam prodidit Coſmas, nec alius ſuperiorum ante Hagecium. Dubravius ait eum vix ſeptimum annum egiſſe

Dubrav. l. 3.

(*r*) Veroſimillime Hagecius vicum Widoſeſs intellexit etiam in die perſtantem, inſignem quidem templo & medio lapide Poſtelbeg diſtantem. Nam ille quoque loci hujus primus memoriam facit.

(*s*) Perperam ex Duringi nomine effingit Hagecius urbem Hrynk, qua appellatione nemo eo ſuperior utitur. Freheriana Coſ editio vocat urbem *Oragus*, ſed ea recte corrigitur ex Codice Dr denſi Coſmæ apud Menkenium *Dragus*, quo nomine etiam appellat Pulkava & Marignola. Locus etiam poſterius nomine Drahuſi cognitus.

Menken. T. III. p. 1774.

(t) Cosmas, Pulkava & Marignola magis situm hujus loci explicant dicentes: *Juxta pagum Postoloprth* (Codex Dresdensis minus corrupte Postoloporth) *ubi nunc est cenobium sancte Marie Virginis*; scilicet ordinis S. Benedicti, quod latine *Apostolorum Porta* dicebatur, quodque rudes linguæ latinæ Czechi passim *Postoloprt* appellabant, de quo jam egimus P. II. p. 302.

(u) Cosmas tantum memorat traditam illi fuisse civitatem. Hinc noviter fingit Hofmannus: eam postea a Duringo fuisse temere petitam in præmium occisi a se Ducalis pueri. *Hofman. c. 14. apud Hieron. Pez. T. II.*

(x) Non prætereundum, quod ad hæc tempora præliumque Wlastislai cum Neklano narrat Hammerschmid, nescio e quo demum fonte: Wiechoslaum Klattoviensem quempiam sub reditum ex ea Pragensium victoria & Ducatus Zatecensis invasione domi suæ Bellonæ, quæ a Boemis Clyvina nuncupata sit, gratitudinis ergo fanum erexisse, atque in eo statuam argenteam collocasse, illud vero idolum temporum cursu tam celebre evasisse, ut ab eo tanquam Delphico Tripode responsa peterentur. Verum Daniel Raczinsky civis Beraunensis in suo carmi- *Raczinsky N. II. Mſ.* nico Chronico urbis Regiæ Liberæque Glattæ, quod Mſ. exstat in Bibliotheca Excellentissimi Comitis Emmanuelis a Waldstein initia cultus Clivinæ in Glattovienſi urbe jam cum illius initiis anno 791. reponit, itque durasse per viginti unum supra ducentos annos scilicet ad annum usque 912. Chronostychon illius hoc est: *Hammerschmid. Glor. Prag. c. 2 p. 11. & Hist. Clavov. P. I. c. 12.*

CLIVInæ LItat annIs tot pIa Vota sVb arIs.

videlicet a condita urbe. Verum recentior hic est author sine tabulis quoque scribens, quam ut fidem mereatur.

PRÆTERMISSA.

Haud immerito Jordanus Hagecium redarguit: quod perperam bellum hoc Neklanum inter ac Wlastislaum in hunc annum retulerit, quo constat ex scriptoribus Francicis sat superque negotii fuisse Boemis cum Bojoariis Francisque. Certiorem igitur anni hujus historiam delibare libet ex Annalibus Francofuldensibus, e quibus primum excerpemus, quæ ad gentem nostram, demum quæ ad Moravos spectant. Verba sunt: *Sclavi (qui vocantur Bohemi) terminos Bajouriorum* *Jordan. Orig. Slav. P. I. c. 29. §. 58.* *Annales Francofuld. ad h. a.*

rum crebris incursionibus infestant, & quasdam villas incendio tradentes, mulieres inde duxere captivas. Contra quos Hludovicus Rex tutores partium illarum interim misit, donec ipse opportuno tempore suorum vindicaturus injurias desertores arma corriperet. - - - Sorabi & Siusli junctis sibi Behemis & ceteris circum circa vicinis antiquos terminos Thuringiorum transgredientes, plurima loca devastant, & quosdam sibi incaute congredientes interficiunt. - - - Rursum: *Mense vero Augusto Rex Hludovicus collectis copiis in tres partes dimisit exercitum. Æquivocum suum cum Thuringis & Saxonibus ad comprimendam Sorabum audaciam destinavit. &c. - - -* *Interea Hludovicus* (filius Hludovici) *cum Sorabis manum conserens, primo quidem quibusdam occisis, hostes terga vertere coegit, deinde vero non modica ex eis multitudine prostrata, & Behemis* (*qui a Sorabis mercede conducti fuerant*) *partim occisis, partim ad sua tuspiter redeuntibus, ceteros in deditionem accepit.* Sed jam hæc non nihil illustrare juvat.

II. Duplex hic Bohemorum bellum commemoratur: alterum contra Bajoarios, alterum contra Turingos, cujus quidem posterioris non primas egere Bohemi, utpote qui Soraborum auxiliares fuere. Quam vero Bajoariæ partem vastaverint, num ultra Danubium progressi, num solum illum tractum, qui fonti & ostio Rhegini fluminis incingebatur, infestaverint, haud satis in Annalibus expeditum. Verosimilius tamen videtur, cum Annales transitus per Danubium nullam mentionem faciant, tutores seu comites partium illarum adhuc moram nactos, ne transitum per Danubium impedirent. Hinc Brunnerus & Rettenbacher Bohemis obseptum fuisse in Bojos iter scribunt. Expeditio, quæ in Thuringiam suscepta est, primum prosperos successus habuit, sed misso Hludovici filio Bohemi ad sua redire coacti, Sorabi vero & Siusli in deditionem accepti. Non sunt vero Siusli hi Silesii, ut perperam nonnulli sensere, sed Slavici populi Sorabique ad Muldam fluvium, qui videlicet nomen suum a pago Sorabico *Siusli* sunt indepti. Situs is fuit prope Ilburg seu Eulenburg ad fluvii Muldæ utramque ripam versus Albim, ut multis probat Abbas Gottvicensis, quo & eum in Tabula nostra Geographica Parte II. reposuimus. Falsum autem est, quod ex Aventini Goldastus adstruit: Carolomannum Ludovici filium per Sorabos Albim transiisse & Bojemiam percurrisse. Nam ut ex Annalibus Francofurtensibus liquet, Carolomannus hoc anno a patre missus est contra Zuentibaldum Rastizi nepotem, sic enim illi: *Hludovicus Bajoarios vero Karlmanno in adjutorium fore præcepit contra Zuentibaldum nepotem Rastizi,* rur-

Brunner. Annal. Bojor. P. II. l. 1. p. 52. Rettenbacher. in Annal. Cremifan. ad h. a.

Chron. Gottvicenf. l. 4. voce Siusli. Goldast. l. 2. c. 8. §. 13.

Ad h. a.

urſum: *Carlmannus regnum Zuentibaldi nepotis Raſtizi igne & gladio depopulatur, vaſtataque omni regione Carlus & Carlmannus fratres convenerunt, de victoria ſibi cœlitus data gratulantes.* Prius vero ſub veris tempus bis dicitur congreſſus fuiſſe Raſtizio & victor exſtitiſſe. Qui autem contra Sorabos bellum geſſerat, erat Ludovicus Ludovici filius, ut ſupra ex iisdem Annalibus vidimus. Procul dubio vero id aliqua conjectura Aventinus & Goldaſtus elicuit ex Annalibus Fuldenſibus, qui ſub finem hujus anni ſcribunt: *Omnes autem Hludovici Regis filii in diverſis locis rebus proſpere geſtis ſine damno militum ſuorum cum triumpho regreſſi ſunt.* Hinc plura commentus Aventinus, dum ait: *Carolomannus rebelles Boemos rurſus ad obſequium coegit.* Fatemur quidem Ludovicum contra Sorabos obtinuiſſe victoriam, eaque obtenta coactos Boemos redire ad ſua, at victoriam hanc non fuiſſe adeo luculentam, multoque ſanguine ſtetiſſe Ludovico, produnt Annales Bertiniani, qui eum quoquo modo victoriam adeptum, imo Ludovicum his duobus annis cum magno damno de Winedis reverſum teſtantur, verba ſunt: *Ludovicus Ludovici Germaniæ Regis filius cum Saxonibus Winidis, qui in regionibus Saxonum ſunt, bellum commiſit, eus cum multa ſtrage hominum ex utraque parte quoquo modo victoriam eſt adeptus.* Et rurſum: *Carolus* (poſt mortem Lotharii, quæ VIII. Idus Auguſti hoc anno accidit) *Attiniacum venit. Ubi a quibusdam Epiſcopis, ſed & ab aliquibus primoribus regni quondam Lotharii miſſos directos ſuſcepit, ut ibi reſideret, & in regnum quod Lotharii fuerat non intraret, donec frater ius Ludovicus Rex Germaniæ ab expeditione hoſtili de Winedis, cum quibus præſenti & præterito anno ſæpius cominus ſui congredientes, aut nihil aut parum utilitatis egerunt, ſed damnum maximum retulerunt, reverteretur.* Porro lubentes admittimus: Poſtquam Bohemi vidiſſent Sorabos & Siuslos ſeditionem feciſſe Ludoviço, eos de pacis conditionibus cogitaſſe, ac Regi Germaniæ Ludovico fuiſſe reconciliatos; quibus pactis autem incompertum. Nam iidem Annales Francofuldenſes ad eundem annum memorant Bohemos a Carolomanno petiiſſe ſuppetias, & obtinuiſſe, quod utique fieri non potuit, niſi fuiſſent reconciliati.

Ad h. a.

Aventinus l. 4. p. 253.

Ad h. a.

III. Præter hoc duplex bellum etiam aliud, tertiumque hoſtem hoc anno fuiſſe Bohemis ex toties laudatis Annalibus Francofuldenſibus patet, concludunt enim annum hunc his verbis: *Behemi dextras ſibi a Karlmanno dari petunt, & accipiunt.* Prima hæc omnium eſt memoria, quod gens noſtra a Francis ſuppetias petierit, & acceperit, contra tertium hoſtem vero has ſuppetias petitas & acceptas dicemus ſilentibus omnibus

omnibus Annalibus? Ego quidem inteſtinum Ratislaum inter & Boh
mos diſſidium exarſiſſe autumo. Non video enim, quem hac parte m
potentem Boemi habuiſſent hoſtem, ut Francorum auxiliaribus eg
rent, nec ſua virtute repellere poſſent? Et procul dubio haud aliam d
cauſam hoc ipſo anno res tam infeliciter cecidit Ratislao, quod pr
cipuam ſuam munitionem amiſerit, omnia regionis ſuæ mœnia incend
Ad h. a. fuerint cremata, ut loquuntur iidem Annales Fuldenſes, omnia d
repta, quin etiam Zuentibaldi regnum penitus vaſtatum, quam qu
deſertus fuit a Boemis & poſtea plane hoſtes expertus eſt, quorum ha
tione procul dubio anno ſequente evenit, ut conſpiratione cum Zue
tibaldo facta is ducatu fuerit exutus, ſummaque Zuentibaldo tradi
Annales Fran-cofuldenſ. ad annum 870. qui ut ne hoſtes Boemos haberet Francis reconciliatos, ſe quoque
cum regno, quod tenebat, Carlmanno tradidit, ut ex iisdem Annalibu
anno poſteriore referemus. Chriſtannus noſter hoc inteſtinum di
Chriſtannus in Vita SS. Lud-milla & Wen-ceslai Mſ. Bibl. Metropolit. dium haud obſcure indigitat, ejusque cauſam in Chriſtianam religio
nem a Ratislao invectam refundit, ſic loquens: *Sed quia ab ipſo ma
exordio vetiti poſtquam ſumſit amaritudinem Protoplaſtus pomi, ſeminarium di
cordiæ inter humilitatem & ſuperbiam, inter dilectionem & odium, & reliqu
virtutum odoramenta vitiorumque fœtorem humani generis inimicus usque ad pr
ſens fundere non deſiſtit, ac dolens populum ſuis ſemper ſervitiis mancipa
ſibi ſubtrahi, veroque Regi Chriſto domino acquiri, totis nequitiarum armis o
dutus novos ſatellites, & ignaros ad tantam perfidiam bellandi adit, diſcordi
rum venerata ſemina inter ipſos primarios, rectoresque jactitat, ſuperbia o
avaritiæ ignita tela parat. &c.* Quæ ſi magis ex auctore vitæ S. Cyr
& Methudii elucidemus de reditu Divi Methodii priore anno in
Acta SS. Bol. ad 9. Martii. bente: *Eactus ergo Moravorum Antiſtes* (Methudius) *& lucerna patria re
miſſum gregem curæ ſuæ diſcreta pietate monuit, docuit, & correxit, re
nocua, ſalubria ſeminans, Eccleſias Dei ad culmen ſummi honoris erigens, no
exercens, unumquemque a polluta religione deſiſtere perſuaſit, & baptiſmum Chr
ſti induere.* Haud vana argumentatio erui poteſt imperiose nom
Ratislaum egiſſe cum gentilibus Bohemis, quos S. Methudii opera
Chriſtum adducere conabatur, ut haud mirum ſit ab æthnicis hanc
Citato loco. ditionem excitatam. Certe Chriſtannus de Raſtize loquens ait: *Ha
tor & Rector totius Chriſtianitatis ſeu Religionis benignius exſtiterat.*
ad Moravorum geſta transgrediamur:

IV.

IV. In quibus fertiliſſimi hoc anno ſunt Annales Francofuldenſes: *Carlmannus*, inquiunt, *exercitibus Raſtici bis numero congreſſus victor extitit, prædam inde capiens non modicam, ſicut ipſe literis ad patrem ſuum feſtinatis retulit.* - - - In uno horum congreſſuum, perſequitur Annaliſta: *Cundachar vaſallus Carlmanni, qui multis perjuriis & doloſis machinationibus Hludovico Regi, ejusque filiis ſæpenumero exſtitit infidelis, & prorium dominum derelinquens ad Raſticen defecerat, contra patriam more Catilinæ dimicare volens occiſus eſt. Hic Carlmanni ducibus ad locum certaminis appropinquantibus dixiſſe fertur ad eos, quibus erat a Raſtizo prælatus: „ Pugnate fortiter veſtram patriam tuentes, ego enim in hoc certamine vobis proficuus non ero; quoniam ſanctus Emmeramus cæterique ſancti, in quorum reliquiis Hludovico Regi filiisque illius fidem me ſervaturum eſſe juravi, meum clypeum & haſtam tenentes, mea brachia & viſum deprimunt, & quaſi loris ligatum retinent, ita ut nec manum quidem ad os mittere valeam. „ Dum hæc infelix loqueretur, noſtris ſupervenientibus occubuit, domino illi infidelitatis ſuæ indignam mercedem retribuente. Quod cum Regi relatum fuiſſet, omnes in commune laudare dominum, ſignis etiam cunctarum in Reganesburg Eccleſiarum crepantibus pro interitu hoſtis exſtincti præcepit.* Hanc duplicem vero cognam ſub vernum tempus accidiſſe oportuit, nam æſtate aliam expeditionem contra Moravos miſſam fuiſſe idem author docet: *Menſe vero Auguſto Rex Hludovicus collectis copiis in tres partes dimiſit exercitum. Equivocum ſuum cum Thuringis & Saxonibus ad comprimendam Sorabum audaciam deſtinavit: Bajoarios vero Karlmanno in adjutorium fore præcepit contra Suentibaldum nepotem Raſtizi dimicare volentem: ipſe autem Francos & Alamannos ſecum retinuit adverſus Raſtizen pugnaturus. Cumque jam proficiſcendum eſſet, ægrotare cœpit. Unde neceſſitate compulſus Carolum filiorum ſuorum primum eidem exercitui præfecit, Domino exitum rei commendans. Qui dum cum exercitu ſibi commiſſo in illam ineffabilem Raſtizi munitionem, & omnibus antiquiſſimis diſſimilem veniſſet, divino auxilio fretus omnia mœnia regionis illius vastavit incendio, & abſcondita quæque in ſilvis vel foſſa in agris reperiens in ſuis diripuit, omnesque ſibi congredientes fugere compulit vel interfecit. Nec non Carlmannus regnum Zuentibaldi nepotis Raſtizi igne & gladio depopulatur, totaque omni regione Carlus & Carlmannus fratres convenerunt de victoria cœlitus data gratulantes.* Hactenus Annales Francofuldenſes, quos ſi bonæ ſuperi bono hiſtoriæ patriæ ſervaſſent, plane ipſo in meridie ſecutiremus, umbris quibusque fugacibus deluſi. Jam cæteris ſatis *Ad h. a.*

V. Quæri poteſt: quænam illa *ineffabilis Raſtici munitio fuerit & omnibus antiquiſſimis diſſimilis*? Peſſina Radislaviam appellat exiſtimatque hodiernum Retz eſſe. Stredovskius haud obſcure innuit Welehradum indigitari, cum ob hos motus bellicos S. Cyrillum, pridem Romæ defunctum, inde in Boemiam abiiſſe fingat. At ego exiſtimo Annales Francofuldenſes non voluiſſe indigitare peculiaris nominis quodpiam caſtrum, ſed munitionem ejuſcemodi, qualis Hunnorum Hringus fuit a Carolo Magno in Pannonia everſus, cujus elegantem deſcriptionem ex coævo jam Parte II. ad annum 796. p. 387. dedimus; perſuadent verba Annalium, quæ ſubjunguntur: *Omnia mœnia regionis illius fuiſſe ornata incendio*, ſcilicet: quia ut Adelbertus miles ille de Hringo loquitur, *ſtipitibus quercinis, faginis, & abiegnis erant exſtructa, ut de margine ad margi nem XX. pedes* (plus minus) *tenderentur in latum, & totidem erigerentur in altum*, formamque civitatis vaſtiſſimæ præſentarent. Porro in eo monendus amicus lector, ut cum Peſſinæ Martem Moraviæ legerit, ejus ſe narratis ſeduci non patiatur, revocat is ſe quidem crebro ad Annales Francofuldenſes, at omnibus pene locis ab eorum relatis diſcedit, perturbat, & nonnunquam iis contraria adfert. Tum bellum iſtud tum verborum rerumque ambage amplificat, ut quod vix una pagina Fuldenſes complectuntur, is duodecim perſequatur. Nam illorum, quæ de Ruſſis, Tullinæ obſidione & expugnatione, de Prinnone pridem occiſo, de Hezilone, & neſcio quo Odrifauſo plurium familiarum originario ad hæc tempora narrat, nuſpiam in veteribus veſtigium eſt reperire. Procul dubio is a Goldaſto in errorem perductus eſt, qui ex Aventino omnia Prinnonis, Hezilonis, Rathimari & Ratbodonis geſta in hunc annum acervavit.

Peſſina Mart. Morav. l. 2. c. 5 p. 164. Stredovsky l. 3. c. 2.

Peſſina cit. loc.

Goldaſtus l. 2. c. 8. §. 12.

VI. Hoc anno prima omnium Zuentibaldi memoria, qui Raſtici nepos vocatur ab Annalibus Fuldenſibus. Nepotem vero fuiſſe e ſorore prodit Chriſtannus noſter, cum Raſtizen avunculum ejus vocat. Quo nomine hæc ſoror, cui nupta, adeoque quis Zuentibaldi pater fuerit, penitus incompertum. Peſſina quidem & ex eo Stredovskius Liudeviti Pannoniæ Ducis (illius nempe, cujus crebro ab anno 819. in Annalibus Francofuldenſibus fit mentio, quique anno 8: Liudemusli Bornæ Dalmatiæ Ducis avunculi conſilio interemtus e filium facit, alii Ratemari, Prinnonisque. Sed qua fiducia id illi a verant, eadem, imo majori negamus, quandoquidem nihil certi uſpi a veteribus proditum. Peculiare jam hoc anno Regnum a Raſt re

Chriſtan. de Paſſ. SS. Ludmillæ & Wenc.

egno ſecretum tribuunt illi Annales Francofuldenſes, unde confirmantur, quæ ad annum 860. & 864. præoccupavimus ex querela Epiſcoorum Bojoariæ, videlicet Prinnoni Nitrienſem ditionem ereptam uiſſe a Zuentibaldo, datamque ei in beneficium a Raſtize, quemadmodum illam prius Prinno tenuerat. Nolim enim cum Peſſina dicere: Zuentibaldum vivente adhuc Ratislao *in ſocietatem Imperii aſcitum*, parique ure cum illo univerſæ Moravorum regioni præfectum fuiſſe. Regnum lutem hoc Zuentibaldi haud aliud fuiſſe a provincia Nitrienſi, præter ea, quæ jam ad annum 860. & 864. retulimus, argumento eſt hujus anı ſuſcepta expeditio, quæ ſagaciſſime a Ludovico diſpoſita eſt ex hotium, regionumque ſitu, ut filiorum poſſeſſionibus vicinior erat. Igiur cum Ludovico anno 865. in hereditatem data ſit Saxonia & Thuingia, is hoc anno cum Thuringis & Saxonibus miſſus contra Sorabos ibi finitimos, Carolomannus autem Marchiæ orientalis & Carinthiæ Dux contra viciniſſimum ſibi Zuentibaldum a Nitræ flumine ad Maraam ditiones ſuas protendentem. Nactus vero procul dubio hoc anno udovicus occaſionem, quod pridem ſuſpiraverat, ſtomachum ſuum ı Zuentibaldum poſſeſſionum Prinninæ Clientis ſui uſurpatorem evoendi; nam regio illius igne & ferro penitus vaſtata a Carolomanno icitur. Quod ad nomen *Zuentibaldi* attinet, in eo mire variant ſcripores: Rhegino ad annum 890. eum vocat *Zundebolch*, Ditmarus l. 6. *uetopulcum*, Presbyter Diocleates *Sfetopelek*, Æneas Silvius *Suatopocium*, lavicus textus Diocleatis *Suetoplik*, Epitome Chronicarum & Andreas Dandulus *Sueropilum*, Aventinus l. 4. *Suatebogum*, Balbinus in notis ad Chriſtannum: *Suendopoldum*, alii *Sfentoplucum*, *Sfendoplocum*, & *Swantplucum*. Tanta quoque in nominis hujus etymologia & interpretatioe variatio: textus Slavicus Diocleatis explicat per nomen *Sanctulus*. ſſemanus per nomen *ſancti pueri*, Jordanus paſſim cum noſtris explit pro *ſancto aratro*. At præferenda eſt ſcriptio, quæ eum *Suatopluk* ex alia Slavica dialecto *Suento-Suete*, & *Swantopluk* appellat, cujus minis etiam poſterius Duces habuit Bohemia, quodque ita ſcriptum cuſumque in diplomatibus & numis reperimus. Id vero germane e licibus Slavicis petitum eſt: *Suente* enim, *Suete*, *Suiete*, *Suate*, & nte ſecundum diverſam gentium Slavicarum dialectum *ſanctum* contat, *pluk* vero, quod hodie Bohemice Plod dicimus: *Sobolem germen, pem*, *familiam & puerum* ſignificabat antiquitus. Id nos docet Dalus noſter, dum ita canit:

Peſſina l. 2. c. 5. p. 155.

Diocleat. in regno Slav. p. 288. Silv. c. 13

Aſſeman. T. I. p. 341. Jord. Orig. Slav. N. 994.

Dalemil. Hiſt. Boleſl. c. 56.

Tak tim czinem Kniez Swatopluk,
Zatrati weſſ Wrſſowiczky Pluk.

Id eſt:

Hoc facinore Princeps Swatopluk
Perdit omnem Wrſſoveciam ſobolem, ſeu ſtirpem.

Locum hunc indigitavit mihi A. R. P. Athanaſius ſtudiorum Collega. Perperam igitur noſtri paſſim per ſanctum aratrum explicant, ubi enim in diplomatibus *Swatopluk* per k ſcribitur, aratrum autem ob. Plugh ſcribebatur, quam ſcriptionem etiamnum Dalmatæ retinent, ne hodie Pluh, Poloni Plug ſcribunt, enunciantque. Neque id prætermittendum: a quibusdam, uti etiam ab Henſchenio & Papebrochi perperam Raſticen ſeu Ratislaum cum Zuentibaldo ſeu Suatopluco co-
Pagius ad Au. fuſum, ac pro uno eodemque habitum fuiſſe, quod jam refutavit Pa-
863. N. XVI. gius cumque eo Aſſemanus, qui luculentus horum duorum graviſſimorum virorum error veroſimillime pene omnes noſtros recentiores ſcriptores induxit, ut Borzivogi Ducis Bohemiæ baptiſmum non dubitarent in ipſa Raſticis adhuc viventis principatumque Moraviæ obtinentis tempore rejicere. Sed alium fuiſſe Ratislaum, alium Zuentibaldum ſequentium annorum geſta plene convincent.

VII. Quod ad hiſtoriam SS. Cyrilli & Methudii attinet, multa
Stredovsky l. in hunc annum rejicit Stredovskius, qui plurima utriusque geſta tum
3. c. 2. in Moravia tum Bohemia recenſet omni loco cum fide veterum & ſin ceriori Chronotaxi pugnantia, nec enim S. Cyrillus amplius redire Bohemiam, nec Borzivogius ſacris Chriſtianis prius initiatus recte ſ ſtruitur, antequam Suatoplucus Moraviæ dominatum fuiſſet aſſecu
Aſſeman. T. Hallucinationes Stredovsky jam advertit perſtrinxitque Clariſſimus A
III. P. 1. c. 1. ſemanus, qui hoc brevi epiphonemate adverſus eum utitur: *Quid*
p. 11. *ergo hic miſcet Stredovskius.* Pertinent vero ad hæc tempora, quæ ſ §. IV. hoc anno in prætermiſſis de Apoſtolicis S. Methudii labori poſt reditum ſuum Roma retulimus, quibus adjungere libet, quæ
Acta SS. Bol. eodem argumento ſcribit vitæ ſecundæ auctor: *Inſuper cum inſtantis*
ad 9. Martii. *Dei* (Methudius) *rexit Eccleſiam ſibi commiſſam. Sic per ſuam ſalutarem d trinam ſanctiſſimum Chriſti nomen reſonabat in ore cunctorum: ſic omnes qui bant in pulchritudine pacis, omnes gaudebant in agnitione veritatis, univerſi tabantur in ſanctitate Religionis.*

AN

ANNUS 870.

Rebus ex ſententia in Zatecenſi provincia confectis iter cum ſuis in Ducatum Pragenſem relegit Neklanus primis caſtris ad arcem ſuam Stochow (a) pertingit. Luſtratis ruinis, quas nuper Zatecenſium incendio & vaſtatione acceperat, reſtaurari id, atque validioribus munimentis firmari juſſit. Tum Wiſſehradum veniens, haud dici poteſt, quo plauſu ordinum univerſorum ſuſceptus ſit. Inter omnis generis munera cumprimis metallarii auri xenia mano attulere pondere. Nam Auſtralia juga eo tempore præſertim Kramum inter & Logitium (b) recentibus venis egentes terra edere theſauros cœperunt. Eaque ætatis lius ab auro argentoque erat ubertas, ut ſi ab annona par elicitas affulſiſſet, in Saturnia ſæcula ſe incidiſſe tum gens ohema gratulata fuiſſet.

Rediens Neklanus.

Auri argentique fodinæ.

At ea erat hoc tempore agriculturæ facies, quæ nonſi rei frumentariæ inopiam portendere poterat. Proculcapartim bello agri, partim a colonis caſtra ſequentibus nelecti, partim incertis, cui ſererent, ruricolis, auroque ſidiantibus male culti, informes jacebant, & inhonori. de neceſſe fuit, ut auratis etiam hominibus, militibusque gis quam aratoribus, cum metalla ferrumque non poſſet, ſilveſtres quique fructus panis eſſe occiperent.

Inopia rei frumentariæ.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXX.

HADRIANI II. PAPÆ 4. LUDOVICI IMP. 16. NEKLANI 19.

(a) Hujus castri rursum memoriam facit Hagecius ad annum 921. numeratque illud inter dotalitia Drahomiræ, quo eam a S. Wenceslao filio post susceptа Ducatus gubernacula relegatam scribit. Castrum hoc eo loco stetisse creditur, quo hodie videre est vicum templo inclytum ejusdem nominis in Rakonicensi provincia tribus & medio lapide Praga dissitum medium inter Pragam & Satecium. Etiam posterius isthic nobilitatis sedes erat, unde familia de Stochowa nomen traxerat.

(b) Balbinus copiosissimus in recensendis locis metallicis hæc duo præteriit. Nec hodie meridiem versus ejuscemodi nominibus prædita loca in tabulis Geographicis reperias, nisi ab eo tempore alterata corruptaque dicas. Joannis Regis temporibus ad Kamen item Lossyna & Luczim quaspiam metalli fodinas exstitisse invenio.

PRÆTERMISSA.

1. Si coævorum documentis Cosmæ, Dalemili, Hageciique Chronica congesta essent, tam memorabilem Reipublicæ Moravicæ mutationem hoc anno vix quidem præteriissent. Hanc igitur ex Annalibus Francofuldensibus & Bertinianis audire libet: *Zuentibald nepos Rastizi* (priores ajunt) *propriis utilitatibus consulens se Carlmanno una cum regno, quod tenebat, tradidit. Unde Rastiz vehementer iratus, nepoti occulte ponit insidias, & eum in convivio nihil mali suspicantem jugulare disponit, sed gratia Dei a periculo mortis liberatus est. Nam antequam illi, qui eum necaturi erant, domum intrarent, surrexit de loco convivii, annuente sibi quodam ejusdem fraudis conscio, & quasi cum falconibus ludum exercens, præparatas devitavit insidias. Rastiz autem videns denudatum consilium suum, nepotem cum militibus, quasi comprehensurus, insequitur: sed justo judicio Dei captus est laqueo, quem tetendit. Nam ab eodem nepote suo comprehenditur, ligatur, & Carlmanno præsentatur: a quo sub militibus, illum, ne elaberetur, observantibus, in Bajoariam missus, usque ad præsentiam Regis servandus in ergastulum re-*

Annales Francofuld. ad h. a.

retruditur. Carlmannus vero regnum illius nullo reſiſtente ingreſſus cunctas civitates & caſtella in deditionem accepit, & ordinato regno atque per ſuos diſpoſito, ditatusque gaza regia revertitur. Quod vero captivi Raſticis fatum fuerit, ſub finem anni hujus narrant iidem Annales: Hludovicus ex Aquenſi Palatio *tranſiens circa Calendas Novembris in Bojoariam profectus eſt, ibique cum ſuis colloquium habens, Raſtizen gravi catena ligatum ſibi præſentari juſſit, eumque Francorum judicio & Bojoariorum, nec non Sclavorum, qui de diverſis provinciis Regi munera deferentes aderant, morte damnatum, luminibus tantum oculorum privari præcepit.* Haud aliter rem narrant Annales Bertiniani, quorum hæc ſunt verba: *Ludovicus Germaniæ Rex mox, ut aliquantulum de morbo convaluit, ad Reginisburg pergens, Raſtitium Winidorum Regulum a Carolomanno per dolum nepotis ipſius Raſtitii captum, & aliquamdiu in cuſtodia detentum, poſt judicium mortis excæcari, & in monaſterium mitti præcepit.* Iisdem pene verbis captivitatem, excœcationemque narrat Aimonius. Breviſſime rem abſolvunt Annales Weingartenſes: *Raſtizius Dux a Ludovico Rege, & Soltanus* (Saracenorum Princeps) *ab Imperatore captus eſt.* Quæ jam ex aliis rurſum illuſtranda.

Ad h. a.

Aimon. l. 5. c. 26. p. 483.

Ad hunc annum apud Mabillon. T. IV. Analect.

II. Author Annalium Francofuldenſium malevolentiam omnem in Raſtizium rejicit, quem vitæ Zuentibaldi inſidiatum memorat. Et quanquam incredibile non ſit: rem merito peſſime acceptam a Raſtize, quod Zuendibaldus ſe inſcio non modo ducatum beneficio ſibi obnoxium, ſed & ſe ipſum Francis hoſtibus tradiderit; imo veroſimillimum ſit Raſtizen ob hoc facinus Zuentibaldo inſidiatum fuiſſe, ut eum captum juſtæ ultioni deſtinaret; an tamen in convivio eum jugulare diſpoſuerit, ut author loquitur, multum dubito, planeque ſubſcribo Eruditiſſimi Aſſemani ſententiæ, qui hoc a Zuentibaldo confictum perſuaſumque fuiſſe Francis autumat, ut crimen proditionis a ſe amoliretur. Nam ſecundæ vitæ auctor has inſidias in ipſum Zuentibaldum retorquet, dum ita ſcribit: *Cernens autem ludificator animarum diabolus populum ſemper ſuis mancipatum ſervitiis ſibi ſubtrahi, & Chriſto Regi applicari, nequitiarum indutus armis ad tantam malignitatis perfidiam Deo odibiles excitavit, ut ſeditioſus Suadopluk Princeps doli cum ſibi adhærentibus fraudum complicibus fremeret in tantum, quod religioſum Principem avunculum ſuum occulte potione veneni appeteret occidere, quatenus in loco ejus poſſet regnare. Sed pius Rex ſumto ignoranter potu lethali divina ſe gratia protegente nil nocuum ſenſit in corpore.* Quod idem teſtatur Chriſtannus noſter his verbis: *Ut Zwatopulc, qui erat nepos Principis vel Regis Religioſi, quique Inſtitutor & Rector totius Chriſtia-*

Aſſeman. T. III. P. I. c. 2. p. 108. Acta SS. Boland. 9. Martii §. 9.

Mſ. Biblioth. Metr.

ſtianitatis ſeu Religionis benignius extiterat, ipſum avunculum ſuum inſidiis appetitum Regno pelleret, viſu privaret, vitamque ejus veneno conaretur auferre. Cum utroque faciunt Breviarii Olomucenſis Mſſ. lectiones ab Henſchenio prolatæ, nec diſſentiunt Annales Bertiniani, cum Raſtizen per dolum Zuentibaldi captum adſtruunt. Quæ quidem conciliari ſcitiſſime poſſunt, ſi dicamus: Raſticen juſtiſſimo dolore compulſum pœnas facinori debitas quæſiiſſe repetere a nepote, quod cum is perſenſiſſet, prius Raſtici per venenum vitam eripere tentaſſe, ſed fruſtrato conatu tandem per dolum captum tradidiſſe Carolomanno.

III. Annales Weingartenſes ſupra relati Raſtizium a Ludovico Rege captum aſſeverant, quod idem narrat Rhegino his verbis: *His temporibus Ludovicus ſenior frater Lotharii Imperatoris plurima bella ſtrenuiſſime geſſit adverſus Sclavorum gentem, ſiquidem Marahenſium regna ingreſſus armis cuncta perdomuit, capto eorum Principe Raſtiz: cui etium propter violata fœdera oculos erui juſſit.* Et Sigebertus Gemblacenſis: *Ludovicus Rex Germaniæ plurima prælia contra Sclavos ſtrenue geſſit, & capto principe eorum Raſtrix nomine propter violatam fidem oculos ei eruere juſſit.* Sed cum authores hi rem geſtam nonniſi per epitomen referant, ex ſuperioribus vetuſtioribus Annalibus explicandi ſunt, ut Raſtiz per Zuentibaldum a Ludovico captus fuiſſe intelligendus ſit. Quemadmodum & ex iis Chronologia Rheginonis, qui ad annum 860. & Sigeberti, qui ad annum 859. hiſtoriam hanc retulere, eſt emendanda. Aventinus & ex eo Stredovskius commiſſo prælio captum Raſtizium affirmant, nam cæſo illius exercitu ajunt ſuperiorem evaſiſſe Zuentibaldum, ac tandem ab eo captum Raſtizium, at dolum interceſſiſſe memorant Annales Bertiniani. Verum quid ad annum hunc velit Goldaſtus non diſpicio, ait enim: *Cum Ratislaus Moraviæ Rex Ludovico II. Germanorum Regi tributum præſtare tergiverſaretur, miſſus ab eo Carolomannus filius Ratislaum bello ſuperatum ad officium redegit, compulitque interpoſito jurejurando promittere ſe in fide debita permanſurum, & impoſitum cenſum regiæ cameræ fideliter præſtiturum.* De quibus nec hoc anno nec ſuperiore ullum inter vereres indicium. Induxere tamen ea in non modicum errorem Peſſinam & Stredovskium, qui neſcio quas propterea pacis conditiones omnibus Annalibus antiquis incognitas, imo integram reconciliationis hiſtoriam copioſiſſime perſequuntur.

Rhegino ad annum 860.

Sigebertus ad An. 859.

Aventin. l. 4. Stredovsky l. 3. c. 3.

Goldaſt. l. 2 e. 12. §. 1.

Peſſina Marte Morav. l. 2. c. 5 Stredovsky l. c.

IV. Excœcationem Ratislai Breviarium Mſ. Olomucenſe & Chriſtannus noſter ipſi Suatopluco tribuit, ſic enim ibi: *Ut Suatopluk, - - - ip-*

ipſum avunculum ſuum inſidiis appetitum Regno pelleret, viſu privaret, vitamque ejus veneno conaretur auferre. Quæ ſic accipienda videntur: ut Suatopluk cum factione ſua præcipuo incitamento fuiſſe videatur Ludovico Regi ad facinus hoc attentandum, metu procul dubio adactus, ne ſuperſtite Ratislao, &, ut fortuna varia eſt, ad Moravos remiſſo ſeu elapſo perpetuo in periculo verſaretur. Atque hoc veroſimillime illud Sclavorum judicium eſt, ad quod ſe Annales Fuldenſes revocant, & a quo Raſtizium morte damnatum ſcribunt. Cauſam damnationis Rheginо in *violata fœdera*, Sigebertus in *violatam fidem* refundit. Verum demta tyrannide, ſi etiam admittamus Raſtizium, non quidem præter cauſam, fœdera violaſſe, num Principibus terræ alteri in alterum jus competat morte damnare aut oculis privare juris peritis diſcutiendum relinquimus, præſertim ſi Princeps liber ſit, ſumma authoritate pollens, nullo genere niſi aliqua tributi raticne obnoxius, & præſertim dolo atque proditione vaſalli ſui captus. Nec concedimus Goldaſto, qui ut facinori pallium injiceret, ſcribit: *Zuentibaldus Rex Moraviæ patruum* (avunculum ſcribere oportuit) *Ratislaum ſuper crimine intentati parricidii, & perduellionis apud Carolomannum Cæſarem* (quo pacto is Cæſar appellatur?) *ſuperioris Ludovici filium accuſavit.* Nam ſi etiam Ratislaus parricidium in Zuentibaldum meditatus fuiſſet, ejus cauſæ cognitio minime ad Carolomannum ſeu Ludovicum ſpectabat. Merito igitur Ludovicus a Sarnicio, calamum ſtringente, vapulat: *Ludovicus imitatus tyrannide Baſilium Imperatorem orientis, qui ſimili quoque pœna Sclavorum exercitum affecerat.*

Goldaſt. l. 4. c. 10. §. 4.

Sarnic. Annal. Pol. l. 5. c. 6. p. 1029.

V. Annales Bertiniani & Aimonius Raſtizen excœcatum in monaſterium retruſum produnt. Peſſina & Stredovskius id factum ajunt in monaſterium S. Emerami Ratisbonæ; at quanquam certum ſit Raſtizen Ratisbonæ gravi catena ligatum ſervatum fuiſſe in cuſtodia usque ad adventum Ludovici Regis, ibidemque judicio habito oculis privatum, vix tamen credibile ob finitimos Moravos Boemosque, quibus fidere non audebat Ludovicus, in monaſterium S. Emerami fuiſſe incluſum; imo quemadmodum Thaſſilo Bavariæ Dux a Carolo Magno longius in ditiones Galliæ remotus retrususque: ita plane cum Raſtizе factum autumo; atque hæc ratio eſt, quod poſt hunc annum nullam Raſticis reperiamus memoriam, nec hodie exploratum ſit, quo loco, aut anno mortuus ſit, qui ſi in vicina Bohemiæ urbe ſervatus fuiſſet, procul dubio hæc Annaliſtæ, uti cetera, poſteritati commendaſſent.

Cit. loco.

Fruſtra vero plurima Gallicorum Monaſteriorum Chronica in Collectoribus rerum Franciæ excuſſi, in quibus nihil penitus de Raſtize noſtro detegere licuit. Stredovskius quidem eum hoc anno mortuum tradit ſed ſine authoritate aliqua. *Naturali morte præventum* memorat ſecundæ vitæ auctor apud ſocios Bolandianos, eumque Principis *pii*, *religioſi*, ac *devoti* elogio prædicat. De illius Genealogia hoc unum conſtat ex Annalibus Fuldenſibus Moymari deceſſoris ſui nepotem fuiſſe. Cromerus eum ex Popieli Poloniæ Ducis poſteris fuiſſe autumat, Peſſina Liudoviti Pannoniæ Ducis, Stredovskius filium Hezilonis ex Mechtilde effingit. In nomine quoque apud authores varia ſcriptio: *Raſtiz*, *Raſtix*, *Reſtic*, *Raſtislaus*, *Ratislavus*, *Ratiſolaus*. Ego eos proxime rectæ ortographiæ acceſſiſſe autumo, qui *Ratislaum* ſeu *Ratislavum* ſcripſerunt. Nam vix credibile memoriam tanti Herois, primique Chriſtianæ fidei inſtitutoris adeo apud Moravos Bohemosque fuiſſe obliteratam, ut nemo e ducibus regibusque poſterioribus nomen ejus aſſumſiſſet. Suſpicor itaque proprium nomen illius fuiſſe *Wratislaus*, quam primam literam Wgenio linguæ ſuæ diſſonam enuntiatuque ante conſonantem difficilem procul dubio omiſere latini germanique ſcriptores, quemadmodum paſſim in nomine Wladislai fecere. Wratislaos autem plures Duces non modo habuit Boemia, ſed & Moravia, aliæque Slavorum reſpublicæ. An nomen cujuſpiam ſancti ſit, idque in baptiſmo acceperit, diſputare nolim, conſuetum tamen fuiſſe eo ævo, ut etiam Slavis unda baptiſmatis ablutis ſanctorum nomina indita fuerint, conſtat ex baptiſmo regulorum Slavicorum Samuelis, Theodori, & Bogoris Bulgariæ Regis, qui Michael appellatus eſt. Catalogus Nominum propriorum Slavicorum a Nobili Domino Joanne Clauſer ex variis ſcriptis libriſque impreſſis congeſtus ad 17. Auguſti feſtivitatem B. Wratislai ponit. Magiſter Simeon Bartlicius in ſuo Bohemico Calendario perpetuo œconomico anno 1617. edito ad 20. Auguſti reponit nomen *Wratislaw*. Sed vix dubium hoc nomine connotari poſteriorem Wratislaum patrem S. Wenceslai, qui etiam nonunquam Beati titulo cultus eſt, & de quo officium olim habitum ad diem 13. Februarii in Parthenone S. Georgii Pragæ; ut de Wratislao hoc anno vetuſtiore, qui ſancti aut beati nomen meruiſſet, nihil reperire ſit ſeu in Martyrologiis ſeu apud ſocios Bollandianos. Niſi nomen *S. Reſtituti*, quod Slavica lingua *Wratislav* connotare videtur, eſſe dicamus, cujus quidem feſtivitas non 17. ſed 23. Auguſti celebratur. Nam *Wrati* etiam hodie Dalmatis aliisque Slavis idem, quod *reſtituere*, Slawa *gloriam* ſignificat, quam ul-

Num. 9. ad 9. Martii p. 23.

Ad An. 845.

Cromerus l. 2. p. 28. Stredovskius l. 3. c. 8. Peſſina l. 1. c. 3.

altimam vocem Slaw eminentiæ cauſa quibusque nominibus propriis adjicere conſuetum fuit, utpote genio gentis familiariſſimam. Non incognitum id fuiſſe videtur ſummo Pontifici Joanni VIII. qui in epiſtola ſua ad Bogorem Bulgarorum Regem hunc eminentiæ titulum ei dat latino idiomate: *Ceterum Gloria veſtra ſciat*: Bogorem alloquens; idemque Suatopluco ſcribens titulum ei *Glorioſi* Comitis tribuit. *Joan. VIII. epiſt. N. 74.*

VI. Sua Ducatusque ſui traditione Zuentibaldus hoc anno grave jugum ſervitutemque humeris ſuis induxit, præſertim cum deturbato e ſolio Raſtize ſolus imperium Moraviæ ambiret. Nam cum res domi non usquequaque ſopitæ ſecuræque eſſent, unum quaſi fulcrum in armis Francorum reponendum erat, quæ ne adverſus ſe exaſperaret, perferre omnia ſuadebat prudentia, & quæque illi imperioſe pro libidine ſtatuerent, acceptare. Hinc factum, ut cogeretur miſſos Carolomanni in terras Moraviæ admittere, qui iſthic ex ſumma poteſtate omnia diſponebant, placita & judicia exercebant, tributa tollebant. Huc enim collimant Epiſcopi Bojoariæ in epiſtola ſua ad Joannem Papam: *Etiam & noſtri Comites illi terræ* (Moraviæ) *confines placitu ſæcularia illic continuaverunt, & quæ corrigenda ſunt correxerunt, tributa tulerunt.* Æquis intueri oculis opus erat totius Regni Raſtizis vaſtationem, urbium vicorumque deprædationes, gazæ regiæ evectionem, imo anno ſequente plane captivitatem infamem experiri neceſſe erat. Cujus tyrannidis arcum cum nimium quantum intenderent Franci, quid mirum eum tandem ruptum? Evigilarunt nempe cum Zuentibaldo ſuo Moravi, Bohemi, aliique Slavici populi, proſpicientesque hanc Francorum potentiam ad evertendam cum nomine gentem Slavicam eſſe comparatam, igitur poſterioribus annis ad retundendas has injurias amoliendumque jugum omnes nervos intenderunt. Nec video, cur ob id perduellionis nomen, quod ubivis eis impingunt ſcriptores Gallici, mereantur. *Apud Cevol-dum in Hundio T. I.*

VII. Jam ut de ſacris etiam quæpiam delibemus: Turbata hoc anno Moraviæ pace, piiſſimo Principe Ratislao (quem neſcio, cur Peſſima acrioribus inſectetur verbis) per nepotem ſede moto capto, excæcatoque, regione vaſtatata, caſtro regio expilato, cum videret S. Methodius iſta haud alio fonte quam ſeditione ac ambitione Suatopluci profluere, procul dubio, ut ex conſequentium annorum hiſtoria eruere licet, monuit paterne, facinus nepote indignum exprobravit, ad pœnitentiam *Peſſima Mart. Mor. l. 2. c. 5. p. 170.*

& ſatisfactionem exhortatus eſt, quæ cum exacuerent magis, quam mitigarent efferum Suatopluci animum enatus ille ſancti viri Apoſtolici contemtus, qui eum plane ſolum vertere compulit, ut anno ſequente referemus. Verum Græcus vitæ Clementis Epiſcopi ſcriptor ſchiſmaticus irritati contra Methodium Suatopluci cauſam in latinos calumnioſe detorquet. Sic vero ille conviciator: *At hæreticorum* (hoc nomine latinos appellat) *cohors vi ſermonis ſuperatum Sphendopleƈtum, qui poſt Raſtiſlavum regnum obtinuit, fraudibus ſeduƈtum, virum incultum atque barbaris moribus, nec rei laudabilis capacem totum in propriam opinionem traxerunt. Et quid aliud facturus erat ille muliebrium voluptatum mancipium, & execrandarum aƈtionum cœno convolutus, illorum potius adhæreſcit ſententiæ, qui fores illi ad omne nefas aperiunt, quam Methodio omnis voluptatis virus animo noxium exagitanti.* Quibus in verbis meram bilem ſtomachumque non veritatem hiſtoricam deprehendi quis non videt?

Apud Allatiũ exercit. 15. in Creughtonum p. 260.

ANNUS 871.

Duo Neklano ſupererant filii: Hoſtivit primogenitus, tertiusque natu Mſtibog (a) ambo integris viribus elegantique forma adoleſcentes; ſecundo genitus enim Nebihoſt jam fatis ceſſerat. Aſſecutus pater Principatum Zatecenſem uni filiorum ſuorum tradendum cum animo ſuo ſtatuerat, ſed ambitione turgidus animus minime quietus eam tandem felicitatis & gloriæ ſuæ ſummam deputavit, ſi tertio etiam Principatu auƈtus, alterum quoque filiorum ducatu bearet. In concilium itaque vocatis magiſtratibus ſententias exploravit, qua arte, quibusve conſiliis Kurimenſis Principatus ditionibus Pragenſibus adjici poſſet. At in omnia alia abibat mens Procerum ſenatorumque pacem integram Duci Kurimenſi præbendam ſuadentium. Quin monebant: eos, quos Deorum gratia duos ducatus conſecu-

Neklanus concilium Procerum agit.

cutus esset, certis legum vectibus firmaret, exscriptisque in monte Widowle (b) comitiis Principatum sibi sacramentis omnium ordinum stabiliret. Paruit tam salutaribus consiliis Neklanus, convocatoque ex agro Pragensi & Zatecensi omni multitudine jusjurandum accepit. Multa præterea, isthic discussa, sancitaque, quæ ad universæ reipublicæ incolumitatem facere videbantur. Discessuris ab iis comitiis populis Princeps saluberrima dedit monita agros præprimis omni industria colerent, summam enim felicitatis humanæ ex rei frumentariæ affluentia pendere: nec tamen propterea fodinarum culturam projiciendam esse, hac enim felicitatem illam immensum augeri confirmarique. Nemo non erat omnium, qui Principis consilia non probaret, dictoque obsequentem futurum polliceretur. *Comitia in monte Widowle.*

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXI.

HADRIANI II. PAPÆ 5. LUDOVICI IMP. 17.

NEKLANI 20.

(a) Hunc Mstibog alii Ctibog, vetustiora etiam Chronica a Dalemili ævo Diepold vocant. Anonymus apud Menkenium ait: Neklanus eidem post mortem suam *provinciam Zlicensem, quæ Snamensis dicitur, deputavit.* Pridem mihi subolverat omnem historiam Ducatus, Ducumque Kurimensium suspectam esse tum propter nimiam propinquitatem Ducis Pragensis quinque non amplius lapidibus sejuncti, tum propter Cosmæ omniumque vetustiorum ante Dalemilum silentium. Hic vero Anonymus mox relatus luculenter indigitat Ducatum & provinciam *Zlicensem*, seu ut posterius etiam audiebat *Lucensem* non pro Kurimensi, sed Snamensi, vel ut hodie vocamus *Znoymensi* accipienda esse, quod quoque ex posterioribus relatis Dalemili & *Apud Menken. T. III. p. 1628*

Hofmanni c. 54. confirmatur, ut taceam hanc regionem, quæ partim hodiernam Moraviam, partim Auſtriam ſpectabat ſemper ſuos peculiares Duces pene usque ad ſæculum XIV. habuiſſe, & Canoniam *Lucenſem* ordinis Præmonſtratenſium ad Znoymam adhuc reliquias hujus nominis conſervare. Non neſcio quidem Chriſtannum noſtrum Kurimenſis Ducis, qui duellum cum S. Wenceslao inire paraverat memoriam facere. Sed hæc hiſtoria extra ordinem poſterius recenſetur, ut vix dubium ſit eam a poſteriore aliquo adjectam, cum tot vitæ pervetuſtæ S. Wenceslai, quæ mihi ad manus ſunt, nuſpiam Kurimenſis ducis meminerint, nec hactenus ante Dalemilum ullum repererim, qui Ducis cujuſpiam Kurimenſis mentionem ingeſſiſſet.

Balbin. Dec. 1. l. 1. c. 6. 7. 8. 9. &c.

(*b*) In Balbini ſyllabo montium Bohemiæ nomen hujus montis non legitur. Noſter P. Victorinus vicum Widow ſeu Witow in Rakonicenſi provincia non longe Slana remotum reliquias hujus montis eſſe ſuſpicatur, hic enim perſtare duos montes ſeu ſolitarios colles, quorum alteri vicus Dolein templo nobilis inſtratus ſit. Verum ad illuſtrandam hiſtoriam patriam maxime optandum foret, ut reperiatur Geographorum nonnemo, qui magis abſolutam Bohemiæ Geographicam tabulam deſcribat, qua ſingulis locis nomina montium, fluviorum, rivorum, ſilvarumque indicentur. Nam quanquam duas chartas Geographicas maximæ formæ ſat accurate vicorum urbiumque nomina referentes habeamus, deſiderantur tamen paſſim in iis nomina minorum fluminum, rivorum, montiumque.

PRÆTERMISSA.

I. Tam a ſacris, quam profanis annus hic locupletiſſimus, quorum utrorumque Hagecius non meminit. Geſta primum Zuentiboldi ex Annalibus Francicis audiamus. De iis Francofuldenſes his verbis: *Zuentibald nepos Raſtizi apud Carlmannum infidelitatis crimine infimulatus, in cuſtodiam miſſus eſt. Sclavi autem Marahenſes ducem ſuum periiſſe putantes, quendam presbyterum ejus ducis propinquum nomine Sclagamarum ſibi in principem conſtituunt, & ei minantes interitum, niſi ducatum ſuper eos ſuſciperet. Qui eisdem neceſſitate coactus aſſenſum præbens contra Engilſcalcum, & Willihelmum duces Carlmanni prælia movere, & eos ex obſeſſis civitatibus expellere nititur. Illi vero adverſus hoſtem pari intentione dimicantes, & nonnullos de exercitu ejus proſternentes eum fugere compulerunt.* Quænam ea infidelitatis ſuſpi-

Ad hunc an.

ſpicio fuerit, nusquam a veteribus proditum. Peſſina & ex eo Stredovskius oracula videntur loqui, dum ajunt: Suatoplucum invitatis ad ſe Bohemorum, Polonorum, Ruſſorumque Ducibus, imo procul dubio etiam Baſilii Imp. Conſtant. & Michaelis Regis Bulgarorum legatis frequentiores egiſſe conventus. Quidquid rei erat, certe illa ſuperiore anno poſt factam Raſticis traditionem Moraviæ vaſtatio expilatioque, nullo reſiſtente, ut ibidem ipſi fatentur Annales Fuldenſes, & præter omnem culpam a Francis ſuſcepta, juſtiſſima cauſa Suatopluco videri poterat ejusque populo ad fidem datam frangendam. Sed prævenit molimina illius, quæquæ fuere, Carolomanni vigilantia, qui inopinum oppreſſit, atque in cuſtodiam miſit, quanquam innocentem, nam ut nuthor ſequenti anno loquitur: *Nullus crimina, quæ ei objecta fuerant, probare potuit.* An illum fraude per Boſonem Comitem Mutaram pellexerit, officioſeque ibidem exceptum, & omnem perfidiæ ſuſpicionem a ſe amolientem Carolomannus verſipelliter ceperit, ut ſcribit Peſſina, penes illum fides eſto. Tam tecta obſcuraque ſunt omnia geſta Sclagamari ſeu potius Slavimiri presbyteri cognatique Suatopluci præter ea, quæ Annales hic prodidere, ut merito mirandus ſit Stredovskius, qui illum a S. Cyrillo ordinibus ſacris initiatum, atque poſteaquam ſponte ducatum in manus Suatopluci reſignaſſet, tiara pedoque Epiſcopali condecoratum fuiſſe confidenter aſſeverat. Atque hæc ante menſem Majum contigiſſe ex iisdem liquet. Nam proſequuntur:

Peſſina l. 2. c. 6.

Ibid.

Stredovsky l. 3. c. 7.

II. *Deinde menſe Junio* (Ludovicus) *ad occidentem profectus loca ad ſe pertinentia peragravit. Interea Zuentibald, cum nullus crimina, quæ ei objecta fuerant, probare potuiſſet, a Carolomanno dimiſſus & muneribus regiis honoratus in regnum ſuum rediit ducens ſecum Carolomanni exercitum, quaſi Sclagamarum expugnaturus, ſic enim per dolum Carolomanno promiſerat, ſi ei ad patriam reditus concederetur. Sed ſicut ſolet incautos, & de ſe præſumentes ſequi ignominia, ſic illi contigit exercitui. Nam Zuentibald ceteris caſtra metantibus urbem antiquam Raſtizi ingreſſus eſt, ſtatimque Slaviſco more fidem mentitus, & juramenti ſui oblitus non ad expugnandum Sclagamarum, ſed ad ulciſcendam contumeliam a Carlmanno ſibi illatam vires ſtudiumque convertit. Denique Bujoarios nihil mali ſuſpicantes, & minus ſe obſervantes cum magno exercitu in caſtris aggreſſus eſt, & multos ex eis vivos comprehendit, ceteris pene omnibus occiſis, exceptis his, qui prius ſe prudenter de caſtris ſubtraxerant, omnisque Noricorum lætitia de multis retro victoriis converſa eſt in luctum & lamentationem. Quibus auditis Carlmannus de exercitus ſui interitu nimium conſternatus*

eſt,

est, & necessitate compulsus omnes obsides, qui in suo regno erant, jussit colligi, & Zuentibaldo reddi, vixque unum virum nomine Rotbodanem inde seminecem
Ad hunc an. *recepit.* Eadem lamentatione rem narrant Annales Bertiniani: *Ludovicus scilicet ad Rainisburg perrexit, quia maximum damnum a nepote Rastitis, qui principatum Winidorum post eum susceperat, habuit: in tantum, ut Marchiones cum plurima turba suorum perdiderit, & terram, quam in præteritis annis*
Aventin. l. 4. p. 260. *obtinuerat, perniciose amiserit.* Aventinus addit: *Nulla domus Bajoariæ exors publicæ cladis fuit, ubique pernicies, luctu omnia completa sunt.* Hæc talionis pœna erat, quam ob vastatam anno superiore Moraviam, inustamque sibi captivitate contumeliam plaudentibus Slavicis populis Suatoplucus ex Francis sumsit, & quo ausu regnum sibi inter suos confir-
Jordan. orig. Slav. N. 998. mavit. Audire libet Jordanum pro causa Suatopluci perpurgandoque illius facinore ita loquentem: *Annales Francorum omnes adoptato Romanorum veterum contra omnes nationes etiam Francos stylo ad quemvis motum gentium, quæ gravi imperio statim a prima clade acquiescere nolebant, acerbe invehuntur. Agnoscunt autem hic simul causam recessus a fidelitate, ignominiam scilicet Regi Moravorum Suatopluco nullius criminis reo illatam, dum ex levi tantum suspicione Rex amicus captivus duceretur non levi dedecore, quin & ingratitudine. Suatoplucus enim ducatum suum invito & indignante patruo Radislao anno 869. in beneficium Francis obtulerat: nunc patruum ipsum in manus Francorum una secum tradebat, sed quæ inde retributio? Franci hanc occasionem subigendi penitus & simpliciter incorporandi regni Moravici perquam opportunam, & non dimittendam rati subito Radislai regnum cum exercitu ingrediuntur, civitates & castella occupant, regimen per Francos Duces nempe Englischalcum & Willebelmum disponunt, adeoque Suatopluco jam designato patrui heredi & successori eripiunt, gazam regiam secum in Bavariam auferunt.* His præmissis:

III. Hanc tandem veram indubitatamque epocham autumo *Magni illius Regni Moravici*, quod regnante Zuentibaldo seu Suatopluco tantopere græci latinique scriptores commendant, quo videlicet anno in longum animo prospicientes Slavici plerique populi, quantum periculi reipublicæ suæ adferrent intestina dissidia, quantum ex iis Franci utilitatis caperent, quorumque pernicioſa consilia haud alio spectarent, quam ut Slavorum dominationem funditus exscinderent; communicatis igitur sententiis id e re Slavica saluberrimum visum est, ut quemadmodum Germani ex pluribus regnis provinciisque Germanicum, ita illi ex pluribus Slavorum rebuspublicis unum Slavicum Regnum & imperium efformarent. Non aptior ad sustinendam hanc provinciam visus Suatopluco Duce

stre-

ſtrenuo, & terrarum populorumque potentia nemini pene inter Slavos his regionibus ſecundo, ſponte igitur libereque a plerisque vicinis rebuspublicis ſumma in eum poteſtas tranſcripta, non quidem ut omnes Slavorum respublicas hoc anno ſe Suatopluco ſubmiſiſſe autumem, ſed ſucceſſive annis conſequentibus. Nec incredibile: ea tributa, quæ Francicis Regibus hactenus dependi conſueverant, Suatopluco communis tutaminis ergo fuiſſe adjudicata, Regem eum certe atque dominum ſuſpexere omnes vicinæ Slavorum gentes, ſalvis tamen ceteris cuique Duci juribus, immunitatibus, ac poteſtate in ſuos populos terrasque. Quod Boemiæ Duces eum dominum ſuum agnoverint, teſtatur de Borzivogio his verbis Chriſtannus noſter: *Borziwoj quodam tempore negotii ſui, populique ſibi commiſſi cauſa Ducem ſuum vel Regem Swatopluk Moraviæ adiit.* Pulkawa de Swatopluco loquens ait: *Cui Regi Moraviæ temporibus illis Dux Boemiæ ſuberat.* Marignola: *Cui tunc Boemia ſuberat vel minor erat.* Idem habent poſteriores pene omnes. A Sorabis Slavisque hodiernæ Vogtlandiæ, Miſniæ, Luſatiæ, Brandeburgi, Pomeraniæque eundem Suatoplucum agnitum fuiſſe Regem, eique annuum tributum depenſum teſtatur Ditmarus de patria ſua Saxonia loquens: *Bohemi* (accipit hic Ditmarus Boemos & Moravos pro uno eodemque populo ac regno) *regnante Suctopulco Duce quondam fuere Principes noſtri. Huic a noſtris parentibus quotannis ſolvebatur cenſus, & hic in ſua regione Marhan dictis Epiſcopos habuit, quæ omnia hic, & ſui ſucceſſores propter ſui arrogantiam perdiderunt.* Pulkawa noſter & Æneas Silvius Suatopluco etiam tribuit Poloniam, & Ruſſiam, aliasque terras. Sic enim ille de Wratislao I. Rege Bohemiæ loquens: *Moraviam cum principatibus & terris, quæ prius temporibus Suatopluk ultimi Regis Moraviæ ad regnum Moraviæ pertinebant, regno & coronæ Boemiæ ſubjecit*, idem repetit ad annum 1086. De Poloniæ ea parte cumprimis, quam hodie Sileſia occupat, dubitare nolim, at de Ruſſia minus veroſimile; advertendum tamen Pulkavam nonnunquam Ruſſiam pro Pruſſia accepiſſe. A Ducibus Slavisque ſuperioris ac inferioris Pannoniæ ſupremum Principem dominumque habitum Suatoplucum plurimis locis teſtatum reliquit Conſtantinus Porphyrogenitus in ſuo libro de adminiſtrando imperio. Hic enim Moraviæ, quam ubivis *magnam Moraviam* appellat, terminos ſub Suatopluco paulo ſupra Sirmium Pannoniæ urbem reponit, omnemque regionem illi inter Savum, Dravum, ac Danubium tribuit. Verba illius ſunt: *In hoc autem loco antiqua quædam monimenta ſuperſunt, inter quæ pons Trajani Imperatoris ad initia Turciæ* (id eſt: Hungariæ, Hungari enim primum

Poſſio SS. Ludmillæ & Wenceslai.
Pulkava Mſ.
Marignolæ Mſ.
Ditmarus reſtitutus l. 6. apud Leibnit. p. 399.
Pulkawa Mſ. in Borzivogio.
Æn. Silv. c. 13.
Conſtant. Porphyr. de admin. imp. c. 41.

mum transdanubianas terras in hodierna Tranſilvania occupabant) & *Belegrada, quæ trium dierum itinere ab ipſo ponte diſtat, ubi turris eſt ſancti ac magni Conſtantini Imperatoris, & rurſus ad curſum fluminis exſtat Sirmium, quod Belegrada abeſt duorum dierum itinere: inde magna Moravia baptiſmo carens, quam Turcæ devaſtarunt, cujusque Princeps olim fuit Sphendoplocus.*

Idem c. 13. Et de Turcis ſeu Ungaris trans Danubium ſub primordia colentibus loquens, inquit: *Turcis hæ gentes ſunt conterminæ - - - ad meridiem magna Moravia ſeu Sphendoploci regio.* Ut itaque cisdanubianæ Slavorum terræ ad meridiem ſpectantes imperium Suatopluci veneratæ ſint. Presbyter

Diocleates in Regno Slav. Diocleates Suatopluco etiam adſcribit Dalmatiam: quod cum ſola traditione hauſerit, conſtetque ex Lucii diplomatibus, veterum teſtimoniis, catalogisque Ducum: anno 879. Sedisclavum, anno 880. Branimirum, anno 890. Brazlavonem 892. Muncimirum 920. Michaelem illis regionum confiniis præſediſſe, haud aliter quidem, ſi traditioni huic fides tribuenda, explicari poterit, quam Duces hos propter commune fœdus ſeu beneficiarios Suatopluci fuiſſe, ſeu annui tributi penſitatione ſubjectos. Id certe haud obſcure innuit ipſe Conſtantinus Por-

Idem c. 30. & 31. phyrogenitus, dum ait: Dalmatiæ Principem ſolitum mittere legationem ad *magnæ Chrobatiæ* Principem; quod vero ea magna Chrobatia haud

Ad An. 644. alia ſit, quam Bohemia, fuſe convicimus P. II. noſtrorum Annalium. Magnum igitur ac pervaſtum fuit Suatopluci regnum, quem tanquam Imperatorem ſuſpectum his verbis teſtatur Chriſtannus noſter de S.

Vita & Paſſio SS. Ludmillæ & Wenceſl. Methudio loquens: *Qui* (S. Methudius) *& poſtquam multos Chriſti Domini manipulos in horreo congregarat, ab ipſo Principe, qui partibus in illis tunc dominabatur, & imperabat univerſæ terræ ceu magnificus Imperator, ſtatuitur ſummus Pontifex.* At hoc ipſo anno Bohemos rupto cum Francis fœdere jam novo Regi ſuo fidem probaſſe videamus:

IV. Commemoratis, quæ Auguſto & Septembri menſibus Ludovicus Rex Germaniæ cum Carolo fratre, filiisque tranſegerat, perſe-

Ad h. a. quuntur Annales Francofuldenſes: *Rex autem menſe Octobr. cum ſuis colloquium habuit in Franconofurt. Inde in Bajoariam profectus contra Behemos irruptionem in regnum ſuum molientes, tutores partium ſuarum miſit Arnum videlicet Epiſcopum* (Herbipolenſem) *& Ruodoldum Comitem, aliosque cum eis. Adverſarii autem quendam locum vallo firmiſſimum circumdederunt, iter anguſtum in ipſo aditu facientes ad inſidias ſcilicet illorum, qui terminos obſervabant; ut ſi forte aliquis ex illis illuc veniret, in ipſo anguſto itinere, nusquam declinare valens, occideretur. Interea Sclavi Marahenſes nuptias faciunt ducentes cu-*

jus-

jusdam filiam de Behemis. Quod cum supradicti viri id est Arni & alii, qui cum eo erant, comperissent, illico armati adversarios sequebantur. Illi autem fugientes ad vallum memoratum ignari venerunt, ibique propter loci angustiam equis & armis derelictis vix nudi evaserunt. Nostrates vero supervenientes DCXLIV. equos cum frænis & sellis, atque ejusdem numeri scuta, quæ fugientes dimiserant, invenerunt, & hæc nullo resistente tollentes ad castra læti reversi sunt. Nostri Duce Aventino in explicandis his Annalium locis justo confidentiores: Pessina quidem ex Aventino locum illum vallo munitissimum suspicatur fuisse Hradisstium alio nomine Kottnow dictum, quod supra amnem Luznice situm erat, scilicet eum ipsum locum, quo postea sæculo XV. Ziska castrum & urbem Tabor condidit; sponsam vero illam autumat seu sororem seu filiam Ducis nostri Borzivogi, eamque desponsatam Suatopluco fuisse. Quæ quidem dubie prolata tanquam certissima & historiam narrat Stredovskius effecto etiam sponsæ nomine *Ludomiræ* aliisque circumstantiis nuspiam a veteribus proditis, imo audacter ait: ex hac Ludomira S. Ludmillæ filia natum Mogemirum Suatopluci filium, quod profecto festivos apologos est scribere, non historias. Et quidem nullus persuadere mihi possum, cum Bohemi ipsi irruptionem in Bojoariam moliti sint, tam longe hostem Francum progredi permisisse, ut pene in viscera Bohemiæ ad ipsam urbem Tabor penetraret. Haud procul a limitibus Bajoariæ hunc vallo munitissimum locum remotum fuisse, indubie Annales Fuldenses indigitant, cum dicunt in aditu hujus loci angustum iter factum ad insidias Bajoariorum, *qui terminos observabant.* Et procul dubio hæ Marahensium nuptiæ ab emissariis Francorum cohortibus interceptæ sunt, quæ passim per manipulos crassari solent, ubi vacuas milite terras advertunt. Moravi vero inopine ab ejusmodi manipulis oppressi ignari angusti facti itineris in eodem Bohemorum munimento asylum quæsiere, cumque aliter sponsam seque ipsos salvare non possent, equos & arma Francis in spolium reliquerunt, quo prædæ hujus objectu hostem remorarentur, fugamque proniorem indipiscerentur. Nec vero Suatopluco hanc sponsam adductam autumem, quod certe author Annalium Fuldensium exprimere non omisisset. Aventinus addit: *Hæc victoria atque præda in proverbium de sponsa & nuptiis, quod adhuc vulgo protritum est, cessit. Nam ad nuptias venire & dubium esse, quisnam sponsam domum ducet, crebri apud nos adagiones in ore vulgi sunt, quibus id significamus pene, quod latini inter os & offam, græci inter calicem, supremaque labra multa sæpius solere intervenire ajunt.* Verum

Pessina Mor. l. 2. c. 6. p. 176.

Stredovsky l. 3 c. 4. p. 284 & 285.

Aventinus l. 4. p. 260.

cur non potius Aventinus altiori origine hujus proverbii initium depromsit ex simillimo casu, quem de Quadis nostris & Sarmatis narrat Ammianus Marcellinus his verbis: *Evenisset profecto tunc* (videlicet in latrocinationibus Quadorum & Sarmatarum) *inexpiabile scelus, numerandum inter probrosas rei Romanæ jacturas, paulo enim abfuit, quin filia caperetur Constantii, cibum sumens in publica villa, quam appellant Pistrensem, cum duceretur Gratiano nuptura, ni favore propitii numinis præsens Mesalla provinciæ Rector eam judiciali carpento impositam ad Sirmium vicesimo sexto lapide disparatum cursu reduxisset effuso.*

Marcellin. l. 29. c. 6.

V. Non prætermittenda, quæ ad annum hunc fabulatur Goldastus passim hactenus ab exteris nostrisque Dux historiæ Boemæ habitus: *Zuendibaldus*, inquit, *qui & Suatecopius Dux Moraviæ a Carolomanno Rege in fidem receptus est sub tributi soliti præstatione.* Et illud, quod ex incerto Aventini loco memorat: *Rudolphus Dux limitis Aquilonaris Bojoariæ Boemiam invasit, Bojemos ad obsequium redegit.* Ubi horum in vetustis vel vestigium? Excussit hoc anno Zuentibaldus omne jugum Francicum, excussere Bohemi, & sequentibus annis perpetuo in armis stetere contra Francos vario quidem eventu, ut ad annum sequentem narrat Sigebertus Gemblacensis. Sed is fuit intemperans Goldasti in Bohemos animus, ut omni loco Boemorum Moravorumque victorias secundamque fortunam seu penitus præteriret, seu attenuaret, seu plane in transversum ageret, ob quod ad hunc locum fusissimo calamo in eum invehitur Pessina. Sed jam locum sacris relinquamus, a quibus hic annus quoque fertilissimus.

Goldast. l. 2. c. 12. §. 2.

Idem l. 2. c. 2. §. 22.

Ad An. 872.

Pessina Mart. Mor. l. 2. c. 6. p. 174.

VI. Exacuit suis monitis S. Methudius Suatopluci animum ad odium & iracundiam, ut superiore anno diximus. Nam ut alter vitæ author narrat: *Postquam Suadopluk regnum Moraviæ gubernaret, sua feritate inflatus, fastu arrogantiæ cum ministris Satanæ, qui sibi pari conspiratione tamquam canes rabidissimi erant connexi, doctrinam viri Dei vanam fore asserebant, & eos (quos una cum eis erroneos revocaverat ad viam veritatis, salutis & gratiæ) laborabant exterminare. Præco autem Christi constantissimus plebem Deo fidelem admonuit, ut in via veritatis persisterent, qui alacri corde salutaria ejus monita capaciter susceperunt. Rebelles vero contumaciter aspernabantur legem Domini, plurimis injuriis afficientes sacerdotes Domini* (scilicet qui cum S. Methudio parricidium avunculi execrabantur) *Pater autem Angelicus alta consideratione perpendens, quomodo nonnullos pie credentes splendor lucis accende-*

Ad 9. Martii §. 10.

derat, & alios impie credentes, & derogantes tetra caligo diffuderat, & quomodo ſequaces boni currunt ad gloriam, & perfidi truhuntur ad pœnam: illorum declinans pertinaciam, illos tanquam hoſtes religionis Catholicæ abhorruit, omnem eorum converſationem deteſtans Davidico ſuffultus eloquio dixit intra ſe: de cetero non ſedebo cum conſilio malignantium, & cum ſceleratis non manebo, ſed adhærebo innocentibus, & circumdabo altare Dei mei. Quapropter in frontoſum Principem Suadopluk & ſuos ſatellites, & in omnes ejus Gades (hæſit ad hanc poſtremam corruptam vocem Henſchenius, quæ ex Mſ. Bibliothecæ Metropolitanæ vocabulo *pagos* emendanda eſt) *excommunicationis fulminavit ſententiam.* Eadem per compendium referunt Lectiones Breviarii Mſ. Olomucenſis & Chriſtannus noſter, qui poſterior cum ſtatim ſubjungat: *Pagus ejus & rus cum habitantibus incolis anathemate percuſſa cum ſulcis ſuis & fructibus diverſis cladibus attrita usque in hodiernum diem defletur, data eſt enim in direptionem, & captivitatem, & prædam, & deriſum, & deſolationem; & in ſibilum univerſæ carni gradienti per eam,* occaſionem præbuit erroris primum quidem Pulkavæ, tum Silvio, denique Dubravio, Hagecio, Peſſinæ, Stredovskio, Jordano aliisque noſtris, ut crederent hoc S. Methudii anathema non ſpectare ad hunc Suatoplucum, ſed ad filium illius Suatobojum, paſſim etiam Suatopluk vocitari ſolitum, alii oculatiores videri volentes erroris plane Chriſtannum noſtrum inſimulaverint. Sed diſterminanda hic ſunt Chriſtanni noſtri narrata, ut nempe anathema a S. Methudio fulminatum recte quidem pertineat ad præſentem Suatoplucum, de quo agimus, ſed pœnæ illæ univerſæ Moraviæ excidii, quæ multo poſt conſecutæ ſunt, demum expletæ ſint ſub illius filiis, qui diſcordia ſua tam vaſtum florentiſſimumque regnum penitus peſſumdederunt, ut poſtea ex coævorum ſcriptorum documentis teſtatum faciemus. Quæ autem hic Chriſtannus omiſſis filiorum geſtis per epitomen ſubjunxit, ea explicanda ſunt ex mox relato vitæ authore, qui de nullo alio anathemate S. Methudii mentionem facit. Et profecto ſi dicamus ſub Suatopluci filiis rurſum S. Methudium Romam ire compulſum, admittendum erit eum quater Romanum iter ſuſcepiſſe, quod tamen nonniſi ter factum legitimis authoritatibus oſtendi poteſt, prout has tres Romam profectiones rite diſpeſcit Clariſſimus Aſſemanus & Schminkius, quorum poſterior recte monet: in hoc erraſſe Æneam Silvium, & Auguſtinum Brunenſem in Catalogo Epiſcoporum Moraviæ. Quin peranceps eſt, num S. Methudius Suatebogii tempora vivendo attigerit, cujus ſub illius imperio nulla uſpiam apud vetuſtiores memoria. Quod enim de Suatobogi venatione, in-

Ibidem.

Mſ. Metrop. Eccleſ.

Pulkavæ Mſ. Silvius c. 13. Peſſina l. 1. c. 3. & l. 2. c. 7. Dubrav. c. 4. Stredovsky l. 4. c. 6. Jord. n. 1038.

Aſſeman. T. III. p. 118. Schminkius in Goldaſt. l. 4. c. 2. p. 717.

tromissa canum multitudine in Ecclesiam, conviciisque in S. Methu-
Pulkava Mſ. dium profusis narrat Pulkava, ex eoque passim posteriores, id referendum est ad Suatoplucum Rastizi nepotem, ex eoque illustrandus vitæ scriptor, qui causas anathematis nonnisi generales attexuit. Non dubium autem Pulkavam id ex historicis patriis & certis documentis desumsisse, quem proinde audire libet causam ultimam irritati ad fulmen Ecclesiasticum detonandum Apostolici Viri sic describentem: *Filius suus* (imo verius ipse Suatoplucus) *quadam die festiva volens venari prope civitatem Welegradensem in silva, quæ Greczen vocatur, intimavit Archi-Episcopo S. Methudio, ut cum Missa ipsum exspecturet solemni, quousque rediret: qui beatus Archi-Episcopus exspectat usque prope meridiem, & cum timuisset negligi divinum officium, Missam celebravit Rege minime exspectato. Rex autem cum a venacione veniisset, & audisset, quod Archi-Episcopus Missam celebraret, & jam Corpus Dominicum consecrasset, indignatus cum canibus & venatoribus Ecclesium intrans fecit magnum sonitum & tumultum cum tubis venatorum, & latratu canum, sicque usque ad altare venit, derisitque Archi-Episcopum S. Methudium, & recessit de Ecclesia supradicta. Ob quem despectum & blasphemiam finita Missa Archi-Episcopus excommunicavit dictum Regem, & positum interdictum & anathema per totum regnum Moraviæ.* At gesta S. Methudii persequamur:

VII. Gravissimis his adversitatibus pulsatus Vir Apostolicus Methudius unicam spem in S. Fratre suo Cyrillo reponit, sperans illius authoritate, qua plurimum nuper apud Moravos poterat, ejusque hortatibus Suatoplucum ad frugem reducendum, quare viam Romam ador-
Ad 9. Martii §. 12. nat, ut S. Cyrillo reditum in Moraviam persuaderet: *Romam* (persequitur supra laudatus vitæ scriptor) *adire volens, beatumque Cyrillum secum ducere, sed invenit eum mortuum.*
Ibid. §. 10. Nam ut uterque vitæ scriptor refert, is jam decimo sexto Kalendas Martias fatis cesserat. *Cum autem Philosophus* (Cyrillus) *qui & Constantinus diem transitus sui imminere sibi sensisset, ex concessione summi Pontificis imposuit sibi nomen Cyrillus, dicens hoc revelatum sibi fuisse* (Stredovskius tanquam ex oraculo Delphico dicit hanc
Stredovsky l. 3. c. 6. revelationem fuisse S. Cyrilli Patriarchæ Alexandrini) *& sic post quadraginta dies dormitionem accepit in Domino sexto decimo Kalendas Martias. Præcepit autem sanctus Apostolicus, ut omnes tam Græci quam Romani Clerici ad exequias ejus accurrerent cum psalmis & canticis, cum cereis, & thuris odoribus, & non aliter ei, quam ipsi quoque Apostolico funeris honorem impenderent.* Quid vero S. Methudius egerit, ubi fratrem mortuum deprehendit,

ex

ex eodem prioris vitæ authore cognoſcamus: *Tunc ſupradictus frater ejus Methodius accedens ad ſanctum Pontificem, & procidens ad veſtigia ejus ait: dignum ac neceſſarium duxi ſuggerere Beatitudini tuæ Apoſtolice Pater, quoniam quando ex domo noſtra ad ſervitium, quod auxiliante domino fecimus, ſumus egreſſi: mater cum multis lacrymis obteſtata eſt, ut ſi aliquem ex nobis, antequam reverteremur, obiiſſe contingeret, defunctum fratrem frater vivens ad monaſterium ſuum reduceret, & ibidem illum digno & competenti obſequio ſepeliret. Dignetur igitur ſanctitas veſtra hoc munus meæ parvitati concedere, ne precibus matris vel conteſtationibus videar aliquatenus contraire. Non eſt viſum Apoſtolico, quamvis grave ſibi aliquantulum videretur, petitioni & voluntati hujuſcemodi refragari. Sed clauſum diligenter defuncti corpus in locello marmoreo & proprio inſuper ſigillo ſignatum poſt ſeptem dies dat ei licentiam recedendi. Tunc Romanus Clerus ſimul cum Epiſcopis ac Cardinalibus & nobilibus urbis conſilio habito convenientes ad Apoſtolicum cœperunt dicere: indignum nobis valde videtur Venerabilis Pater & Domine, ut tantum tamque magnificum virum, per quem tam pretioſum theſaurum urbs & Eccleſia noſtra recuperare promeruit, & quem Deus ex tam longinquis regionibus & exteris ad nos ſua gratuita pietate perducere, & adhuc etiam ex hoc loco ad ſua regna dignatus eſt aſſumere, qualibet interveniente occaſione in alias patiamini partes transferri. Sed hic potius placet, honorifice tumuletur, quia & dignum valde eſt, ut famæ tam celebris homo in tam celeberrima urbe celebrem locum habeat ſepulturæ. Placuit hoc concilium Apoſtolico, & ſtatuit, ut in B. Petri Baſilica poneretur in ſuo videlicet proprio monumento. Cernens Methodius jam ſuum defeciſſe propoſitum, oravit iterum dicens: obſecro vos domini mei, quandoquidem non eſt placitum vobis meam petitiunculam adimplere, ut in Eccleſia B. Clementis, cujus corpus multo ſuo labore ac ſtudio repertum huc detulit, recondatur. Annuit hujusmodi petitioni Præſul ſanctiſſimus & concurrente Cleri ac populi maxima frequentia cum ingenti lætitia & reverentia nulla ſimul cum locello marmoreo, in quo pridem illum prædictus Papa condiderat, poſuerunt in monumento ad id præparato in Baſilica B. Clementis ad dextram partem altaris ipſius cum hymnis & laudibus maximas gratias agentes Deo: qui in loco eodem multa & miranda operatur ad laudem & gloriam nominis ſui per merita & orationes ſanctorum ſuorum, qui eſt benedictus & glorioſus in ſecula ſeculorum Amen.* Quibus verbis author finit hiſtoriam ſuam de S. Cyrillo & Methudio. *Ibidem §. 11.*

At vero alter *Ibidem §. 12.* ait S. Methudium clam nocte ſuſtuliſſe corpus S. Cyrilli ex Eccleſia S. Clementis, cumque in itinere eſſet Moraviam verſus S. Cyrillum multis videntibus oſtendiſſe manu elevata, ſignumque dediſſe, ut in urbem Romam reportaretur. Atque hæc eſt,

VIII.

VIII. Verosimilior epocha mortis Divi Cyrilli gestorumque mox allatorum. Non nescio quidem a Pagio ea ad annum superiorem narrari, & ab Eruditissimo Assemano obitum S. Cyrilli verosimillime ad annum 868. defigi, attamen hæc utriusque doctissimi Viri in re tam obscura sententia est: haud inconcinne etiam nonnihil posterius statui modo ante finem anni 872. quo Joannes Octavus Hadriano II. in Pontificatu successit, defigatur. Mihi certe omnia momenta solertius excutienti, annus 870. multo magis 868. præmaturus visus est, ut is morti S. Cyrilli, & rebus cum S. Methudio Romæ gestis consignaretur. Nam juxta alterum vitæ scriptorem S. Methudii persecutio & Romam profectio facta primum est regnante in Moravia Suatopluco, & mortuo Ratislao, qui cum primum circa Calendas Novembris anno priore testantibus supra allatis Francofuldensibus Annalibus oculis orbatus fuerit, ac proinde vix prius, quam ad finem anni superioris aut initium præsentis mori potuerit, sancti Methodii Romam profectio, totque ibidem illius acta haud lapso anno 870. contingere potuerunt. Tum si glomerentur omnia: conatus S. Methudii in corrigendo Suatopluco, istius adversus eum conceptum odium, ac denique vibratum in pertinacem anathema, majus hæc quodpiam temporis spatium exposcunt, quam ut uno mense accidisse credi possint, præsertim si præcipitem rebus in istiusmodi S. Methudium non fuisse libet tueri. Verosimillime igitur S. Methudius hoc anno post XVI. Kalendas Martias, quoquo demum mense Romam appulit, cumque S. Cyrillum fratrem jam mortuum imo in Basilica Divi Petri marmoreo loculo conditum reperisset, nec impetrare posset, ut ejus corpus ad patriam posset revehi, id tamen precibus suis evicit, ut ex S. Petri Basilica in S. Clementis Ecclesiam transferretur. Et cum prior vitæ author de translatione illius loquens dicat illum *pridem* ab Hadriano II. in Basilica S. Petri conditum fuisse, existimo omnino hanc translationem sequenti anno 872. accidisse nona Martii, qua hodiedum utriusque festivitatem celebramus; nam hæsere alioquin permulti: cur S. Cyrilli festivitas non celebretur XVI. Kalendas Martii, quo eum uterque vitæ scriptor ad superos avolasse memorat. Nec vero vis adferetur historiæ, si usque ad illud tempus sequentis anni S. Methodium Romæ commoratum, ejusque translationi interfuisse dixerimus ad VII. Idus Martii. Porro S. Cyrillo statim post mortem delatum [illegible], eumque miraculis clarum fuisse testatur prior vitæ scriptor. In eadem vero Basilica S. Clementis postea corpus S. Methudii reconditum fuisse perhibet Cardinalis Baronius in Annotationibus ad Martyro-

Pagius ad An. 870. N. 30. Assemani. T. III. p. 119.

rologium Romanum ad IX. Martii, qui ait: *Utriusque sacras reliquias nuper sub altari in ejusdem Ecclesiæ* (S. Clementis) *sacello pervetusto repertas esse accepi.* Henschenius præterea addit: *Scribit quoque Octavius Panciro-lus in thesauris absconditis Almæ urbis in dicta Ecclesia S. Clementis, quæ est 23. regionis 2. sanctorum horum corpora asservari, colique eos die IX. Martii. Translatæ aliquæ eorum postea in Moraviam reliquiæ. Nam Bruna, quæ celebris illic civitas est, ita ad nos anno 1753. P. Theodorus Moretus noster scripsit: nuper visitabam Ecclesiam Collegiatam Brunensem S. Petri, ubi in thesauro ejusdem Ecclesiæ S. Cyrilli Episcopi, & cum S. Methodio Apostoli Moraviæ os brachii integrum mihi ostensum est in antiquissima argentea theca inclusum.* *Ad 9. Martii in Comment. prævio N. 37.*

ANNUS 872.

Præsentis anni tractu patuit nihil in rebus mortalibus esse neque religione tam sanctum, quod non violet avaritia, neque immanitate tam barbarum, quod non audeat habendi spes: sub hiemis tempus nunciatur a piscatoribus Duringo (a) Postoloprtensis regionis Præfecto magnam piscium vim ad quoddam ostium fluminis Egræ adnasse, sed obtinente omnia glacie accessum non dari. Ille omnis lucri prædæque sitiens rapto secum Principe puero extemplo ad flumen advolat, securibus dolabrisque frangi glaciem, multaque ora fieri præcipit, per quæ jactis sub glaciem retibus exitum pisci advenæ intercipiat, stansque cum bipenni, quam pallio tectam secum attulerat, super unum oris hujusmodi labrum ad puerum „ Vide, vide, inquit, Zbislae, quæ hic „ piscium copia:„ statimque procumbenti in genua, & collum protendenti, quo facilius cerneret, sceleſtus parricida bipennem summa vi secundum cervicem impingit, & quia illo percussu caput a corpore plane non abstulit ignavus *Duringus obtruncat Wratislai filium.*

carnifex, reliquum, quod ſupererat, immitis lanius cultro conficit. Ad ſpectaculum adeo tragicum & improviſum diffugientibus illico operis piſcatoriis novus ille Thrax cerviculam involvit linteo, rectaque Wiſſehradum tendit non magis ſceleris, quam malæ ſpei frontisque plenus. Sedebat tum forte Neclanus in Comitio ſenatorum medius paratus jus dicere poſtulantibus, cum nocentiſſimus percuſſor in medium audacter progreſſus ita infit: „Non te latet Ducum „ inclyte! quam non raro neglecta ſcintilla maximum exci„ tet incendium, cujus furore non modo eæ ædes, quibus „ genita eſt, ſed & vicinæ omnes quandoque cum dominis „ abſumantur. Vetuſtiſſima eſt paroemia: flammam com„ prime, antequam in tecta evolet. Hem ſcintillam ejus„ cemodi tibi imperioque tuo exitium minantem ego non „ tam meo, quam Deorum conſilio oppreſſi, unoque ictu „ bipennis meæ tibi, vobisque patres inclyti, felicitatem, „ qua hactenus fruimini, confirmavi. Veſtrum jam eſt, „ quorum cauſa hoc facinus confeci, de præmio cogitare, „ meritisque meis æquam mercedem ſtatuere. (b) Dicet „ fortaſſe aliquis haud æquus judex, rerumque iſtiusmodi „ rudiſſimus me minus laudabile admiſiſſe facinus, qui „ tam teneræ ætati non pepercerim. At novi æquita„ tem, novi prudentiam veſtram in longius proſpicientem, „ ut auſum hunc meum non probrare non poſſitis. Recen„ ti enim adhuc tenetis memoria temerarios Wratislai Za„ tecenſium Principis inſultus, quibus haud aliud conatus, „ quam Wiſſehradenſi dominatui froena injicere, te Prin-

Præmium ſceleris a Neklano poſtulat.

„ ci-

„ cipem, vos Patres omnes jure, authoritate, poſſeſſioni-
„ bus, rebus omnibus quæſitis exuere. Parum dico, di-
„ cam amplius: haud vos latet impia voluntas, cum uxo-
„ rum veſtrarum uberibus liberorum loco catulos ſubjicere
„ minatus eſt. An vero aliud ab ejus filio Zbislao exſpec-
„ tare fas erat? an is ætatem vindictæ aptam conſecuturus
„ alius a patre futurus, mortemque genitoris cum æquani-
„ mitate concocturus, nullam, inquam, ultionem expetitu-
„ rus? „ hærebat Princeps cum ſenatoribus, quo tandem evaſura eſſet hæc oratio. „ En jam vobis (perſequitur fu-
„ neſtus latro) ſecuris in utramque aurem dormire licet, ni- *Exerit caput Ducalis pueri.*
„ hil amplius a Zatecenſium Ducum ſtirpe periculi extimeſ-
„ cendum. „ Quæ cum dixiſſet, exeruit e gremio adhuc cruorem ſtillans, vividumque, ſi vocem, motumque tollas, Ducalis pueri caput, idque in conſpectum omnium ſuperſtantem iſthic tabulam poſuit. Nemo omnium coram fuit, cujus præcordia lamentabilis iſta facies non perculiſſet. Neklanus ipſe ad fœditatem ſpectaculi e tribunali proſiliens hac verborum vi in hominis perfidiam invehitur. „ Abi in-
„ crucem nefande cum execrandis inferiis tuis, ne eæ am-
„ plius exulcerent oculos noſtros. Pupulumne hunc tibi
„ ſollicite educendum, an trucidandum tradidi? quam pu-
„ tas fuiſſe mentem mihi in te tantum benefico, cum te
„ ſupremum præfectum provinciæ Poſtoloprtenſis conſtitui,
„ an ut immanis bellua innocuum profunderes ſanguinem?
„ tandem intelligo: ne quidem benevolentia & muneribus
„ vinci perfidiam. Cogitasne vero hominum miſerrime

„ mihi defuisse potestatem id pridem audendi, quod tu in-
„ jussus sceleste attentasti. At vero caruissem culpa, cum
„ hostis filium peremissem, tibi dominum, Principemque tuum
„ occidere nullo unquam jure licuit. Postulasti enim vero
„ impudens etiam pro scelere præmium; id vero jam habe
„ atque audi: Penes tuum arbitrium unum ex tribus esto
„ supplicium, seu ex rupe hac Wissehradensi te da præcipi-
„ tem, cervicemque inter saxa pendentia collide, seu tuo
„ ipse mucrone impuram corpore exturba animam, seu de-
„ nique tuomet gutturi innecte laqueum. „ Expalluit,
contremuitque ad has Principis voces Duringus, & altum
suspirans ingemuit cum dicto: „ Perditum me! qui impe-
„ tum, non rationem ducem secutus sum. Infelix fallaxque
„ somnium! quod vanam spem cum ingentibus divitiis at-
„ que ditionibus mihi mendaciter obtrusit. „ Nec jam mi-
sericordiæ locum esse cognoscens, ex laqueo ut moreretur,
delegit. Præter moram comprehensus a lictoribus raptatur
e concilio senatorum ad condignam pœnam, misere æstuans,
quam potissimum arborem supplicio suo destinet. Alnum
tandem ceteris prætulit, lenteque inserto in collum laqueo
debitam æternis cruciatibus animam elisit. (c) Alnus, quo-
ad duravit, novi hujus atque insolentis fructus retinuit no-
men, dictaque est Duringica. Auctor est Joannes Klipta (d)
in suo annorum commentario hanc alnum eo loci stetisse,
unde hodie ædes Divo Adalberto sacra Wissehradum re-
spicit. (e)

Reus mortis damnatur.

In alno suspenditur.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXII.

JOANNIS VIII. PAPÆ 1. LUDOVICI IMP. 18.

NEKLANI 21.

(a) Hofmannus Duringum hunc gente Germanum facit, sed deceptus procul dubio, quod gentile nomen autumaret; proprium fuisse his verbis ostendit Cosmas primus historiæ hujus prolator: *Nomine Duringo, qui fuit de Zribia.* Codex Dresdensis Cosmæ habet *Zurbia.* Srbos autem seu Sorabos lingua & gente fuisse Slavos plusquam testatum est. Quod miror non observasse Dubravium & Pessinam, qui pariter Germanum faciunt, nisi dicam deceptos a Cutheno, qui Sorabos genere Germanos credidit. *Hofman. apud Pezium c. 14. Dubrav. l. 3. Pessina l. 2. c. 6. p. 177. Cuthenus apud Welesluv. c. 12. Cis. loco.*

(b) Hofmannus ait Duringum vana spe lactatum, ut peremto Zbislao Principatum Zatecensem in præmium ferret.

(c) Dubravius ait: Duringum coactum fuisse se suspendere versa facie versus Thuringiam patriam suam. Sed id convicium est. *Dubrav. l. 3.*

(d) Ad eundem authorem provocat Hagecius ad annum 952. Pessina eum vocat *vetustissimum Bohemiæ scriptorem.* Sed hoc nomine nuspiam eum impertit Hagecius, qui primus ejus memoriam facit. Ostendit mihi piæ memoriæ Reverendissimus Thomas Berghauer fragmentum vernaculum rapsodiam quarumdam antiquitatum Boemicarum complectens, quod Kliptæ istius esse dicebat, istuc si est: ausim dicere Kliptam ad finem sæculi XV. seu initium sæculi XVI. paulo ante Hagecium scripsisse. Nam idioma Bohemicum istius fragmenti haud altiorem ætatem sapiebat. *Pessina Rad. 3. p. 163. in notis.*

(e) Perstat hodiedum ædes hæc sacra intra novam urbem in loco passim Podskal appellato. Ceterum quis non miretur in his recensendis Hagecii posteriorumque confidentiam, qui hæc tanquam certissima nobis venditarunt, cum tamen Cosmas eorum primus prolator dubia prorsus fide narret, ipseque hæreat, *num ficta aut facta* existimanda sint.

PRÆTERMISSA.

I. Suatopluçus e manibus Francorum haud præter præsentem Divini numinis opem ereptus, jamque hoc anno omnium prope vicinarum nationum Slavicarum præsidio fultus tandem ad cor rediit agnoscens errorem, quod cum Divo Methudio indignius, quam par erat, egerit, causamque Viro Apostolico dederit, ut is Moraviam deserens Romam transire cogeretur. Nam ad annum hunc verosimillime pertinent, quæ posterioris vitæ author de Suatopluci pœnitentia narrat: *Ad 9. Martii §. 13.* *Post hoc Swadopluk pœnitentia ductus super his, quæ viro sancto injuste intulerat, misit per nuncios* (Romam) *ad virum sanctum, per quos petiit, ut revertetur ad Ecclesiam promittens errata emendare. Tunc vir Dei gregem suum revisere properat, quem reliquerat corpore non affectu. Ad cujus adventum occurrentes nobiles cum civibus patriæ, & in mirum exultationis gaudium versi grates Deo dixerunt: Visitasti Domine terram tuam, lætificasti eam, remittens nobis nostrum pastorem animarum.* Hic vero S. Methudii reditus factus est post Translationem corporis S. Cyrilli e Basilica S. Petri in Basilicam S. Clementis, quam probabilissime anno hoc ad VII. Idus Martii accidisse, sub finem anni superioris docuimus. Non audiendus ad hunc annum Stredovskius, qui Chronologia sua in omnia alia abiens, susque deque historias perturbat. *Stredovsky l. 3. c. 6.* Cum enim annum superiorem in Bulgaria S. Methudium exegisse dixit, hoc tandem anno S. Cyrillum egregie in Moravia & Bohemia constitutis rebus Romam abiisse præter omnem fidem & crisim memorat. Tam paradoxa sunt, quæ jam hoc anno de Decanis Cathedralis Ecclesiæ Olomucensis, imo infulis Pragensibus comminiscitur.

II. Non minus annus præsens atque superiora Bohemorum Moravorumque gestis memorabilis: Chronographus Francofuldensis his verbis ea complectitur: *Annales Francofuld. ad h. a.* *Mense autem Majo misit* (Ludovicus Rex Germaniæ) *Thuringos & Saxones contra Sclavos Marabenses, qui quoniam Regem suum non habebant, & inter se concordes esse nolebant, idcirco hostibus terga verterunt, & plurimis suorum amissis turpiter redierunt: ita ut quidam Comites in illa expeditione fugientes a mulierculis illius regionis verberati, & de equis in terram fustibus dejecti referantur. Iterum quidam de Francia mittuntur Carlmanno in auxilium contra Sclavos supra dictos.* *Ad h. a.* Annalista Bertinianus ait ad hanc expeditionem frustra sollicitatos reliquos filios, sic enim ille: *Ludovicus Rex Germaniæ filios suos Ludovicum & Carolum ad se vo-*

cans

cans, ut eos cum Carolomanno pacificaret, doloſe illis jurare fecit. Sed & iidem filii ſui, & homines eorum doloſe nihilominus Ludovico ſacramenta præbuerunt. Et volens idem Ludovicus pater, ut ipſi filii ſui cum fratre illorum Carolomanno adverſus Winidos pergerent, obtinere non potuit. Unde hoſtem, quam magnum potuit, cum Carolomanno direxit. Perſequuntur vero Annales Fuldenſes: *Alii deſtinantur contra Behemos, qui Dei adjutorio freti Duces quinque, quorum iſta ſunt nomina Zwentibalw, Witislaw, Herimun, Spoitiman, Moyslaw cum maxima multitudine ſibi rebellare nitentes in fugam verterunt, & alios quidem occiderunt, alios vero in fluvio Fuldaba ſubmerſerunt, qui autem evadere potuerunt in civitate defecerunt. Deinde parte non modica illius provinciæ depopulata incolumes reverſi ſunt. In hac expeditione Luitbertus Archi-Epiſcopus* (Moguntinus) *primatum tenuit. Hi vero qui Carlmanno miſſi ſunt in auxilium, id eſt Aran* (ſupra Arn Herbipolenſis) *Epiſcopus, & Sigahardus Abbas Fuldenſis Monaſterii, quamvis fortiter hoſtes premendo pugnaſſent, plurimis tamen ſuorum amiſſis cum magna difficultate regreſſi ſunt. Sed cum Carlmannus cædes & incendia in Marahenſibus exercuiſſet, Zuentibald, miſſo eum exercitu copioſo, Bajoarios, qui ad tuendas naves in littore Hiſtri* (Danubii) *fluminis relicti fuerant, occupavit, & alios occidit, alios necavit in flumine, alios vero duxit captivos, nullusque inde, niſi Embrico Radasbonæ civitatis Epiſcopus cum paucis evaſit.* Ad hanc variam fortunam alludit Sigebertus Gemblacenſis, dum hoc anno ſcribit: *ab exercitu Ludovici Germanici vario eventu varia bella contra Sclavos geruntur.* Multa vero his in Annalium Fuldenſium relatis occurrunt, quæ ex aliis nonnihil dilucidari poſſunt. Et quidem

III. Recte adnotavit Eruditiſſimus Aſſemanus: *Quinque illos Bohemorum Duces Swentiſlavum &c. qui anno 872. Bohemis præerant, apud Rerum Bohemicarum ſcriptores - - - fruſtra quæſieris.* Quare perobſcurum, quarum provinciarum Principes fuerint. Peſſina cum Annales Francofuldenſes mirum in modum ſuo genio amplificavit, non modo hæret hos quinque Duces fuiſſe, ſed non dubitat quoque tanquam certum pronunciare *Swentoslaum* Bilinenſem, *Witoslaum* Kadanenſem, *Herimanum* Zateconſem, *Spoitiman* ſeu ut is eum vocat Spitimirum fratrem Borbogi de Sitolib Wrſſovicenſem, *Moyslaum* denique ſeu Miſtislaum filium Tuhonis Klatovienſem Ethnarcham fuiſſe, qua in re & Stredovskium & Jordanum nactus ſequaces. Sed unde hæc proferuntur, unde probantur? mihi certe hic præſidio ea eſt Critices regula: *Contemnitur quid quid a recentiore ſine vetuſtioris auctoritate profertur.* Ait quidem Peſſina de Spitimiro & Moyslavo: *Quos tum in avitis ſuis ditionibus floruiſſe conſtat.* Sed

Aſſeman. T. II. P. I. c. 5. p. 208.

Peſſina l. 2. c. 6. p. 177.

Jordan. orig. Slav. N. 1028.

Stephan. Baluz in not. ad Lactantium.

Sed ſatisne hoc eſt aſſeruiſſe? unde vero conſtat? mihi certe per annos jam quindecim undequaque ex angulis monumenta patriæ exquirenti ne veſtigium hujus rei hactenus in manus incidit. Tam ſubleſtum eſt: Kornburgum hodiernam Auſtriæ civitatem toto pene menſe Septembri hujus anni fruſtra a Suatopluco obſidione fuiſſe cinctam. Porro hos quinque Duces fuiſſe Bohemiæ diverſarum quidem regionum nullus dubito, etiam poſterioribus temporibus ex aliis Francicis Chronicis viſuri ſumus iſthic plures Duces ſedisſe, imo & ex noſtris; exemplumque hujus longe recentius habemus in Moraviæ & Sileſiæ Ducibus, quemadmodum autem hi Boemorum Ducem Regemve Dominum reſpexere, ita & ceteri Duces Bohemiæ Pragenſem, is vero tanquam ſupremum Legislatorem, hoc quidem tempore, Suatoplucum. Nec enim ſyllabus is (quem ad poſteritatem tranſcripſit Coſmas) Ducum Bohemiæ alius eſt, quam Pragenſium, unde haud mirum eorum nomina in Francicis ſcriptoribus nuſpiam reperiri, longius videlicet remotorum, quibusque haud alii, quam qui Bojoariis contermini fuere, de nomine innotuere. *Fuldaba* fluvius, qui iſthic in Annalibus Fuldenſibus commemoratur, procul dubio haud alius eſt a Wltava ſeu Moldava, cujus fontes, curſumque jam Parte II. explicavimus. Sed utinam iidem Annales tam genuine nomen civitatis, in qua noſtros defeciſſe ſcribunt, atque fluminis indigitaſſent, ego quidem ex rerum recenſitarum combinatione hoſtem Francum haud ultra hodiernum Budvicium Moldavæ adſitum progreſſum exiſtimo. Scribit Joannes Latomus in Archi-Epiſcopis Moguntinis Luitbertum Archi-Epiſcopum, qui in hac expeditione primas tenuiſſe memoratur, cum Rheni accolis & Lotharingis per ſaltum Hercinium una cum Rotulpho Duce irrupiſſe in Bohemiam. Ceterum quale quale demum damnum experti Bohemi, reparavit id cumulate eodem anno Suatoplucus, qui hoſtem a tergo ſeparato exercitu aggreſſus tutores navium ad Danubium cecidit, ac Carolomannum cum ſuis pene omni reditu intercluſit. Quare is ſequenti anno ad incitas prope redactus, ut ſuo loco videbimus. Denique ex hoc Annalium loco manifeſtum fit Moraviæ terminos usque ad littora læva Danubii exporrectos fuiſſe, cum Franci navibus hanc expeditionem ſuſceperint, eos vero ſequentibus annis etiam in dextram ripam Danubii protenſos fuiſſe ſuis locis cognoſcemus

Annal. Hagec. P. II. p. 178.

Apud Menken. T. III. p. 462.

AN-

ANNUS 873.

Præeuntem ad manes Zbislaum ſecutus hoc anno Neklanus eſt, (a) terrore metuque, quo, dum vixit, laborabat, mortuus, ut quidem nonnulli noſtratium ſcriptum reliquere. Ajunt enim Neklano nocturna forte ſacra procuranti aureum dæmonis ſimulacrum, cui in larario litabat, terribilibus præter ſolitum oculis fuiſſe viſum, dentesque in eum diſtrinxiſſe, eo denique terrore principem correptum animam efflaviſſe quarto poſt die. Tumulatus in Hrobka Neklan nihil deſideravit, quidquid honoris ſupremi aliis ante eum Principibus vetus patriæ mos impendere conſuevit, repertique ſunt inſuper de multitudine non pauci crinem barbamque reſecantes, mittentesque in funereum ignem, & magnis vocibus clamantes: „ Date nobis victo„ riam Dii immortales, date Principem, qui terram patriam „ tueatur. „ *Neklanus terrore moritur.*

Haud multo poſt Lopotæ ſeu primores gentis indictis populo comitiis ad fontem Gezerkam Principem crearunt Hoſtivitum (b) filium Neklani majorem, quem mox Wiſſehradi inter feſtivas acclamationes dataque ſacramenta redimitum Ducali pileo ſeu mitra Przemysli (c) patrio ritu inaugurarunt. *Hoſtivit conſtituitur Dux.*

Eodem anno Lopotæ (quos quaſi Ephoros dicas; tanta enim eorum auctoritas erat, ut non multitudinem modo, ſed nobilitatem etiam, minoresque dynaſtas arbitratu ſuo verſarent) dandam uxorem Hoſtivito rati, Miloslavam filiam *Nuptiæ Hoſtiviti.*

Hraboslai de Dworez (d) tertio post die sponsam adduxerunt. Nihil omissum, quod ad diei celebritatem, lætitiamque augendam faceret, solus Mstybogius (e) Hostiviti natu minor frater nuptialis convivii festivitatem invidia atque discordia fœdavit, dum vocatus, nullus adesse voluit; id cum primis male stomacho concoquens, quod nequidem Satecensis Ducatus prærogativa sibi delata esset. Sufflaminante igitur invidia inexpiabile odium in fratrem, proceresque animadversus cum seditiosis conferre caput, & pernicioſa in Rempublicam miscere consilia.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXIII.

JOANNIS VIII. PAPÆ 2. LUDOVICI IMP. 19.

HOSTIVITI 1.

(a) Mira inter recentiores de annis ætatis regiminisque *dissensio*, nec mirum in re a veteribus nuspiam prodita tantoopere differre posteriorum sæculorum historicos. Nempe prolexit omnium scriptorum Bohemiæ orexim Hagecius, cum Cosmæ narrationes ad certas Chronologiæ rationes reducere conatus est, quo cum in nonnullis oculatiores videri vellent, in annorum computu passim ab eo recedentes, alia atque alia secuti sunt. Weleslavinus quidem in Neklano omni annorum supputatione abstinuit, sub Carolo M. tamen eum vixisse, cumque eo Ducibus Lecho & Milidruho bellum gessisse memorat, quem non pauci posteriores imitati. Stranskius cum idem tuetur, ætatis illi 46. regiminis quinque & tringinta adscribit, denique obitum ejus ad annum 839. collocat, qua in re socium nactus nostrum P. Victorinum. At Balbino annus hic obitus visus erroneus, quod multis, quæ hic referre supervacaneum censemus, probare conatur. Contra probatur hic annus Jordano. Puczalka initium Ducatus Neklani statuit ad annum 792, obitum ad annum 823. Nos cum Cosma tutissimum judicamus rem in medio relinquere, quæ sola traditione nixa est.

Weleslav. in Geneal. Duc. & Reg. Bob.

Stransky c. 8. §. 7.

Victorini Mſ. Balbin. Dec. 1. l. 7. c. 10. Jordan. Orig. Sla. von. c. 29. §. 38. Puczalka in

Ne-

Neklani ſimulacrum ex Mſ. picturato jam alias a nobis laudato hic exſculptum proponimus; perlatumque eſt ad nos, ſimulacra hæc Ducum accuratiſſime reſpondere illis, quæ in pervetuſtæ arcis Dobrovicenſis aula ad Neo-Boleslaviam obſoleto penicillo depicta ſunt. *Novi Eccleſiæ.*

(*b*) Recte ex vetere dialecto Slavica eum Coſmas Goſtivit appellat, a Neplahone vocatur Hoſtiwyk, a Dalemilo & Hofmanno Hoſtiwitz, a Marignola Buſtiwitz, a Silvio plane Noſtric, ſunt alii, qui eum altero nomine Milehoſt nuncupatum volunt. Regiminis ſui initium auſpicatur Weleslavinus ante annum 823. Stranskius 839. Puczalka 825. Balbinus 802. *P. Victorinus in Mſ.*

(*c*) An hæc Przemyslai mitra, cujus in omni pene Ducum Ethnicorum inauguratione meminit Hagecius, vetuſtatis certo fundamento nitatur, *multum dubito*, quandoquidem ante eum, qui hæc adſtruat nemo a me repertus; de cothurno & calceamentis Przemysli omnino mentionem facit Pulkava, aitque in vigilia coronationis Regum Boh. ea a Canonicis & Prælatis futuro Regi oſtendi, cothurnum vero ejus humeris imponi. Non majorem itaque fidem mereri mihi videtur hæc mitra, quam aureæ Libuſſæ ſella, quam jam Parte II. ex Vincentio refutavimus. Tegumenta capitum in Ethnicis Ducibus Picturati noſtri Mſ. non ſunt ejusdem generis, referuntque paſſim formam vittarum orientalibus populis olim uſitatarum. In veteribus ſigillis noſtris primi Chriſtiani Duces ubivis nudo comparent capite, non ſecus in nummis, nonnunquam pileolum videre eſt ad eam prope normam, qualis eſt Ethici Ducis Alemanniæ in monumento ſepulchrali quod excuſum protulit Eccardus. Poſterius Pileus Ducalis in diplomate Friderici Imperatoris anno 1156. ſic deſcribitur: *Dux Auſtriæ Principali amictus veſte, impoſito Ducatus pileo circumdato ſerto plumato* (alia exemplaria habent pinnato) *baculum habens in manibus, equo inſidens &c.* *Pulkawa Mſ.* *Eccardus in Orig. Habsb. l. 1. c. 3. p. 11. Vitus Arnpek. in Chron. Boj. l. 4. c. 59.*

(*d*) Unde hæc uxoris ſocerique nomina depromſerit Hagecius, quis divinet? quandoquidem eorum nemo, quibus ſe uſum in Catalogo ſuo Authorum profitetur, verbo meminit.

(*e*) Memoravimus ad annum 871. Mſtibogium aliter appellari Diepoldum, quo nomine eum impertit Dalemilus, Pulkawa, aliique. Ei vivo adhuc patre obtigiſſe Sliczenſem ſeu Znoymenſem provinciam

iidem asserunt, quam Hofmannus Sicyim, Silvius Sutriensem vocat. *Dubrav. l. 3.* At contra cum Hagecio facit Dubravius, qui eum ab Ordinibus nec ad Lucensem nec Kurimensem Ducatum adscitum volunt.

PRÆTERMISSA.

I. Silentibus hoc anno historiis de rebus Apostolicis S. Methudii, in recensendis profanis haud sunt ineloquentes: & quidem Annales Francofuldenses ajunt: *Exactis autem diebus quadragesimæ, & hebdomada Paschali finita Rex de Francono furt transiens in villa Biesestat prope Wormatiam placitum habuit,* Narrata compositione cum filiis subjungunt: *Quidam etiam de Alemannia nomine Berthrammus, qui superiori anno in Marahensibus Sclavis fuerat comprehensus, a Zuentibaldo dimissus, venit ad Regem, & legationem sibi ab eodem Duce injunctam retulit, sicut prius juramento constrictus se facturum esse pollicitus est.* Quo gradu dignitatis hic Berthrammus eminuerit, quæve ejus legatio fuerit nuspiam proditum. *Ad h. a.* *Pessina l. 2. c. 6. p. 185.* Pessina scribit eum *dignitate rectoris palatii honoratum fuisse.* Scio Comites palatii fuisse, rectores nusquam legi apud Germanos, bene vero Imperatores Constantinopolitanos. Insulsa est Aventini legationis hujus explicatio, dum scribit: *Berthramus persuasit Ludovico Regi nostro, ut Suatebogo* (Suatopluco) *supplici gratiam faceret, peccata fatenti veniam præteritorum donaret, in fidem ac clientelam acciperet.* *Aventinus l. 4. p. 262.* A victis ejusmodi legationes mitti solent, non victoribus; certe Suatoplucus superiore & præsente anno victoriis turgidus inconcinne fingitur se se ad tantam abjectionem demisisse. Sigismundus Calles scribit: Zuentibaldum ob superioris anni victoriam prudenter usum hac legatione ad conciliandam cum Ludovico Rege pacem. *Calles Annal. Austr. l. 3. ad h. a.* Quam in sententiam abit etiam Pessina noster & Stredovskius, quorum posterior addit: hac pacificatione redditam Suatopluco sponsam, quæ superiore anno a Francis intercepta erat. Sed ubinam legitur illa fuisse intercepta? equos & sellas & frœna rapta commemorant Annales, sponsam nuspiam. Ego quanquam disputare nolim a Zuentibaldo pacem Ludovico oblatam, at conditiones insolentes, asperas, minus Francis favorabiles propositas fuisse, multa produnt. Cur enim Annales Fuldenses, si legatio glorioſa vel saltem æqua fuit, eam non expresserunt? Cur Berthrammus juramento obstrictus a Zuentibaldo, ut verba legationis perferret? quæ si de pace simpliciter fuit, profecto juramento nullo opus erat, & Zuentibaldus ex suis quemcunque cum hoc nuncio libere eo mittere potuit. Sed procul dubio prospexit sagaciter

Zuen-

Zuentibaldus male habendum a Ludovico legatum ſuum, ſi tam importunum perferret nuncium, quare Alemannum vi & juramento adegit ad hanc legationem explendam. Nec alia videtur cauſa fuiſſe, quod hoc anno Ludovicus legatos Boemos in carcerem miſerit, quam ut vindictam, quam in legationem Zuentibaldi exerere non poterat, in iſtis expleret. Scribunt enim Annales Bertiniani: *Legatos ab illis, qui Behim* (Boemi) *dicuntur cum dolo miſſos ſuſcipiens* (Ludovicus) *in carcerem miſit.* Si vero captivitas legatorum Bohemiæ legationem Berthrammi præceſſit, in propatulo cauſa eſt, cur inſolentem legationem per exterum juramento obſtrictum miſerit Zuentibaldus. *Ad h. a.*

II. Hæc legatorum Bohemiæ captivitas irritamento fuit Bohemis, Moravis, aliisque Slavicis populis, ut eodem anno transnatato Danubio ſe in Marchiam orientalem infuderint, tantumque Carolomannum preſſerint, ut is de ſalute pene deſperaret. Rem narrant Annales Bertiniani: *Hludovicus Rex Germaniæ apud Metis civitatem placitum ſuum tenere diſponens, nuncium accepit, quod niſi citiſſime filio ſuo Carolomanno in Marchia contra Winidos ſubveniret, illum ulterius non videret. - - - Ad Renisburg autem perveniens per miſſos ſuos, Winidos ſub diverſis Principibus conſtitutos, modo, quo potuit, ſibi reconciliavit.* Recte Hanius res Carolomanni hoc anno ad incitas perveniſſe ſentit, & patrem Ludovicum coactum præcipiti fuga Ratisbona abire, ac demum quoquomodo pacem a Slavis redimere. De abitu ex Bajoaria & Ratisbona mentionem facit Aimonius, at periculum ſubticuit tam is, quam Annales Francofuldenſes. Ex his vero conjicere licet procul dubio Bohemos Moravosque præſente anno ſe ſe omni jugo Francico & tributi penſione expediviſſe, vix enim credibile, viſo hoſte tantum preſſo, medios inter victorias, duras adhuc has pacis conditiones amplexos. Quare cum rem ipſam Francis dedecoroſam exprimere nollet author Annalium Bertinianorum, inquit: Ludovicum *modo, quo potuit*, ſibi Principes Winidorum conciliaſſe. At Peſſina rurſum, & ex eo Stredovskius hiſtoriam hanc miſere torquet, atque arbitratu ſuo amplificat. Primum narrat is Carolomannum tranſuadato Danubio irrupiſſe in Moraviam, ibidemque cruentiſſimum geſtum eſſe prælium. Tum in auxilium accurrentibus Mſtibogio Curimenſi Duce ac Polonis (quod nomen eo ſæculo adhuc incognitum) Suatoplucum transmiſiſſe Polonorum copias per Danubium, at medio in fortunæ curſu impeditum ab Hungaris (cum tamen Hungari 16. annis poſterius primum intraverint in Pannoniam) qui jam ad *Ad h. a.* *Hanius Reichs Hiſtorie c. 7. in notis p. 230.* *Aimon. l. 5. c. 27. p. 485.* *Peſſina l. 2. c. 6. p. 178.*

Waag flumen usque penetraverant, cum iis consertum fuisse prælium. Denique nescio, quas velitationes, duplicemque imo triplicem præterea pugnam cum Carolomanni copiis fusissimo calamo exaggerat, tanta quidem rerum amplitudine, locorum, personarum, circumstantiarumque præfinitione, ut si ipse præsens fuisset, haud accuratius scribere potuisset; eoque argumento integras octo implet paginas.

III. Hoc anno mortuum esse Tacholfum (in Traditionibus Fuldensibus *Comitem de Bohemia* appellatum, & quem jam Parte II. ad annum 849. gente Bohemum fuisse docuimus) prodit Nicrologium Fuldense ita scribens: *DCCCLXXIII. Thacholf Comes Kal. Augusti.* Et Annales Francofuldenses ad hunc annum: *Trasbulfus Comes & Dux Sorabici limitis mense Augusto defunctus est.* Traditiones Fuldenses præterquam nobis indigitassent eum fuisse de Bohemia, etiam produnt locum, quo ditiones ac proprietates suas habuit, sic enim loquuntur: Thacolfus Comes de Bohemia tradidit Fuldensi cœnobio *regionem suam, quandam videlicet provinciolam* (provinciolam) *sitam juxta Boemtam Surowe nuncupatam, quæ sua proprietatis, & juris erat cum omnibus villulis & competentibus suis.* Pereruditus antiquitatum explorator apud Kreysigium, qui solum initialibus literis M. R. nomen suum indigitavit, multis conatur ostendere pagum hunc *Surowe* situm fuisse in hodierna inferiore Lusatia, atque circa hodiernam urbem Soraviam. Captum me prope facerent ejus pervetusta documenta, vix enim negare licet *Zurow* pagum his locis olim situm fuisse, quo loco etiam Abbas Gotvicensis *Zarum* seu *Zoram* refert. Verum plura obstant, ut persuaderi mihi patiar Traditiones Fuldenses per suum *Surowe* pagum hunc in inferiore Lusatia intellexisse. Cum enim diploma istud datum sit a Francorum Rege, incredibile est Religiosos Fuldenses jam hic possessiones habuisse inter gentem tum adhuc omni ex parte Ethnicam. Vidimus superioribus annis ob Ducum ad sacra Christiana transitum toties ingentes motus excitatos, quis credat populos hos admissuros fuisse, ut Religiosi jam plane his locis seu per se seu per procuratores integram provinciam tenerent, ac ex ea reditus acciperent? an ii terrarum tractus pertinuere tum ad Francorum Reges, ut de iis disponere, donationesque diplomatibus roborare possent? certe sejunctissimi erant a Thuringia, quousque nonnisi Francorum dominationem se eo ævo exporrexisse ex ipsis Francicis scriptoribus testatum est. Autumo itaque provinciolam hanc *Surowe* ad occidentalem Bohemiæ plagam quærendam esse in con-

Necrol. Fuld. apud Leibnit. T. II. p. 762.

Apud Schaegen. & Kraisig. T. I. p. 8.

Beyträge zur Sächsischen Historie P. IV. N. XI.

ad an: 873.

ad pag 145.

UNIV. OF CH.



confiniis Franciæ orientalis, quibus locis constat etiam sparsim habitasse Sorabos, a quibus provinciola ista nomen indipisci potuit, nec enim infrequentia isthic locorum sunt nomina, quæ appellationem suam ab illis mutuarunt, ut in ipsa hodierna Vogtlandia *Sorau*, *Sorbenburg* ad Salam & Salafeldam, *Zurba* pagus ad Naumburgam &c. Quod vero ad hanc plagam Thaculfi proprietates fuerint, docet nos eruditissimus Abbas Gottvicensis ex alia ejusdem traditione Monachis Fuldensibus facta; ubi de pago *Sorabi* seu *Sarove* ita commentatur: *Inter Sorabos alias sequentes pagi speciales recensentur: Nisseni, Bresenici, Dalemincii &c. quemadmodum etiam pagi Slavici in Thuringia vel Suttburingia & Northburingia ad sinistram Saalæ extensi Languizi, Ilsnin, Sueven &c. a Sorabis erecti, & cum Saxonibus mixtim inhabitati, qui etiam idcirco Provincia SAROWE nuncupantur in diplomate Henrici II. Imp. de anno* 1012. *apud D. Schannat Corp. Tradit. Fuld. n.* 593. *p.* 243. *ibi* „ *Una cum provincia SAROVE dicta, & quadam villa sita in Thuringia* „ *Holzhus nuncupata, quæ eis quidam Comes de Boemia nomine Thacolf in* „ *testamento contulit.* „ *Qui ipsissimus Comes Thacolfus in Annalibus Fuldens. ad an.* 849. *&* 873. *Dux Sorabici limitis appellatur.* Quod vero ad hodiernam Bambergam proprietas Thacolfi sita fuerit, alio loco idem in rebus veteris Geographiæ versatissimus ostendit: *Pertinet* (inquit) *etium huc* (nempe ad pagum Rangowe) *villa Kunigeshoven in montanis versus Boemiam, de qua & Schebeslize traditionem fecit Tachalfus Comes in Traditionibus Fuldensibus, quem locum nos existimamus non differre a Kunigeshoven in Radenzgow in Comitatu Gerungi Comitis, de quo mentio fit in diplomate Henrici II. Imp. anno* 1017. *Ecclesiæ Wurceburgensi concesso apud Iris l. c. p.* 461. *Per eum autem intelligi credimus hodiernum vicum inter Schesliz & Holfeld, Kœnigsfeld dictum nomine adjectitio paulisper mutato, hic enim vicus actu reperitur in montanis versus Bohemiam per varia juga Nordgoviæ extensis.* In hac autem locorum vicinia sedisse jam ab anno 834. Slavos Christianos docet nos vita B. Rabani Episcopi Moguntini edita a Mabillonio, ut nihil prorsus obstet provinciolam hanc a Thaculfo traditam fuisse Fuldensi Ecclesiæ. Porro ante erectum Babenbergæ Episcopatum fere totam illam regionem occupatam fuisse a Slavis jam ostendimus Parte II. ex epistola Arnoldi Episcopi Halberstadensis. Ex qua regionum descriptione simul colligere licet, quousque eo sæculo limites Boemiæ excurrerint.

Paul. Jov. in Chr. Schwarzburg. Kregsig. f. II. N. 3. p. 21. *Chronic. Gottvic. vocab. Sorabi. Ibid. l. 4. p.* 778.

Ibidem p. 737.

Acta SS. Benedict. sæc. IV. P. 2. Annal. Hagec. P. II. p. 344.

IV. Omnes pene Francorum Annales hoc anno fusissime describunt lamentabilem agrorum populationem, quam undique locustæ maximo

mo numero, & magnitudine nusquam antehac visa inferebant, quam cum scribant ab oriente venisse, procul dubio etiam Moraviam Boemiamque hac calamitate inundabant. Rhegino scribit ex earum putredine sequenti anno corruptum fuisse aerem, luemque enatam.

ANNUS 874.

Mstibog. Pragenses agros populatur.

Ceteros inter conjuratos, quibuscum in caput Hostiviti conspiravit Mstibogius (a) princeps erat Krosmielus Wrssovecius, vetus atque hereditarius Libussianæ stirpis hostis. Ex hujus hominis consilio (cui his fratrum collisionibus nihil accidere potuit neque jucundius, neque in rem præsentius) Mstibogius Wltavam inter & Sazavam prædatricem arcem Mstibinium (b) altis rupibus imposuit, atque inde ad divexandos qua ferro, qua flamma Pragenses agros omne studium accommodavit. At celeri & tumultuario non magis operi, quam consilio diffisus, castrumque annona laborare persentiscens, adventare minitanti cum exercitu Hostivito feciales obviam misit de pace tractaturos.

Hostivito nascitur Borzivogius.

Vix male fidum hoc fœdus coaluit, cum Miloslava felici partu parentem fecit Hostivitum prolis masculæ, quam festivissimis repotiis triduo productis Borzivogium appellavit. (c)

Fodinæ argenti in monte Trzebussna.

Cum novo Principe nova genti felicitas obtigit: Trzebussnenses fodinæ argento fœcundæ. Primus, qui eas fortunas indicio extuberantis argenteæ frondis detexit, fuit Przibik (d) de pago Dussnik, is cum omnibus clientelis suis eo terræ viscera rimatus magno paulo post argenti de-

fœ-

fœcati pondere novum Principem donavit, ab eoque porro foſſionis libere faciendæ poteſtatem impetravit. Fuit ea Hoſtiviti facilitas Przibiko calcar, ut præter moram ea appararet omnia, quæ & diligens labor, & locorum amplitudo deſideraret; nec enim Trzebuſſnenſibus latifundiis contentus, ad repurgandas quoque a nupera clade (quam Horimirus Neumietlenſis imperante Krzezomyslo attulit) Przibramenſes, montisque Betularum cavernas (e) animum adjecit. Sed invidit induſtriis conatibus importuna mors, hominemque hoc ipſo anno e medio rapuit. Ab ejus morte non ſemel poſteri hoc conſilium ſuſcepere, ſed nonnunquam fames, nonnunquam lues reſtauratores ipſo in opere intercepit. (f)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXIV.

JOANNIS VIII. PAPÆ 2. LUDOVICI IMP. 20.

HOSTIVITI 2.

(e) Quæ de Mſtibogio ſeu Diepoldo hic & poſterius narrantur, eorum pleraque primus omnium protulit Dalemilus, quæ tamen poſteriores mirum quantum amplificarunt, corruperunt, aliterque narrarunt. Dalemilus enim, & ex eo Hofmannus, ut ſupra memoravimus, Mſtibogio tribuunt Sliczenſem ſeu Zatecenſem provinciam. Alium vero ex familia Wlaſtislai ſuperfuiſſe memorant cognomento *Lew*, ſeu *Leh*, qui ſublato Wlaſtislao & filio hunc Ducatum ambierit; quæ cum Hagecius, quod mirum eſt, prætermiſerit, nec originem nominati illius poſterioribus ſæculis caſtri Klapay ex iis retulerit, Dalemili verſus a noſtro P. Remigio latine redditos exſcribere juvat: *Dalemil. c. 22.* *Hofman. apud Pez. c. 15.* *Dalemil. c. 22.*

Per ea tempora res auditu fœda acciderat:
Lewa quidam ex Wlaſtislai progenie
Cives ad ſe ſe pellicere cœpit,
Quod Lucenſem Principatum ſui juris facere percuperet.
Arce in monte quodam excitata
Magnam Pragenſibus intulit calamitatem.
Princeps Hoſtivitus exercitu arcem cingit,
Ut fame ad deditionem adigat.
Lewa illi occurrit,
Et cum Pragenſibus manus conſerit.
Lucenſes ubi res ſuas afflictas vident,
Pragenſibus elapſi in arcem properant.
Quod ubi Matronæ prudentes obſervant,
Ita excipiunt maritos:
Sublatis togis fœde nudatæ
Maritis illudunt,
Huc, inquiunt, huc ſubite,
Hic delitescetis ſecuri a Pragenſibus.
Illi præ dedecore in pugnam recurrunt,
Et Pragenſes ad internecionem delent.
O vafræ fœminæ! nequam beſtiæ!
Unde conſilium iſtud accepiſtis?
Evaſiſtis profecto ignominiam,
Ac maritis vitam conſervaſtis,
Forte aliquando audiviſtis
Idem Matronas Medas Cyro feciſſe.
Ab ea mulierum impudica denudatione
Klep (hodie Klapay) *ſimile nomen arci impoſitum,*
Ea in arce reſidebant,
Priusquam pœnas dediſſent,
Quorum Wlatislavia arbitrio pareat,
Et quos armorum elegantia diſtinguit:
In auro quippe duas aquilas violaceas ferunt,
Quæ e poſteris Wlaſtislai Principis cenſentur.

Hæc tamen omnia etiam Pulkawa, Marignola, & Æneas Silvius prætermiſerunt.

(b)

(b) Mſtibin caſtri nuſpiam nec in veteribus nec in recentioribus, præter eos, qui Hagecium exſcripſerunt, memoria. Sed quid mirum? quandoquidem ea, quæ Lewæ Dalemilus attribuit, is ad Mſtibogium detorſit, veroſimillime quod jam ad annum 754. caſtri Klapay originem præoccupaverit longe aliis narratis illius initiis. Supra memoratum autem Dalemili *Klep* paſſim *Klopay* & *Klapay* poſtea enunciari ſolitum eſſe caſtrum Haſenburg author eſt Hofmannus interpres Dalemili ita ſcribens: Und durch ſolches Klopfen wegen ward das Schloß Klah (Klep) genannt, das nun jezt genannt iſt Haſenburg. Non aſſecutus autem eſt Hofmannus veteris linguæ Czechicæ intellectionem, nam Klep deſumſit ab hodierno Klepam pulſo Klopfen, cum priſco ſermone verenda mulliebria ſignificaverit. Quare editor Dalemili in explicatione obſcuriorum vocum poſterius adjecta inquit: Poklepati, id eſt: pokryti ſe, Hanbu vkazati: quod eſt latine: inverecunde ſe detegere.

Parte II. Annal. Hagec. p. 277.

Apud Hier. Pez. T. II. p. 1059.

(c) P. Victorinus noſter ad hunc locum: „ Ab re Borzivogius appellatus, id ſi latinum facias *diſturbatorem belli* ſcilicet fraterni dices. Ignari quam meliore omine conciliaturus olim eſſet pacem Deum inter atque homines idololatras primus Bohemiæ Principum inductis in ſuam gentem ſanctiſſimis veri Dei ritibus atque inſtitutis palam Chriſto nomen dando. „ Hactenus P. Victorinus.

P. Victorinus in Mſ.

(d) Przibik latine redditum nomen S. Adaucti ſignificat, quod baptiſmale ſeu prænomen Illuſtriſſimæ Klenoviæ genti ſæculo cumprimis XV. & XVI. fuit uſitatiſſimum. Quod cum patronymicum gentisque crederet Paprocius, perperam Przibikum hunc inter majores originariosque ſtirpis Klenoviæ fecit, a quo miro prorſus ſaltu, cum neminem ejus nominis reperiret in hiſtoriis, tranſiit ad Przibikonem de Klenow, qui poſt ſæcula 6. vixit, ac altare S. Joannis Tineczii anno 1409. erexit, ut in libris Erectionum legitur. Sed Klenovio iſto jam ſæculo uno priores viſuri ſumus, cum ad hæc tempora pertigerimus.

Paproc. in Ord. Equeſt. c. 5.

(e) Balbinus hæc in hiſtoria ſua S. Montis fuſe proſequens adjicit: *Vidi ipſe nuper, notavique locum, unde virgam argenteam exſtitiſſe narrabant.* Scilicet conjectura aliqua & traditione haud veteri ex Hagecio enata.

Balbin. Hiſt. S. Mont. c. 3. §. 3. p. 93.

(f) Balbinus ſub Carolo IV. reſuſcitatas argenti fodinas, easque tum maxime floruiſſe autumat. Nam acta vetuſta bellis Huſſiticis amiſ-

Idem p. 94.

ſa, nec in Curia Przibramenſi vetuſtiora anno 1553. reperiri ait, a quo etiam anno memorias harum fodinarum, reditusque perſequitur. In Bartoſſio a nobis T. I. Monumentorum ineditorum vulgato plures eſt legere Przibramenſes memorias ſæculo XV. ſub turbis Huſſiticis.

PRÆTERMISSA.

Ad h. a. I. Geſta veriora hujus anni ex ſæpe relatis Annalibus Francofuldenſibus excerpamus: *Sorabi & Stusli eorumque vicini Thaculfo defuncto defecerunt. Quorum audaciam Luitbertus Archi-Epiſcopus* (Moguntinus) *& Ratolfus Thaculfi ſucceſſor ultra Salam fluvium menſe Januario profecti prædis & incendiis ſine bello compreſſerunt, & eos ſub priſtinum ſervitium redegerunt.* Hermannus Contractus vero: *Sorabi & Suiſſi defectionem molientes a Luitperto Archiepiſcopo facile comprimuntur.* Dubitat ad ſuperiorem annum laudatus Anonymus literis initialibus M. R. apud Schœtgenium indigitatus, num Thaculfus iſte idem ſit cum Comite de Boemia Fuldenſis Cœnobii Benefactore & in Traditionibus Fuldenſibus memorato? Scrupulum Viro docto moverat longinquitas temporis, nam Caroli M. ſupra memoratum diploma eſſe cogitanti mors Thaculfi, quæ ſuperiore anno 873. contigit, nimium quantum a Caroli M. imperio ſejuncta videbatur. At vero in diplomate illo Schœtgeniano nuſpiam veſtigium eſt Caroli M. ut ſeu Caroli Calvi ſeu alterius Caroli filiorum Ludovici Germaniæ Regis eſſe poſſit. Quin ſi Thaculfo ætatem octoginta annorum, quod nihil inſolitum eſt, concedimus, nihil repugnat, ut diploma hoc a Carolo M. datum fuiſſe admittamus. Titulus certe *Comes*, quem ei diploma dat, quique genti noſtræ tum ignotus erat, perſuadet eum haud alium fuiſſe a Comite & Duce Sorabici limitis, qui quare jam *Dux* jam *Comes* ab Annalibus vocetur, enodavimus Parte II. p. 575. ubi ſimul oſtendimus falli eos, qui ex uno duos fecere. Hic vero Annalium Fuldenſium locus novo argumento eſt Thaculfum anno ſuperiore mortuum haud alium eſſe ab eo, qui anno 849. legatos Boemiæ excepit, cumque illis de pace invidentibus ceteris belliducibus Francicis tranſegit. Nam cum ille natione Slavus eſſet *ſciens leges & conſuetudines gentis Slavicæ*, quid mirum Sorabos fiducia erga hominem popularem gentilemque cœpta tranquille egiſſe, eo vero mortuo protinus ad arma volaſſe? Cur vero Boemi Moravique non ſubito laborantibus Sorabis in auxilium ſuccurrerint, in cauſa videtur fuiſſe inopina Francorum ipſa media hieme ſuſcepta irruptio, quæ quidem, ut ex ipſis Annalibus

Apud Caniſium ad h. a.

Annales Fuld. ad An. 849.

Ful-

Fuldenſibus liquet, magis ſpeciem deprædationis, quam juſti belli habuit. Num vero Sorabi ad priſtinum ſervitium hac violenta incurſione redacti fuerint, fides penes Authorem horum Annalium ſit, qui in recenſione geſtorum horum annorum juſto amplius velificatur gloriæ Ludovici Regis Germaniæ, ut ex ſupra allatis Annalibus Bertinianis propalam eſt. Sed ad memorias Zuentibaldi tranſeamus.

II. *Indeque* (Verona proſequitur Annaliſta Fuldenſis) *Rediens* (Ludovicus Rex Germaniæ) *cum Karlmanno & Hludovico filiis ſuis in villa Forahelm locutus eſt. Ibique legatos Zuentibaldi pacem petentes, & fidelitatem promittentes ſuſcepit. Cujus legationis princeps erat Johannes presbyter de Venetiis, qui etiam, ut ei Rex omni ambiguitate remota crederet, quidquid verbis dicebat, ſacramento firmabat, videlicet ut Zuentibald Regi fidelis permaneret cunctis diebus vitæ ſuæ, & cenſum a Rege conſtitutum per annos ſingulos ſolveret, ſi ei tantummodo quiete & pacifice a Rege vivere concederetur. Behemorum quoque nuntia Rex audivit & abſolvit, & poſt hæc in Bajoariam ſe recepit.* Ad h. a. Et compendio Hermannus Contractus: *Idem* (Ludovicus) *cum Zuentibaldo Duce Marahenſium ſubjectionem per legatos promittente, & fidem cenſumque annuum pollicente pacem fecit, Bohemanosque idem facientes ſuſcepit.* Ea gentis noſtræ infelicitas, quod nonniſi ab hoſtibus hiſtoriam ſuam diſcere poſſit, quam vero cuique genti intimis medullis ſedeat philautiæ ſtudium, quis ignorat? quis autem ſibi perſuadeat, ſi vera ſunt, quæ author Annalium Bertinianorum ad priorem annum narravit, Francicas copias, belligerante trans Danubium Zuentibaldo, ad incitas pene fuiſſe redactas, ſi Ludovicus, quoquomodo ſibi Slavorum Principes conciliavit, eum hoc anno ſine novo bello, imo ſine minis belli inferendi ſupplicem per legatos pacem petiiſſe, atque cenſus annui præſtationem ultro obtuliſſe. Sed jam anno ſuperiore Annaliſta Fuldenſis minus partes germani hiſtorici explevit, dum calamitatem eam Carolomanni a Bertiniano proditam, ipſiusque Ludovici anguſtias & fugam ſubticuit. Ex temporum igitur rerumque a Bertiniano Annaliſta narratarum circumſtantiis haud aliud concludendum eſt: quam pacem eam, quæ ſuperiore anno quoquomodo a Ludovico inita fuit, præſente anno per legatos Zuentibaldi etiam juramento fuiſſe firmatam, idque pactum: ut Zuentibaldus Ludovici, filiorumque amicus & ſocius eſſet contra quosvis eorum hoſtes. Tributum autem ei oblatum noviterque adjudicatum fuiſſe, nullus mihi perſuadeo, quandoquidem Ditmarus luculenter innuit vel ab ipſis Sorabis Suatopluco *quotannis ſolu-* Ditmarus l. 6.

apud Leibnit. p. 399. Hundius T. I. p. 30. tum fuisse censum, & querela Episcoporum Bajoariæ non obscure innuit, ab eo tempore, quo Zwentibaldus se se de captivitatis ignominia sibi illata vindicavit, Moravos nec obedientiam, nec censum Francis præstitisse. Intererat autem tum maxime Ludovici Germaniæ Regis amicos habere vicinos Slavos, quod consilia ejus vergerent ad obtinendam Imperatoriam dignitatem, quam ægre Ludovico Imp. se consecuturum

Annal. Fuld. ad h. a. sperabat. Nec enim aliam ob causam susceptum ab eo iter hoc anno in Italiam, colloquiumque cum Joanne Papa habitum. Septentrionalem itaque plagam a motibus securam reddere convenerat, ut vim exercitus in Italiam, atque contra æmulos præsertim Carolum fratrem adhibere posset. Non igitur, ut Goldastus injurie loquitur, eo anno

Goldast. l. 2. c. 2. §. 24. *Ludovicus Rex Bohemos supplices ac deditios, & tributa afferentes in gratiam recepit,*

Annal. Fuld. ad h. a. hoc enim nec Annales Fuldenses ab eo perperam citati loquuntur, sed *Boemorum nuncia Rex audivit & absolvit.* Quod ad Joannem presbyterum Venetum attinet, is ipsus est, quem postea Zuentibaldus ad Joan-

Joan. VIII. epist. 184. nem Papam misit, & cujus in ejusdem Joannis epistola mentio. Neque vero alium ab eo esse suspicor, quem Joannes Papa ad Branimirum Croatorum Ducem, Bogoremque Bulgarorum Regem misit. Ex-

Stredovsky l. 3. c. 7. plodendus vero Stredovskius, qui eundem Joannem Decanum facit Cathedralis Ecclesiæ Welehradensis, & S. Methudio dignum fuisse visum ait, qui Pragensi condecoraretur insula.

III. Hoc anno pestilentia absumtos reor Willihalmum, & Engelscalchum, qui a Ludovico Germaniæ Rege in Bajoaria constituti erant Transdanubiani limitanei Comites contra Moravos. Quorum

Ad An. 884. mortem posterius extra Chronologiæ ordinem his verbis referunt Annales Francofuldenses: *Quum duo fratres Willihalmus, & Engilscalchus terminum Regni Bajoariorum in oriente a Rege (id est seniore Hludovico) concessum contra Marsvanos tenuerunt, multaque pro patria tuenda conflictando sudasse feruntur. Tandem diem ultimum hujus aeris in eadem voluntate finivere permanentes.* Hi duo limitanei Comites, qui procurationem Provinciæ Bajoaricæ Danubium inter & Rhegini fontes atque ostia habuerant, gravissimi erant hostes Zuentibaldi, & verosimillime causa captivitatis illius, quæ anno 871. accidit, quorum injurias ille postea acerrime in filiis ultus est annis 882. 883. & 884. ut iis locis videbitur. Nam odium illud filiorum cumprimis irritamento fuisse Zuentibaldo his annis, ut tanta sævitie in Pannoniam & Bajoariam stomachum evomeret, fatetur

Ibid. idem auctor Annalium Fuldensium, dum ita loquitur: *Zuentibaldus Dux*

Ma-

Marcomorum plenum doli & astutiæ cerebrum, non immemor utriusque, quanta ab anteceſſoribus (videlicet Willihalmo & Engilſcalcho) *iſtorum puerorum cum gente ſua, usque dum ad illos terminum Bajovariorum prætenderunt, paſſus ſit mala &c.* Protenderunt illi nempe terminos Comitatus ſui in Transdanubiana ripa (illa Suatopluci infelicitate) usque ad Camb fluvium, nam loca, quæ inter hunc fluvium jacent recenſentur inter proprietates iſtorum Comitum in diplomate Arnulphi Cremifan. dato ad an. 893. apud Rettenbacher his verbis: *Quidquid Wilhelmus & Engilſchalcus germanii fratres, Comites videlicet quondam ſtrenui terminales tam ad Eporeſpurch* (hodie Ebersburg) *ad Cambe, ſive ad Perſiniacham* (hodie Perſenboy) *quumque in aliis Wajoariæ ſcilicet atque Sclaviniæ locis vel terminis habuerunt &c.* Hos igitur Zuentibaldi ſummos hoſtes anno hoc peſte interiiſſe autumo, de qua Annaliſta Fuldenſis his verbis: *Hoc anno fame & peſtilentia per univerſam Galliam & Germaniam graſſantibus pene tertia pars humani generis conſumta eſt.* Nam annis duobus poſterius Arbonem, excluſis utriusque filiis jam his Comitatibus præfuiſſe, imo expulſum ex poſtea recenſendis certum eſt. Et clare id Annaliſta Fuldenſis innuit, cum prius ſolius Ludovici ſenioris mentionem feciſſet, poſtea ſubjungit: *Cum vero non eſſet honor illorum filiis redditus, Arbo in comitatum domno Rege* (nempe Hludovico ſeniore) *concedente ſucceſſit.* Non neſcio quidem doctiſſimum Sigismundum Calles cum aliis indigitaſſe mortem duorum horum limitaneorum Comitum ad annum 871. pertinere, verba illius ſunt: *Sunt, qui anno jam abhinc duodecimo, communi cum cæteru turba clade, quam Zuentibaldus per ſummam perfidiam Carolomanni copiis ad antiquam urbem Raſticis* (nempe anno 871.) *attulerat, involutos* (Willihalmum & Engilſchalcum) *exiſtiment.* Verum unum obſtat, quo minus utriusque mortem ad annum 871. transmittere tuto liceat. Nam cum Annales Francofuldenſes dicant: *Tandem diem ultimum hujus æeris in eadem voluntate finivere permanentes.* Verba hæc procul dubio non innuunt mortem aliquam violentam per cladem obvenire ſolitam, ſed naturalem. Et cum mors utriusque conjungatur haud aptius quam ad peſtem hanc, qua tertia pars humani generis abſumta dicitur, erit referenda.

Ad An. 874.

Ad An. 884.

) o (

AN-

ANNUS 875.

Initam nuper metu pacem, facile ſublatis timendi cauſis, rupit Mſtibogius. Pungebat dudum adoleſcentis oculos urbs ſuper Kaſſinio monte egregie natura ingenioque munita, & ubi ſedem belli figeret, maxime idonea. Eam per hoſce dies inſtigante Wrſſovecio ex improviſo adortus ſumma vi expugnabat, certus aut imparatum ab annona locum capere, aut properantem cum tumultuaria manu ad ſolvendam tam opportunæ urbis obſidionem Hoſtivitum opprimere. Et vero Hoſtivitus ad primum obſeſſi Kaſſinii (a) nuncium cum lectiſſimo octingentorum virorum agmine citatis itineribus eo ferebatur, jamque primi anteſignani imminentibus Kaſſinio ſilvis ſe ſe explicabant, cum Mſtibogius ad eorum conſpectum interſciſſis operibus inſtructa acie venientibus occurrit: pugnatum eſt aliquamdiu ad pagum Piſtnicium (b) majoribus odiis quam viribus, ad ultimum Mſtibogius cadentibus circa ſe fortiſſimis, cruentam faucio ex brachio fratri Hoſtivito arenam reliquit, trepidusque atque inglorius Mſtibinium ſe ſe recepit. (c)

Prælium Mſtibogium inter & Hoſtivitum ad Piſtnicium pagum.

Mſtibogius vincitur.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXV.

JOANNIS VIII. PAPÆ 4. CAROLI II. IMP. 1. HOSTIVITI 3.

(a) Caſtrum hic a Kaſſa excitatum fuiſſe jam ad annum 711. meminimus, quo loco ſitum illius explicavimus. Poſterius hic quoque caſtrum ſtetit, de urbe nihil compertum.

(b)

(*b*) Vicus hic hodie ſupereſt in regione Kurimenſi uno & quidamplius lapide Pragâ, nec longe Kunradizio remotus.

(*c*) Eadem fere narrat Dubravius, ſi vulnus ex brachio Hoſtiviti excipias.

PRÆTERMISSA.

I. Pace inter Boemos, Moravos, Sorabosque cum Francis compoſita anno ſuperiore, obticuere penitus Annales Francici de geſtis Slavorum, nec quod ad hiſtoriam noſtram aliqua ratione pertineat, præter mortem Ludovici II. Imp. reperio, qua comperta celeriter Carolus, cui a calvitie nomen eſt, Rex Franciæ, fraterque Ludovici Germaniæ Regis tranſivit ad Italiam, jamque promiſſionem certam habens ab Joanne Papa neminem præter ſe a Ludovici morte Imperatorem agnoſcendum, Romæ coronatus eſt. Quod Ludovicum Germaniæ Regem tam male habuit, ut præter moram duplici exercitu Carolum fratrem aggrederetur; alium quidem miſit in Italiam cum Carolomanno filio, alterum ipſe in Franciam duxit, in hoc priore exercitu memorat Goldaſtus ex Aventino adfuiſſe auxilia e Boemis & Moravis. Ita vero ille: *Anno* 875. *in decretis Comitiorum Francofurtenſium leguntur Bohemi ac Moravi Carolomanno Germanorum & Romanorum Regi ejusve fratribus in expeditione contra Carolum Calvum Galliæ Regem, & prætenſum Imperatorem ſubſidia auxiliaria debuiſſe & præſtitiſſe.* Hæc Francofurtenſia decreta ſi vidit Goldaſtus, nolim repugnare & debuiſſe & præſtitiſſe revera Bojemos Moravosque auxilia Ludovico ob conditiones pacis anno ſuperiore initas, quæ haud aliæ erant, quam ut utraque gens ſocia arma ſponderet contra hoſtes quoscunque Francorum. Aventinus autem, quem citat Goldaſtus, nihil habet de decretis Francofurtenſibus, verba illius ſunt: *Ludovicus bellum Cæſari indicit, undique copias contrahit certiſſima ſemper auxilia Teutonas, & Sclavorum robora Bojemos atque Moravos.*

Joannis epiſt. apud Baron.

Goldaſt. l. 2. c. 14. §. 4.

Aventin. l. 4. p. 264.

II. Stredovskius ad hunc annum narrat rei Chriſtianæ in Moravia mira incrementa, quod quidem conſecutive & bona interpretatione aſſeri poteſt, minime vero tanquam proditum a veterum nonnemine, & ad hunc annum recenſitum. Illud vero novum atque inauditum: Ludomiram Suatopluco hoc anno enixam filium Mogemirum, matremque infelicem ex partus doloribus in ipſa vernante juventa eo-

Stredovsky l. 3. c. 7. p. 301.

dem anno demortuam: denique in Welehradenſi Metropolitana Eccleſia ad ſummam aram tumulatam. Ego certe ante Stredovskium reperi niminem, qui vel nominis Ludomiræ meminiſſet, prætereo, ut tot tantasque de ea hiſtorias commemoraſſet. Minus certum etiam eſt: eum annum eſſe, quo Arnulphi filius natus, atque a Suatopluco e ſacro fonte levatus eſt. Poſterius id enim accidit.

III. Verius ad hæc tempora referendum eſt, quod Helmoldus ſub Ludovico II, (ſive is ei Imperator ſive Rex Germaniæ fuerit) acciditſſe memorat, quodque Bothonis Chronicon Brunſvicenſe Teutonicum Picturatum ad hunc ipſum annum rejicit. Id quemadmodum ad univerſam Slavorum hiſtoriam pertinet, ita peculiariter quoque gentem noſtram reſpicit. Verba Helmodi ſunt: *Tradit veterum antiqua relatio, quod temporibus Ludovici II. egreſſi fuerint de Corveja Monachi ſanctitate inſignes, qui Slavorum ſalutem ſitientes impenderunt ſe ipſos ad ſubeunda pericula & mortes pro legatione verbi Dei. Peragratisque multis Slavorum provinciis pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani ſive Rugiani, & habitant in corde (ore) maris. Ibi fomes eſt errorum, & ſedes idololatriæ. Prædicantes itaque verbum Dei cum omni fiducia omnem illam inſulam lucrati ſunt, ubi etiam oratorium fundaverunt in honorem domini ac Salvatoris noſtri JEſu Chriſti, & in commemorationem S. Viti, qui eſt Patronus Corvejæ. Poſtquam autem permittente Deo mutatis rebus Rani a fide defecerunt, ſtatim pulſis Sacerdotibus atque Chriſticolis religionem verterunt in ſuperſtitionem. Nam ſanctum Vitum, quem nos Martyrem ac ſervum Chriſti confitemur, ipſi pro Deo venerantur creaturam anteponentes Creatori. Nec eſt ulqua barbaries ſub cœlo, quæ Chriſticolas ac Sacerdotes magis exhorreat. Solo nomine S. Viti gloriantur, cui etiam templum ac ſimulacrum ampliſſimo cultu dedicaverunt, illi primatum Deitatis ſpecialiter attribuentes. De omnibus quoque provinciis Slavorum illic reſponſa petuntur, & ſacrificiorum exhibentur annuæ ſolutiones. Sed nec mercatoribus, qui forte ad illas ſedes appulerint, patet ulla facultas vendendi vel emendi, niſi prius de mercibus ſuis Deo ipſorum pretioſa quæque libaverint, & tunc demum mercimonia foro publicantur. Flaminem ſuum non minus quam Regem venerantur. Ab eo ergo tempore, quo primo fidei renunciaverunt, hæc ſuperſtitio apud Ranos perſeverat usque in hodiernum diem.* Hactenus Helmoldus: hic vero nominatiſſimus ille Slavorum Deus eſt *Swanto Vit*, de quo copioſiſſime rerum Slavicarum Scriptores, & quidem ex vetuſtioribus cumprimis Abbas Stadenſis & Saxo Grammaticus, ex recentioribus Abrahamus Frenzelius, qui poſterior omnium pene authorum narrationibus congeſtis

Helmold. l. 1. c. 6.

Abbas Stad. ad An. 800. Saxo Gramm. Hiſt. Dan. l. 14.

ori-

originem, etymologiam, figuram, cultum, everſionemque hujus idoli locupletiſſime perſecutus eſt. Ex noſtris primus eſt Dubravius, qui affirmat etiam apud gentem noſtram Swantoviti cultum exſtitiſſe, ſic enim ille: *Diu hæc ſuperſtitio & cultus ejusdem ſimulacri etiam inter Bojemos viguit.* Dubravium ſecutus eſt Stranskius, huncque turba poſteriorum noſtrorum. Stredovskius etiam ſimulacrum illius excuſum vulgavit, quod utinam quam eleganti ſcalpro exciſum eſt, tam ſit ex quopiam vetuſtatis monumento depromtum. Et quanquam nuſpiam in vetuſtioribus noſtris præter idolum *Zelu* a Neplahone prolatum aliud reperiam, non incredibile tamen ex poſterius referendis Swante Vitum etiam apud nos in aliquo cultu fuiſſe, præſertim cum Helmoldus dicat: *De omnibus provinciis Slavorum illic reſponſa petuntur, & ſacrificiorum exhibentur annuæ ſolutiones.* Rurſum: *Inter multiformia autem Slavorum numina præpollet Zuantevith Deus terræ Ruganorum - - - De omnibus Slavorum provinciis ſtatutas ſacrificiorum impenſas illo transmittebant.* Denique Saxo Grammaticus: *Hanc Suanteviti ſtatuam totius Sclaviæ penſionibus cultam finitimi quoque reges non abſque ſacrilegii reſpectu donis proſequebantur.* Illi nempe, qui ex mercatura apud Rugianos queſtum occipiebant, nec enim ſine delatione munerum ad eam exercendam admittebantur, ut ſupra docuit Helmoldus. Michael Frencelius conatur hanc de monachis Corbejenſibus hiſtoriam, & S. Viti in Suantevit immutationem fabulæ condemnare, ſed eum refutavit frater ejus Abrahamus Frencelius. Nobis de hoc Suantevito plures erunt memoriæ, ubi ad S. Wenceslai geſta pertigerimus.

Abr. Frenzel. de Diis Sorab. ſect. 2. c. 1.
Dubrav. l. 1. p. 5.
Stransky §. 6.
§. 2. Stredovsky l. 1. c. 6.
Helmold. l. 1. c. 52.
Hiſt. Dan. l. 14
Diſſert. hiſtor. de idolis Slav. apud Hofmann T. II. p. 63.

ANNUS 876.

Sic proſtratum Mſtibogium benignior præter ſpem fortuna reſpexit. Deceſſit per eos dies Leslaus Kurimenſis dynaſtes, (a) hujus mortem ad conſtituendam tranquillitatem publicam arripientes Lopotæ, Hoſtivito auctores exſtitere pacem cum fratre Mſtibogio concinnaret, atque cum liberis orbus fatis ceſſiſſet Leslaus, ejus provinciam fraternæ concordiæ colendæ cauſa Mſtibogio traderet. Pro-

Leslaus Kurimenſis Dux moritur.

nis consilium accepit auribus Hostivitus, datoque corporis præsidio etiam juramento, per Majestatem Jovis idolique Zelu firmato liberam ei se accedendi recedendique præstitit facultatem. Consecutus hanc securitatem Mstibogius præter moram præsto adfuit, senatus vero his conditionibus pacem inter tumultuantes fratres conciliavit: *Wissehradensi principatu sine ulla controversia Hostivitus potiatur. Satrapia Kurimensis Leslai morte caduca cum omni aurea argenteaque antecessoris supellectile Mstibogio cedat. Hostivito præmortuo non succedat filiorum aliquis sed Mstibogius in Pragensi Ducatu; at hunc vicissim Hostiviti filius natu major excipiat,* (b) *filii Mstibogii satrapia Kurimensi contenti sunto.* Ita sublatis ultro citroque fraternis simultatibus Lopotæ posteritatis memoriæ rem omnem diligenter transcribi jusserunt, exceptaque sunt a scriba (c) Rosano viro solertissimo illis quernis tabulis, quibus jura superiorum Principum Przemysli, Libussæ, aliorumque continebantur. Eum membranaceum codicem duro ligno vestitum studiose in quopiam Deorum sacrario contra omnes casus probe munito asservabat antiquitas, ad eum nemini præter summos magistratuum Principes accessus erat.

Lex successionis.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXVI.

JOANNIS VIII. PAPÆ 5. CAROLI II. IMP. 2.

HOSTIVITI 4.

(a) Goldastus Leslaum hunc autumat haud alium a Lechone esse Bel- *Goldast. l. 2.*
liduce, qui sub Carolo M. a Francicis scriptoribus refertur. *c. 2. in vetir.*
Sed si Chronologia Hagecii vera est, quomodo hæc cum Caroli M. temporibus conciliabuntur? non minus admirandus Goldastus homo Germanus, cum Hagecium in cognomentis Slavicis corrigit. Sic vero ille postquam sententias de Lechone recensuisset: *Porro Hagecius in Chronic. Bob. Part. I. anno 876. mentionem facit Leczkavi (male illic Leslaw scribitur) Ducis Kaurzimensis in Bohemia, qui eo anno mortem sine liberis obierit. Unde constat evidenter Lechonem nostrum non fuisse supremum omnium Bohemorum Principem, sed partis tantum Etnarcham ab universis in ducem belli tantummodo adversus Caroli M. potentiam assumtum.* Verum si admittamus Goldasto Leczkavum non Leslaum appellatum hunc Kurimensem Ducem, quo pacto Chronologia repugnante ex eo Lechonem exsculpat? quin quid oppositurus is nobis est, si omnem hanc Leslavi memoriam historiamque inter somnia & figmenta rejecerimus? Legitne is in tot a se ad consarcinandam Bohemiæ historiam evolutis libris unquam hunc Leczkavum in scriptore Hagecio vetustiore? Dubravio plane, qui eodem cum Hagecio scripsit tempore, ignotus *Dubrav. l. 3.*
erat, exacto enim Crasnitio e Kurimensi Principatu, Mstibogium sub- *p. 16.*
stitutum scribit. At & istud Dubravii assertum haud majoris fidei quam Hagecii reputandum est.

(b) Eadem fere refert Dubravius: quæ cum ex eo exscripsisset *Dubrav. ibid.*
Goldastus cum emphasi subjungit: *Hæc Dubravius ille Moraviæ Episcopus,* *Goldast. l. 6.*
& primarius Regni Bob. Princeps: cujus si vel sola authoritas absque aliis infi- *c. 3. §. 13.*
nitis documentis foret, movere nos debet, ut modestius civiliusque de regni Bohemiæ successione hereditaria æstimemus, ac judicemus. Sed miror tantum Juris-Consultum Goldastum, qui ex hoc Dubravii dicto Herculeum quodpiam argumentum eruere conatus, cum Cosmas noster aliique vetustiores de hoc altum silentes ei in manibus fuerint? cum non ignoraverit Dubravium relatis his sæculis facile septem posteriorem fuisse, atque non semel in Cosma legerit, quanta hoc ævo barbaries in gente nostra

fuerit, ut nec scribas nec historicos haberent? sed habuit præ his sublestis commentitiisque aliis successionis argumenta Augustissima domus Austriaca: inter quæ tandem validissimum erat Alexandrinus ille Invictissimi Imperatoris Ferdinandi II. ensis in Albo monte exertus, quo nodum illum Gordium de jure successionis (qui hactenus Juris-Consultos judiciaque fatigabat, atque non unam cladem Regno Bohemiæ adferebat) diffidit, ac penitus sustulit.

(c) Concinnius ad hunc annum Hagecius in sua vernacula historia vocem Žiak appellativum fecit, perque aliam Bohemicam vocem Písař id est scriba interpretatus est: nam ad annum 717. vocabulum hoc pro nomine proprio accepit, quo Libussæ scribam cognominatum fuisse memorat. Constat vero priscæ Czechicæ lingua *Ziakowe* appellatos homines literatos, quod ex Dalemilo liquet, cujus editor in syllabo vocum obsoletarum Žiakowstwo reddit: Literní umění. Poloni hodiedum Pszeszak appellant, & apud nos hoc nomine donantur Cantores hodie quoque, qui inter divina officia vernacula lingua varios hymnos temporibus festisque accommodatos concinere solent.

Cumpius in thesauro Polono latino T. II. voce Literator.

PRÆTERMISSA.

I. Ludovicus Rex Germaniæ, quo ante eum nemo bellis cum gente nostra Moravisque gestis clarior hoc anno *V. Calend. Septemb. in palatio Francofurt diem ultimum clausit. Cujus corpus transtulit aquisgrani ejus* (Ludovicus filius) *& in monasterio S. Nazarii, quod dicitur Laureshami, honorifice sepelivit.* Cujus morti ex Adamo Bremensi hæc verba apponit Goldastus: *Ludovicus pius Cæsar* (imo Rex tantum Germaniæ) *magnus obiit, ipse Boemanos, Sorabos, Sliusos, & ceteros Slavorum populos ita perdomuit, ut tributarios efficeret.* Et ex Kranzio: *Cum sæpe alias illa provincia* (Bohemia) *conflictaretur Romanis Imperatoribus, dedit manus Ludovico Germaniæ Regi Ludovici Imperatoris filio.* Non negamus id potentia sua effeciisse Ludovicum, quod postquam gens nostra, Moravi, aliique Slavici vicini populi exstincto Ludovico Pio Imperatore eidem tributum annuum, quod Imperator non esset, pendere detrectassent, propter perpetuos bellicos motus amicitiæ & pacis conservandæ causa idem illi tributum adjudicaverint. Nec negamus Rastize deturbato Ludovicum tantam exercuisse in Moraviam authoritatem, ut pro arbitrio suo res per Comites suos in ea disponeret. At tributi pensio sæpe fuit interrup-

Annal. Fuldens. ad h. a.

Goldast. l. 2. c. 2. §. 25.

rupta, & post partitionem Regni in tres filios penitus extincta, illa vero Moraviæ subjectio prope momentanea. Neque enim ipsi Bajoariæ Episcopi in epistola sua ad Joannem IX. subjectionem Moraviæ alio principio deducunt, quam ab eo Rastizen inter & Suatoplucum dissidio, cum illi posteriorem armis suis juvissent ad consequendum Ducatum, isque se illis subdidisset. Verba clarissima sunt, quanquam neutro horum Ducum nominato: *Quando*, inquiunt, *Christianitas illis cœpit vilescere* (hic ad adventum SS. Cyrilli & Methudii invidiose alludunt) *& in super debitum tributum senioribus nostris regibus & principibus eorum solvere respuerunt, belloque resistere, & gentem nostram cœperunt lacessere, ortus est seditio inter illos* (nempe aliis Rastizio, aliis Suatopluco adhærentibus) *& quoniam nostri armis sibi eos defenderunt, & in servitium redigerunt. Idcirco jure proprio tributarios habere debuerunt, & debent, & sive velint, sive nolint regno nostro subjecti erunt.* E quibus oppido liquet usque ad annum 900. quo hæc epistola scripta est Moravos nonnisi semel sub Suatopluco unius anni cursu fuisse subjectos, postea vero perpetuo suam immunitatem armis contra Francos fuisse tutos. Quare cum Ermanricus coævus Monachus Augiensis in libro de Grammatica hæc jactat in laudem Ludovici tum viventis: *Hludovicus Rex licet limite terrarum, virtute tamen vincit Herculem Centauros domantem, & agilitate Ulyssem. Interroga Sclavos in gyro, & non miraberis epitoma meum.* Ultro concedimus a Ludovico multis cladibus affectas gentes Slavicas, sed eum contra non raro quoque a Slavis egregie multatum fuisse vel ipsorum Francorum scriptorum testimonio superioribus annis testatum fecimus. Nec dubium, si coævos scriptores Slavi habuissent, pares aut etiam majores laudes nos de Ratislao & Suatopluco lecturos. Valeat hic illud, quod Hansizius de cladibus Bojorum a Samone Slavorum Duce acceptis scribit: *Has clades Bojis pati magis, quam scribere libuit. Multiplices tamen exstitisse res ipsa persuadet.*

Apud Gerold. T. I. p. 31.

Apud Mabil. lon. Analect. vet. p. 420.

Hansiz. Germ. sacræ T. I. P. 1. c. 19. p. 104.

II. Ad hunc annum verosimillime reponendum, quod Annales Francofuldenses posterius ad annum 884. de turbis mortem Wilhelmi & Engelschalci (qui Bajoariorum limites contra Moravos procurabant) consecutis recensent, verba sunt: *Igitur quum duo fratres Willibalmus & Engelschalcus* (de quorum morte ad annum 874. in prætermissis a nobis actum) *terminum Regni Bajovariorum in oriente a Rege* (id est seniore Hludovico) *concessum contra Moravanos tenuerunt, multaque pro patria tuenda conflictando sudasse feruntur. Tandem diem ultimum hujus aeris in eadem voluntate*

te finivere permanentes. Cum vero non esset honor illorum filiis redditus, Arbo in comitatum domno rege (nempe eodem Hludovico Germaniæ Rege) *concedente successit, quod prædictorum virorum pueruli, illorumque propinqui in contrarium accipientes & vertentes, dixerunt alterutrum fieri: & Arabonem Comitem, si non recederet de comitatu parentorum suorum, & se ipsos ante faciem gladii morituros. Hoc experimento Arbo concussus amicitiam iniit cum Zuentibaldo Duce Maraverum gentis firmatoque inter illos fœdere filium suum obsidem* (quem Isanricum appellatum fuisse ad annum 899. testatur Continuator Annalium Francofuldensium) *fieri non tardavit. Nec minus ipsi prædicti pueri consulunt quosdam primores Bajovaricæ gentis, collatisque propinquis ac undique copiis fortior manus in id tempus illis adstabat. Comitem a Rege constitutum inhonorifice expellebant, comitatumque illis in usum usurpaverunt. Hoc ergo factum est post obitum Hludovici regis.* Et quanquam iidem Annales statim subjungant: *Natorumque ejus Carlmanni & Hludovici*, tamen diligentius locum hunc expendenti proclive erit cognoscere vix conciliari posse istbic narrata, & quidpiam desiderari. Meo igitur tenui judicio post verba *Hludovici Regis* statuendum est punctum, & addendum: *Post obitum vero* (nempe ut prosequuntur Annales) *Carlmanni & Hludovici &c.* Nam quomodo fœdus Arabonis cum Zuentibaldo, ejusdem per filios Willihalmi & Engelschalci expulsio, rursum statim Arabonis per Carolum fratrem Ludovici & Carolomanni in comitatum restitutio in unam periodum concludi possint non video, si omnium trium obitus scilicet Hludovici Regis & filiorum Carolomanni atque Hludovici simul sumantur, ut præteream verba superiora: *Arbo in comitatum domno Rege concedente successit*, haud alio spectare posse quam ad Hludovicum seniorem, de quo solo author in antecedentibus mentionem fecerat. Hoc igitur anno post mortem Hludovici exarsit odium in Arabonem Comitem, ut non obstante Zuentibaldi fœdere ille Comitatu suo exturbaretur, succederentque filii Willihalmi & Engelschal-
Ad An. 884 ci, qui patrocinium Carolomanni nacti sunt, nam scribunt Annales Francofuldenses eos in possessione mansisse usque post obitum Carolomanni & Hludovici fratrum, quo consecuto *successor frater illorum minimus* (scilicet Carolus) *mox prout antea tenuit, Araboni prædictum Comitatum reddidit.* Et cum iidem Annales dicant *fortiorem manum Bojoariorum in id tempus filiis Willihalmi & Engelschalci adstitisse contractis undique copiis*, haud dubium hanc expeditionem quoque suo exercitu contra Zuentibaldum protexisse Carolomannum. Nam scribit Aimonius: *Carlmannus nec ad fratres nec ad patruum suum Carolum Imperatorem, sicut mandave-*

rat, venit, occupatus in belligeratione contra Winidos. Quare etiam nec ille, nec ejus auxilia leguntur in illa pugna, quam apud Attiniacum hoc anno ejus frater Ludovicus contra Carolum Imperatorem inierat. Non legitur vero uſpiam aliud Carolomanni bellum hoc anno cum Winidis (quo nomine paſſim Aimonius Moravos Boemosve intelligit) ſuſceptum. Quod autem Zuentibaldus vivente Carolomanno reſtitutionem Arabonis in Comitatum conſequentibus annis bello & armis non urſerit, obſtitiſſe videtur fœdus cum Carolomanno initum, nam quamdiu is poſt patris Hludovici mortem ſuperſtes fuit, amice illo uſus eſt.

III. Annales Metenſes ad hunc annum referunt: *Poſthæc* (nempe poſt relatam ad Anternacum a Ludovico Ludovici Germaniæ Regis filio de Carolo Calvo victoriam) *convenerunt tres ſupradicti fratres* (Carlmannus, Ludovicus & Carolus) *in loco, qui dicitur Sualiſelt, & ibi diviſerunt paternum regnum. Carolomannus ſortitus eſt Bajoariam, Pannoniam, & Carnutum, quod corrupte Carentanum dicitur, nec non & regna Slavorum Behemenſium & Marahenſium: Ludovicus orientalem Franciam, Thuringiam, Saxoniam, & partem Regni Lotharii: porro Carolo Alemannia in parte ceſſit, & aliquæ civitates ex regno Hlotarii.* Quem locum Annaliſta Metenſis ad verbum exſcripſit ex Reginone ad annum 876. Verum multa probant hunc locum Reginonis non minus depravatum eſſe, quam illum Alberici ad annum 865. uti ex Chronico coævo Fontanellenſi & Centulenſi ad hunc annum convicimus; meritoque ſuſpicamur a poſteriore quodam ſcioſo verba: *Nec non & regna Slavorum Behemenſium & Marahenſium* fuiſſe adjecta. Nam credibile non eſt filios Ludovici latius explicaſſe terras ſuas, quam vel ipſe pater reliquerat, multoque ante partitus fuerat, in qua diviſione, ut citato loco docuimus, nulla Behemenſium & Marahenſium mentio. Atque ſi Bohemia Moraviaque in partitionem venit, cur obliti filii Sorabiæ ſeu terræ Soraborum, e qua cenſum annuum paſſim depromtum fuiſſe omni loco innuunt Annales Francofuldenſes? majorine ſervitutis jugo obnoxia erat Bohemia Moraviaque quam illa? Profecto Annales Francofuldenſes, qui hujus partitionis mentionem faciunt, tam inſigne contra Boemorum Moravorumque his annis toties exaggeratam audaciam argumentum non prætermiſiſſent. Verba autem illorum ſunt: *Sequenti autem menſe Carlmannus & Hludovicus atque Karolus Ludovici Regis filii in pago Recienſi convenientes, paternum inter ſe regnum diviſerunt, & ſibi invicem fidelitatem ſervaturos eſſe ſacramento firmaverunt. Cujus ſacramenti textus Theutonica lingua conſcriptus in nonnullis locis habetur.* Habetur

Ad h. a.

vero etiam hodie sacramentum istud in Nithardo edito inter scriptores Pithœi, Kulpisianos, emendatius denique in du Chesnio T. II. In quorum nullo terrarum divisarum mentio. Quin si admittamus etiam regna Sclavorum Behemensium & Marahensium in charta partitionis recensita fuisse, id prorsus sine omni effectu isthic relatum fuit, nec aliud jus dedit Carolomanno, quam speciem quandam prætensionis ad exigenda annua tributa, quæ quidem Imperatoribus pacti fuere Bohemi, postea etiam Ludovico patri, jugo autem omni se expedivere ante illius obitum. Hinc Chronographus saxo ad annum sequentem Carolomanno nonnisi Bajoariam tribuit, sic vero ille ibidem: *Ludovicus quippe tenuit Ostrofranciam, Carolus Alemanniam, Carolomannus Bajoariam*, & recte Hansizius: *Suentibäldum nec Ludovicus Germaniæ Rex, nec, qui ei in dominatu successerat, Carolomannus filius edomare, cum maxime cuperent, valebant.* Adduci quidem vix poterit quisquam, sepositio partium studio, ut credat tributum hoc Carolomanno a Boemis Moravisque solutum fuisse; quandoquidem is jam paucarum terrarum dominus tam potentibus Ducibus vix metuendus erat, nam recte Sigismundus Calles has finium Ludovici terrarum portiones nonnisi *lacinias ex magno regnorum imperio* vocat, ut taceam Carolomannum periculosissimo bello implicitum fuisse cum Carolo avunculo suo, quod eum hortabatur, ut si rempublicam suam salvam cuperet, Slavis vicinis amice uteretur, quod etiam, dum vixit, fecit, nam nihil bellorum cum eo legitur. In majus robur instar complementi apponere juvat verba Helmoldi de obitu Ludovici ita scribentis: *Post cujus* (Ludovici Regis Germaniæ) *mortem effera barbaries laxis regnabat habenis. Nam Boemi, Sorabi, Susi & Slavi, quos ipse tributis subjecerat, tunc servitutis jugum excusserunt.* Imo excusserunt jam illud paulo ante mortem uno alterove anno. Quare si vera sunt verba Comitiorum Franconofurtensium, quæ hoc contextu adfert Goldastus: *Ingruent cum his* (fratribus Carolomanno, Ludovico & Carolo) *bellicosissimi & ferocissimi Germaniæ pugnacis populi &c. Bojemi, Zechi, Moravi.* Ea haud aliter accipienda sunt, quam renunciato omni jure tributorum Moravos Boemosque amicitiam & fœdus pepigisse cum Ludovici filiis, auxiliaresque copias contra quosvis hostes spopondisse. Quanquam Aventinus, ad quem se se revocat Goldastus de Comitiorum Francofurtensium ejusmodi decreto ne verbum quidem habeat, & vox *Zechi* sæculo illi vix adhuc usitata subtestam rem plane ostendat.

Leibnit. in Accession. Hist. ad An. 877.

Sig. Calles Annal. Aust. l. 3. p. 198.

Helmold. l. 1. c. 7.

Goldast. l. 2. c. 13. §. 5.

IV.

IV. Non prætermittendum etsi levioris momenti sit, apud nostros tamen authoritatem passim habet, quod ad hunc annum refert Stredovskius: a Suatopluco videlicet nuper defunctæ Ludomiræ conjugi superinductum *Adelhaidem Carolomanni ex Lidevinda genere & forma præsolili Carintha filiam, & Arnulphi Sororem germanum*, quam ait ab Aventino Gisalam appellari. Ego quidem in Aventino nullam aliam Gisalam circa hæc tempora invenio, quam sororem Lotharii, quam postea Arnulphus Godofrido Cimbrorum Regi noviſſime baptizato despondit, & quam passim vetustiores scriptores referunt. De Gisala Carolomanni filia ne verbum quidem habet Aventinus. Opinionis autem hujus de sorore Arnulphi a Suatopluco in matrimonium accepta nemo author est quam Dalemilus noster, qui de Suatopluco loquens, ait: Kral Morawſky Cziesarzowu Sestru za sebe gmiegesse, id. est: *Rex Moravicus Cæsaris sororem habuit*, quem secutus Hagecius, hunc Pirminius Gassarus, & Martinus Cromerus. At vero Achilles Pirminius Gassarus, qui anno 1575. obiit, is est, qui primus Zuentibaldo Arnulphi sororem Gilasam nomine facit, sed lapsus verosimillime, cumque eo Hansizius, dum Zuentibaldum pro Godefredo Normannorum Rege habuere, Gisalamque ex Lotharii sororem Arnulphi fecere, de qua Annales Metenses ad annos 882. & 885. Cromerus denique Suatobogium Suatopluci filium e sorore Arnulphi susceptum narrat. Quare recte Clarissimus Assemanus hallucinationes Cromeri percensens N. IV. scribit: *Suatobogium Suatopluci successorem e sorore Arnulfi susceptum dicit* (Cromerus) *quum nulla alia inter Suatobogium & Arnulfum affinitas intercesserit, nisi quod Suatopluguς Suatobogii & Moymiri pater filium Arnolphi Zuentibaldum e sacro fonte levaverit.*

Stredovsky l. 3. c. 7. p. 304.

Aventin. l. 4. p. 272. & 274.

Dalemil. c. 24.

Annales Augustburg. apud Menken. T. I. p. 1373. Hansiz. Germ. sacra T. II.

Cromer. de orig. & gest. Polon. l. 2.

Assemān. T. III. P. 2. c. 3. p. 275.

ANNUS 877.

Præsentissimum hoc anno vitæ discrimen adiit Hostivitus: id, qua ratione subierit, paucis perstringam: Slaviborus ex domo Bssovia (a) plurium ad Albim ditionum dynastes vir opibus æque & splendore vitæ, nec minus ingenio conspicuus, urbem Bssovium, (b) quam im-

perio tenebat, nuper admodum intra muros coegerat. Hujus urbis viſendæ, quod multus de ea rumor eſſet, cupidus Hoſtivitus aſſumto illuſtriore comitatu Biſſovium venit ſub ortum Vergiliarum. Ibi quatriduo moratum in abitu dixiſſe ferunt: ſi tam opportunus tamque nobilis ſitus Wiſſehrado, qualis Biſſovio obtigiſſet, non tutam modo Bohemis Principibus, ſed jucundam etiam vel Diis immortalibus habitationem præbiturum fuiſſe Wiſſehradum ſuum. Deducebat revertentem Principem honoris cauſa Slaviborus cum ſuo item equeſtri comitatu, ventumque eſt ad trajectum Albis nocturno tum forte aquarum incremento præter ſolitum tumidi atque inflati. Princeps itemque Slaviborus non explorato vado primi fluvium ingreſſi, rapacibus ſtatim aquis in altum flumen abrepti alius alio fruſtra laborantibus equis abjiciuntur. Comites dominorum periculo, ut par erat, anxii, ſeque cohortati dum auxiliari pergunt, quinque ex comitatu Hoſtiviti egregios juvenes, itemque alios duos ex Slavibori in gurgitem projectos eadem fluminis violentia in omnium conſpectu momento cum equis hauſit. Hoſtivitus additis equo calcaribus tandem periculo evaſit, (c)

Ingens Hoſtiviti diſcrimen in trajectu Albis.

Slavibor multum luctatus cum inſanis fluctibus ægre
tandem in adverſam ripam ſociorum
auxilio emerſit.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXVII.

JOANNIS VIII. PAPÆ 6. *vacat.*

HOSTIVITI 5.

(a) Slavibor hic pater S. Ludmillæ est, ut ex posterius dicendis palam fiet, cujus non modo Christannus, sed & Cosmas meminit. Sic enim prior: *Habuit* (Borivogius) *uxorem nomine Ludmillam filiam Slaviboris Comitis ex provincia Slavorum, quæ Bssow antiquitus nuncupabatur, nunc a modernis ex civitate noviter constructa Mielnik vocitatur.* Et Cosmas: *Filia Zlaviboris Comitis de castello Pšov.* At præter hoc nomen, regionem quam tenebat, obitumque illius nihil in vetustioribus Hagecio prodidum. *Passio SS. Ludmillæ & Wenceslai. Cosmas l. 1.*

(b) Christannus & Cosmas nonnisi castrum vocat, imo prior docet urbem paulo ante constructam hic loci, dum in nomen Mielnik transiisset, incidit in manus meas vetus urbis hujus sigillum triangulare, quod bifidum est, altero campo mediam aquilam, altero erectum in pedes leonem referens. Schleinicius ea omnia confinxisse ait Hagecium, quæ de Bssow universum narrat, sed charybdim vitans in scyllam impingit: narrat enim *Bzow seu Bziow esse in Polonia non in Boemia, patriam sive dubio Abrahami Bzovii.* Quæ copiose refutat Balbinus. *Schlein. Wenceslaobab. c. 3. Balbin. l. 2. c. 19.*

(c) Noster P. Victorinus, nescio, e quo fonte hæc paulo aliter narrat: *Nonnemo* (inquit) *ex clientibus per medios fluctus adnatans Slaviborum jam aquas bibentem felici audacia apprehensum crinibus morti eripuit. At Hostivitum jam altius rapuerant undæ, quam ut succurri posset, qui desperata alieni præsidii ope cum natandi peritia fretus tumescentem jam aquum fluminis iræ permisisset, ipse in aquas se misit, ac cum procellis luctans non præter omnium admirationem littus attigit.*

PRÆTERMISSA.

I. Bohemorum Moraverumque æmulaturi Slavi Linones & Siusli exemplum hoc anno se se quoque tributi onere quærunt eximere, de quo Annales Francofuldenses: *Sclavi, qui vocantur Linones & Siusli*

eorumque vicini defectionem molientes solitum dare consum renuunt. Quos Hludovicus Rex missis quibusdam fidelibus suis circa mediam quadragesimam sine bello compressit, acceptisque obsidibus nonnullis & muneribus non paucis eos sub priſtinum redegit servitium. Hermannus Contractus vero: *Linones & Sussi, eorumque confines defectionem molientes a Ludovici missis facile compressi sunt.* Siuslos jam anno 874. defeciſſe a Francico nexu ſupra vidimus ad annum eundem; in continua autem contradictione de pendendis tributis ſtetiſſe videntur cum Ludovico, cum toties illorum motus legantur, ita ut dubium ſit: num etiam hoc anno penitus ſub priſtinum tributi ſervitium redacti ſint; Helmoldus certe eos ſervitutis jugum excuſſiſſe nit, & Ditmarus toties laudatus omem illam regionem Suatopluco paruiſſe docet. Quod autem alii vicini Slavi Linonibus & Siuslis in auxilium non feſtinaverint, obfuiſſe videtur expeditio Italica, quam hoc anno ſuſcepit Carolomannus, & ad quam ſocia arma junxerunt Slavi, ut poſtea videbitur. Quod ad horum duorum Slavicorum populorum Boemisque finitimorum ſitum ſpectat, Siuslorum jam ſupra expedivimus; reſtant Linones, hos aliter *Linos, Lingones & Hilimones* appellatos ait Abbas Gotvicenſis: qui variis productis hujus populi, pagique Slavici vetuſtis memoriis ſubjungit: *Ex hiſce circumſtantiis colligere liceat: Linos ad fontem fluvii Albis ſiniſtram verſus, ubi adhuc civitas Rœbel, Wiſtok, Weſſemberg & complures conſpiciuntur; conſequenter inter Rhetarios, qui verſus ſeptemtrionem trans Albim, Hevellos, & Bilinos, item Doxanos, qui verſus meridiem & Brizanos & Smeldingos, qui verſus occidentem ad Albim habitabant, ſedes ſuas habuiſſe.* Quem locum & illis in tabula noſtra Geographica P. II. dedimus. Quod vero Slavi inter auxilia Carolomanni fuerint, jam eosdem Annales audiamus:

Apud Caniſium ad h. a.

Helmold. l. 1. c. 7. Ditmarus l. 6.

Chron. Gotvic. l. 4. p. 660.

An. Fuld. ad h. a.

II. *Carolus Galliæ tyrannus æſtivo tempore cum exercitu Italiam petiit & Ticini reſidens magnopere niſus eſt, qualiter Carlmanno illuc adventanti aditum denegaret in illam provinciam. Carlmannus vero cum manu valida Nericorum, diverſorumque Sclavorum Italiam ingreditur contra Carolum dimicare volens, quod cum Carolus comperiſſet, illico, (juxta conſuetudinem ſuam) fugam iniit. Omnibus enim diebus vitæ ſuæ, ubicunque neceſſe erat adverſariis reſiſtere, aut palam terga vertere, aut clam militibus ſuis effugere ſolebat, & in eodem itinere diſſenteriæ morbo correptus cum magna periit triſtitia - - - Carlmannus optimates Italiæ ad ſe venientes ſuſcepit, & diſpoſita, prout voluit, regione reverſus eſt in Bajoariam.* Annales autem Bertiniani inquiunt: *Carolomannus vero mendaci nuncio audiens, quod Imperator & Papa Johannes ſuper*

Ad h. a.

per eum cum multitudine maxima bellatorum venirent, & ipſe fugam arripuit per viam, quam venerat. Denique de eodem Carolomanno: *Pene usque ad mortem infirmatus, & lectica delatus ad propria per annum ita jacuit, ut a multis fuerit deſperatus.* Hos inter Slavos Carolomanni auxiliares quin etiam fuerint Bohemi Moraviique, ut ſcribit Aventinus, nullus dubito; confirmaturque ex iis, quæ ſupra innuimus: Carolomannum renunciaſſe juri tributi, ut Boemorum Moravorumque ſocia haberet arma. Ceterum mortuo hoc anno Carolo Calvo, ut mox diximus, vacavit ſedes Imperii occidentalis. Multi quidem ei ſubſtituunt filium Ludovicum Balbum, eo maxime quod nonnulli veteres Annales Francici eum a Joanne VIII. coronatum affirment, ſed eruditiſſime Pagius: *Hæc Ludovici Balbi coronatio Baronio - - - aliisque non paucis erroris cauſa fuit. Exiſtimarunt enim Ludovicum Balbum Carolo Calvo patri in Imperium ſucceſſiſſe, cum tamen hæc coronatio regia fuerit, licet Joannes Papa in Ludovicum Balbum Imperium tranſferri ſtuduerit, ob idque a Romanis vexatus urbe hoc anno excedere coactus ſit, uti refert Sigebertus in Chronico.* Cui firmamenti inſtar ſubjungere liceat, quod Author ſæculi XI. in Translatione & miraculis S. Genulfi de morte Caroli Calvi ſcribit: *Decedente glorioſo Rege Karolo Calvo Regni quoque ejus a ſua celſitudine corruit ſtatus. Nullus namque poſt eum imperium tenuit Romanorum. Ejus filius Ludovicus agnomine Balbus ſolummodo regnum obtinuit Francorum. Tunc Bajoariorum ſurrexit regnum, apud quos hactenus conſtat Romanum imperium.*

Aventin. l. 4.

Pagius ad Annal. 878. n. III.

Apud Mabill. Ann. ſæc. IV. P. 2. Act. SS Bened.

III. Conſona ſunt veterum relatis & veritati, quæ ad hunc annum narrat Stredovskius: S. Methudium pluribus aſſumtis pietate & prudentia conſpicuis ſacerdotibus iter arripuiſſe in aliorum Slavorum regna, & cumprimis invitatum ab Hezilone, eumque in iſtius ditione plurimos Apoſtolicorum laborum manipulos collegiſſe, hoc conſilio cum videretur Salisburgenſis Archi-Epiſcopi jurisdictionem invaſiſſe, irritatum fuiſſe Adalbertum Archipræſulem ceterosque Salisburgenſes ſacerdotes, ut tam apud filios Ludovici, quam apud Joannem VIII. querelam deponerent. Quæ correſpondere cum Anonymo de Converſione Bojoariorum & Carentanorum, ipſaque Joannis VIII. epiſtola ſequenti anno cognituri ſumus. Id autem a vero alienum eſt Hezilonem fuiſſe Carnorum Ducem, Carinthiam enim Carolomannus tenuit, ſupraque ditiones Hezilonis, ubi Dravum inter & Savum ſitæ fuerint, oſtendimus. Tam quoque minus teſtatum eſt Hezilonem filios habuiſſe duos ſcil. Ratislaum Moraviæ Ducem, & Fridericum, qui poſtea factus

Stredovsky l. 3. c. 8.

ſit

fit Patriarcha Aquilejenſis, eum nempe ipſum, cujus geſta perſcripſit S. Anſelmus Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, quæ nonniſi meris conjecturis fulciuntur.

ANNUS 878.

Slawibor Bſſovenſis aliter Melnicenſis, paſſim quoque Hrabie ſeu Hrabovez dictus, quod Hrabeorum e progenie eſſet, (a) filium nomine Hauſek (b) habuit, cui felix natura corpus animumque egregie virilem pollicebatur. Ejus memoriæ cognominem arcem Hauſek ſeu Hauskow (c) ſuperelato ac prærupto ſaxo erigere cœpit impendiis, ut eventus docuit in ventos ſparſis. Exædificata quippe mole ſtatim ſubjectum antrum vicinæque ſpecus magnam ſpectri larvæque & nigrarum animarum vim effundere cœpit, poſſeſſionem loci ſibi vendicantium. (d) Quorum horrendis aſpectibus, ululatu, nocturnoque ſtridore hominibus fatigatis, atque in diverſa fugientibus infamis arx ſua ſolitudine ſuisque terroribus extabuit.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXVIII.

JOANNIS VIII. PAPÆ 7. *vacat.*

HOSTIVITI 6.

(a) Superiore anno Hagecius Slaviborum fecit e domo Bſſovia, hic e ſtirpe Hrabeorum adſtruit, aliterque eum Hrabie & Hrabowez appellatum fuiſſe. Sed veroſimillime Hagecius in aliquo Mſ. vernaculo legerit nomen *Hradowez* ſeu *Gradowez* ei adjectum fuiſſe, quod ille proprium ominatus eſt, cum nonniſi appellativum ſit Caſtel-

la-

lanum, seu defensorem castelli significans. *Grad* enim Slavis castrum hodie Hrad, Pawez vero defensorem connotabat, nam hodiedum Paweza scutum, parmamve nostra lingua significat. Nec aliunde posterius nomen *Hrabie* Comitem castelli seu provinciæ denotans, quam ex syncopatione hujus vocis enatum est. Ejusmodi autem Comitem fuisse Slaviborum prodit tum Christannus noster tum Cosmas, prior quidem ait: *Comitis ex provinciæ Slavorum, quæ antiquitus Bssow nuncupabatur.* Posterior vero *Comitis de castello Pssow.* Hinc Hrabeorum Genealogia, quam texere conatus Balbinus, haud solido videtur niti fundamento. *Balbin. Dec. II. l. 2.*

(*b*) Balbinus & ex eo noster P. Victorinus jam hunc Hausek Christianum faciunt, ajuntque eum cum Slaviboro hoc jam tempore Christo nomen dedisse, scilicet post S. Ludmillam undis baptismalibus tinctam. Sed S. Ludmillæ baptismum posterius reponendum esse suo loco ostendemus, ut taceam Hauskæ istius apud neminem ante Hagecium mentionem fieri. *Idem Dec. I. l. 3. c. 8.*

(*c*) Vocabulum castri hujus non esse ex hac antiquitate indigitat dyphtongus *au* & initialis litera *h* ante vocalem ævo illi minime usitata. Nam si castrum istud ad hæc tempora referendum est, nomen *Gussek* seu *Guskow* gesserit, oportet. Refertur vero a Balbino inter memorabiles arces Bohemiæ, haud tamen alio fonte, quam Annalibus Hagecii, quod suspicatur castro Bezdiez subjectum fuisse, sic enim ille: *Hausska Boleslav. 6. ni fallor deserta, apparet optime ex castro Bezdiezii, estque huic subjecta.* Sæculo XIV. quoddam castrum Hauska superfuisse certum est ex historiis nostris, a quo familia de Hauska nomen traxit, nominatusque est ex illa Hynko de Hauska, qui anno 1316. cum pluribus Proceribus Bohemiæ se juramento obstrinxit contra Joannem Regem, cum is Germanis nimium patrocinaretur, eisque munia regni elargiretur. Supereſt hodie Hauska in Boleslavienſi regione uno lapide a monte Bezdiez remota arx & sedes Illustrissimæ stirpis Kauniziæ. *Idem Dec. I. l. 3. c. 8. §. 1. & 3.*

(*d*) Historiam lemurum in Bohemia copiosissime persecutus est tribus integris capitibus Balbinus. Sed narrationibus istiusmodi adhuc delectabatur superius sæculum, hodie passim explodi solent. *Idem Dec. I. l. 3. c. 15. & seqq.*

PRÆTERMISSA.

1. Hoc anno bis redit memoria S. Methudii Moravorum Archi-Episcopi: nam in Pannonia Savum inter & Dravum his annis illum verbi divini sementem jeciſſe teſtimonio eſt Anonymus coævus de Converſione Bajoariorum & Carentanorum. Reſpondent autem anno huic, quæ verbis ſequentibus narrat de S. Methudio jurisdictioni Eccleſiæ Salisburgenſis Savum inter & Dravum derogante. Ita vero ille: Adalvinus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis Alifrido Archi-Presbytero *defuncto Richbaldum conſtituit Archi-Presbyterum. Qui multum ibi demoratus eſt exercens ſuum poteſtative officium, ſicut illi injunxit Archi-Epiſcopus ſuus, usque dum quidam Græcus, Methodius nomine, noviter inventis Slavinis literis linguam latinam, doctrinamque Romanam, atque literas auctorabiles latinas philoſophice ſuperducens vileſcere fecit cuncto populo ex parte Miſſas & Evangelia Eccleſiaſticumque officium illorum, qui hoc latine celebraverunt. Quod ille ferre non valens ſedem repetivit Juvavenſem.* Et poſtea: *Tempore ergo, quo dato & præcepto domini Caroli Imperatoris, orientalis Pannoniæ populus Juvavenſibus regi cepit præſulibus usque in præſens tempus, ſunt anni LXXV. quod nullus Epiſcopus alicubi veniens poteſtatem habuit Eccleſiaſticam in illo confinio, niſi Salzburgenſes Rectores: neque presbyter aliunde veniens plus tribus menſibus ibi ſuum auſus eſt colere officium, priusquam ſuam dimiſſoriam Epiſcopo præſentaverit epiſtolam. Hoc enim ibi obſervatum fuit, usque dum nova orta eſt doctrina Methodii Philoſophi.* Quod vero hoc decretum Caroli M. datum ſit anno 803. docet idem Anonymus ſupra. Nam poſtquam narraſſet has terras intra Savum & Dravum anno 796. a Pipino Caroli M. filio expulſis Hunnis occupatas, easque interim usque ad patris confirmationem Salisburgenſi Eccleſiæ traditas fuiſſe quoad proviſionem officii divini, demum ſubjungit: *Poſtmodum ergo anno DCCCIII. Carolus Imperator Bajoariam intravit, & in menſe Octobri Salzburgenſem, & præfatam conceſſionem filii ſui cernens, poteſtative multis aſtantibus fidelibus ſuis confirmavit, & inconvulſam fieri conceſſit.* Ducto igitur calculo ſi anno 803. adjiciantur 75. anni emerget annus præſens 878. quo propter S. Methudii præſentiam doctrinamque terras intra Dravum & Savum deſeruit Archipresbyter Salzburgenſis. Fallitur itaque (ſit venia verbo) Eruditiſſimus Aſſemanus, dum hanc S. Methodii Savum inter & Dravum prædicationem, & Archi-Presbyteri ob id Salisburgenſis reditum ad ſuam Eccleſiam reponit ad annum 871. ſcilicet ducto calculo a prima occupatione harum terrarum per Pipinum anno 796. facta; nam Anonymus hic, ut ex ſupra relatis liquet, ſup-

Apud Freher. p. 20.

Aſſemanı. T. III. P. 1. c. 2.

ſupputationem ſuam facit a decreto ſeu privilegio Caroli M. quod, ut ipſe narrat, primum datum eſt menſe Octobri anno 803. Verum S. Cyrillum hoc anno in his regionibus verſatum fuiſſe, probat præterea epiſtola Joannis VIII. Papæ per Paulum Anconitanum Epiſcopum has terras transeuntem tradi mandata. De qua jam:

II. Cum ſummus Pontifex Joannes VIII. propter ſchiſma Photii hoc anno Paulum Anconitanum, Eugenium Oſtienſem Epiſcopum Conſtantinopolim miſiſſet, priori ſimul literas dedit ad S. Methudium, quibus ei inhibuit, ut ne amplius *in Slavina lingua ſacra Miſſarum ſolemnia celebraret, ſed vel in latina vel in Græca.* Eæ literæ, proh dolor! hodie nuſpiam comparent, fortunatiſſimo nihilominus eventu conſervata eſt ſequentis anni epiſtola ab eodem Pontifice data, qua ea, quæ hoc anno geſta ſunt, refricantur. Nec incredibile alias item literas datas fuiſſe ad Suatoplucum, cum Suatoplucus hoc, aut ſequentis anni initio Joannem presbyterum Venetum ſupra commemoratum Romam miſerit, ut ex ejusdem Pontificis epiſtola anno ſequente data manifeſtum fit. Hæret vero ad hoc Joannis VIII. interdictum Henſchenius, Pagius, Schminkius aliique, & quærunt, cur Joannes VIII. S. Methudio celebrationem divini officii in lingua Slavica inhibuerit, quam Præceſſor illius Hadrianus II. conceſſerat? varias autem interdicti cauſas ariolantes ſuſpicantur: ſeu tum Joannem non adfuiſſe Romæ, cum hoc privilegium S. Cyrillo & Methudio datum eſt, ſeu hoc privilegium tantum fuiſſe perſonale, ſolique S. Cyrillo conceſſum, ſeu denique a Joanne factum Hadriani II. ex quibusquibus demum rationibus improbatum & revocatum fuiſſe. Quæ difficultates eo perpulerunt Clariſſimum Aſſemanum, ut negaverit unquam ab Hadriano datam licentiam ſeu S. Cyrillo ſeu Methodio ſacra in lingua Slavica peragendi, eaque, quæ uterque vitæ Author & Chriſtannus noſter de S. Cyrillo memorant, ad ſolum S. Methodium pertinere affirmet, ſed jam ad annum 868. N. I. monuimus: diſtinguendam eſſe ſub Hadriano II. reprehenſionem de lingua Slavica ab illa hujus anni epiſtolari, ubi plura argumenta attulimus, cur doctiſſimi Viri Aſſemanni ſententiæ accedere non poſſimus. Enim vero judicio meo difficultas univerſa evaneſcit, ſi ad ſalvandam utriusque ſcriptoris vitæ, Chriſtannique noſtri auctoritatem dicamus in epiſtola Joannis VIII. Num. 195. poſita librariorum oſcitantia unicam vocem *aliter* omiſſam fuiſſe, quam difficultatem procul dubio clarius enodaſſent literæ hoc anno ad S. Methodium datæ, niſi tempus edax

Epiſt. Joan. VIII. n. 80. ad Baſil. Imp. Epiſt. Joan. VIII. n. 195.

Acta SS. ad 9. Martii Comment. prævi. §. 3. n. 26. Pagius ad An. 880. n. 6. Schminkius in Goldaſt. l. 5. c. 2. in notis.

Aſſeman. T. III. P. 2. c. 1.

rerum eas absumsisset. Verba autem epistolæ hæc sunt: *Audimus etiam quod Missas cantes barbara, hoc est Slavica lingua, unde jam literis nostris per Paulum Episcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua sacra Missarum solemnia celebrares.* Quæ verosimillime sic concepta erant: *Audimus etiam quod aliter Missas cantes barbara, hoc est Slavina lingua &c.* Accusatus nempe erat S. Methudius apud Papam (quorumquorum demum malevolentia, verosimillime autem presbyterorum Salisburgensium) quod aliter quam consuevit Ecclesia Romana Missas celebret, scilicet alio ritu, aut certe verborum non legitima interpretatione utatur, aliaque contra cerimonias Ecclesiæ latinæ seu admisceat, seu demat addatve, quod justissima causa esse potuit Joanni VIII. S. Methudio divini officii celebrationem in hac lingua interdicendi. Fuitque ea plurimis sæculis posterius Urbano & novissime Benedicto XIV. causa, quod presbyteris Slavicis eam quoque inhibuerint, nisi Missalibus & Breviariis a sede Apostolica approbatis, & a sacra rituum Congregatione Romæ vulgatis uti voluerint. Nec enim credibile ritum Slavica lingua divinum officium peragendi jam a S. Cyrillo apud Chazaros, Bulgaros ipsosque Moravos pridem introductum tamdiu latere potuisse Romanam sedem Germanis undequaque in actiones horum duorum Slavicorum Apostolorum intentis, ac pene ringentibus. Atque si Pontifex absolute inhibuisset, timendum sane erat, ne Slavici hi populi non pridem ad Christum conversi contumacia & desperatione ad vomitum redirent. Et si apud Moravos vetitum id fuit, cur non æque apud Bulgaros, reliquosque Dalmatiæ, Croatiæ, & Serviæ Slavos, qui non interrupte hunc ritum continuarunt? Ne vero quid ingenio nostro effinxisse videamur, audaciæque arguamur, quod vocem hanc *aliter* in verba epistolæ insertam cupiamus, ac desiderari contendamus: fundamentum assertis nostris suppeditat altera epistola hodie superstes ejusdem Pontificis anno sequente ad Suatoplucum data, in qua nihil Papa memorat de Missis a S. Methudio in lingua Slavica celebratis, sed quod *aliter* (quod bene notandum) quam sedes Apostolica doceat. Verba epistolæ sunt: *Quia vero audivimus, quia Methudius vester Archi-Episcopus ab Antecessore nostro Adriano scilicet Papa ordinatus, vobisque directus aliter doceat, quam coram sede Apostolica se credere verbis & literis professus est, valde miramur. Literas tamen propter hoc* (videlicet quod aliter doceat, non quod Slavica lingua sacra peragat) *direximus illi, ut absque omni occasione ad nos venire procuret; quatenus ex ore ejus audiamus, utrum sic teneat & credat, sicut promisit, aut non?* Confirmatur id ex epistola anno uno serius data, cum S. Methudius Roma redi-

Tom. III. epist. Decret. epist. 194.

diiſſet, in qua nihil rurſum de lingua Slavica, ita vero ad Suatoplucum Joannes VIII: *Igitur hunc Methodium venerabilem Archi-Epiſcopum veſtrum interrogavimus coram poſitis fratribus noſtris Epiſcopis, ſi orthodoxæ fidei ſymbolum ita crederet, & inter ſacra Miſſarum ſolemnia caneret, ſicuti ſanctam Romanam Eccleſiam tenere, & in ſanctis ſex univerſalibus ſynodis a ſanctis Patribus ſecundum Evangelicam Chriſti Dei noſtri auctoritatem promulgatum atque traditum conſtat?* Ubi verbum hic de lingua Slavica? perſequitur vero Papa: *Ille autem profeſſus eſt ſe juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, ſicut ſancta Romana Eccleſia docet, & a patribus traditum eſt tenere & pſallere.* Quæ difficultas ſi linguam non ritum diformem Eccleſiæ tetigiſſet, profecto nunquam S. Methudius dicere potuiſſet ſe pſallere juxta doctrinam Romanæ Eccleſiæ, cum certum ſit eum pſallere ſolitum cum populo ſermone Slavico. Quod vero interdictum Papæ id ſolum pro motivo habuerit, quod S. Methudius non recte translatis & interpretatis ſacræ ſcripturæ verbis utatur in ſuo ritu Eccleſiaſtico Slavico, id clare hauritur ex eadem epiſtola, in qua ſubjungitur: *Nec ſanæ fidei vel doctrinæ aliquid obſtat ſive Miſſas in eadem Slavonica lingua canere, ſive ſacrum Evangelium vel lectiones divinas novi & veteris teſtamenti bene translatas & interpretatas legere.* Et profecto levitatis condemnandus eſſet Joannes Papa, qui tam facilis fuiſſet in mutanda ſua ſententia, ut poſteaquam anno hoc abſolute inhibuiſſet omnem uſum linguæ Slavicæ in ritibus ſacris, anno mox ſequenti revocaſſet interdictum, nec cauſam interdicti hujus explicuiſſet. Scilicet cardo accuſationis in eo verſabatur: quod S. Methudius ritum doctrinæ Eccleſiæ Romanæ adverſum lingua Slavica doceat, a qua calumnia, cum ſe perpurgaſſet, cum honore remiſſus, conceſſumque, ut porro eo more utatur. Ceterum Carolomanno gravi cum morbo colluctante ſilent hiſtoriæ de rebus Moravicis Boemicisque.

ANNUS 879.

Novus hoc anno e Bilinenſi principatu (a) hoſtis ortus, Sukoslaus is erat Bilinenſis regulus, pronepos Koſſali. (b) Quemadmodum nempe neque cujusquam datum eſt corpori multam intemperantiam integre poſſe per-

Sukoslaus Hoſtivito adverſatur.

ferre, neque animo vulgari in bonorum omnium ubertate e rationis usu non deviare: cum præsenti opum affluentia, tum etiam egregia quinque filiorum sobole in transversum actus Sukoslaus Hostivito adversari, ac Wissehradense jugum respuere, mox etiam prædando censendoque finitimos, ostentare arma aggressus est Principi. Admonitus officii & castigatus a Slaviboro vicino Wissehradensium partium propugnatore acerrimo, Hostivitique familiari, multo superbius verbis respondit: nunciarent domino suo: „ Iis „ se majoribus ortum, qui principatum sibi filiisque suis re„ liquissent. (c) Huic regioni præfuisse olim Principes non „ minori authoritate quam Pragenses, horum se sanguine „ editum. Nihil se igitur præter fas occipere, si Princi„ patus sui limites, juraque proferre satagat. Sed quando„ quidem sibi compertum esset Slaviborum Hostiviti partes „ tueri, orsurum se ab illo bellum, nec quieturum prius, „ dum eum cum filio Hauska Bssovio exigat. „ His Bssovium allatis vanitatem hominis ventosas minas contemsisse Slaviborum ferunt, præsertim cum ei præsens semper in Hostivito esset præsidium.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXIX.

JOANNIS VIII. PAPÆ 8. *vacat.*
HOSTIVITI 7.

(a) Nullus dubito hanc regionem olim & primis Czechiæ seculis suos peculiares Duces habuisse, sed num regio illa *Bilinensis* dicta fuerit, ab eaque Duces nomen traxerint, nihil in veterio-

rioribus proditum. Ego Bilinensis provinciæ nomen non prius enatum arbitror, quam Bilinæ castro non contemnendo Comites seu castellani constituti fuissent. Anno 1086. in diplomate Henrici III. quo termini Episcopatus Pragensis describuntur, adhuc non commemoratur hæc provincia, sed inter Zatecensem & Litomericensem provinciam (quas inter media est) statuitur provincia *Daciane*, ut habet emendatior Cosmæ Codex Dresdensis. An autem Bilinensis regio olim nomen Daciane habuerit, itidem incompertum. Tam tectum, unde nomen istud Daciane profluxerit: nisi forte dicamus Dacianos seu Doxanos Slavos, qui in hodierna Electorali Brandeburgica Marchia prope Albim ad fluvium Dossam seu Doxan incolebant, huc immigrasse, quemadmodum id vicinos Luzanos fecisse multo prius ostendimus.

Cosmas ad h.a.

Apud Menken. T. III.

Chron. Gotw. vic. l. 4. n. 22.

(*b*) Kœrnerus hunc Kossalum suspicatur originarium dominorum *Gottschalde* in Vogtlandia, dignamque rem existimat perquisitione. Nam certum esse dictos Koten esse ex Bohemia, nomenque trahere a Koten filio Romislavi de Ladwag, item etiam dictos Wislave ex progenie Kossali, de quibus anno 772. & 753. agat Hagecius. Sed curam eam inquirendi lubentes Viro huic permittimus, quandoquidem ejusmodi somniis delectatur.

Kœrner Abhandlung von dem Böhmischen Bergwerk p. 48.

(*c*) De Bilinæis Principibus seu Comitibus, quos e Kassæ (quæ fuit soror Libussæ) progenie ortos nostri passim scribunt, varii varia fabulantur. Ab ea stirpe natos Pruskowskios, easque omnes familias tum in Bohemia tum Silesia & Polonia prodiisse contendunt, quæ tres soleas equinas in clypeo gerebant. Sed ea tam certa, ut nihil minus, de quibus jam egimus P. II. ad An. 747. p. 259.

PRÆTERMISSA.

I. Dum rursum hoc anno Annales Francici de rebus profanis gentis nostræ obticescunt, historia Ecclesiastica uberrimam segetem offert. Et quidem Interdictum illud Pontificium superiore anno per Paulum Anconitanum Episcopum ad S. Methudium de sacris sermone Slavico non celebrandis missum consecuta est hoc anno ejusdem Romam evocatio. Epistola Joannis VIII. habetur Tomo III. Concil. P. II. Edit. Binii, quam Goldastus, Balbinus, Stredovskius aliique nostri exscripsere. Sic autem habet:

Epist. 191.

Re-

Reverendiſſimo Methudio Archi-Epiſcopo Pannonienſis Eccleſiæ.

Prædicationis tuæ doctrinis populum domini tibi quaſi ſpirituali Paſtori commiſſum ſalvare inſtruereque cum debeas: audivimus, quod non ea, quæ S. Romana Eccleſia ab ipſo Apoſtolorum Principe didicit, & quotidie prædicat, tu docendo doceas, & ipſum populum in errorem mittas. Unde his Apoſtolatus noſtri literis tibi jubemus, ut omni occaſione poſtpoſita ad nos de præſenti venire procures, ut ex ore tuo audiamus, & cognoſcamus utrum ſic teneas, & ſic prædices ſicut verbis & literis te S. Romanæ Eccleſiæ credere promiſiſti, aut non, aut veraciter cognoſcamus doctrinam tuam. Audimus etiam, quod Miſſas (ſupplenda veroſimillime vox: aliter) cantes barbara, hoc eſt Slavina lingua: unde jam literis noſtris per Paulum Epiſcopum Anconitanum tibi directis prohibuimus, ne in ea lingua ſacra Miſſarum ſolemnia celebrares, ſed vel in latina, vel in Græca lingua, ſicut Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, & in omnibus gentibus dilatata cantat. Prædicare vero, aut ſermonem populo facere tibi licet, quoniam Pſalmiſta omnes admonet dominum gentes laudare, & Apoſtolus: omnis, inquit, lingua confiteatur, quia dominus JEſus in Gloria eſt Dei Patris. Data XVIII. Kalend. Julii Indict. XII.

Hæc accuſationum capita quin a Bojoariæ Epiſcopis, & cumprimis Theodmaro Archi-Epiſcopo Salisburgenſi ejusque Suffraganeis Romam delata ſint vix quidem dubium, quibus ſcilicet dolebat, ut ſuperiore anno vidimus, doctrina S. Methudii avulſam fuiſſe inferiorem Pannoniam a ſua diœceſi. Exacuit etiam poſterius eorundem non ſemel invidentiam, ut tum contra S. Methudium, tum contra ejus ſucceſſores Moraviæ Epiſcopos ſtylum exererent. Serpſit vero ritus iſtius Slavici odium, propagatumque ad omnes prope eſt, qui ſeu latino ſeu Græco uterentur, adeo ut Slavorum presbyteros ipſumque S. Methudium non vererentur hæreſis inſimulare. De quo audire libet Thomam Archidiaconum Spalatanum: *Sub Stephano Geyzæ filio primo Rege Ungarorum & Alexandro II. ſynodus fuit in Dalmatia, ipſaque Salonitana Eccleſia omnium Prælatorum Dalmatiæ & Croatiæ multum ſolemniter celebrata, in qua multa fuerunt conſcripta capitula, inter quæ & hoc firmatum eſt & ſtatutum, ut nul-*

Hanſiz. Germ ſacræ T. II. p 139.

In hiſt. Saloni-tana.

nullus de cetero in lingua Slavonica præsumeret divina mysteria celebrare, nisi tantum in latina & græca, nec aliquis ejusdem linguæ promoveretur ad sacros ordines. Dicebant enim Gothicas (id est Slavinas) *literas a quodam Methodio hæretico fuisse repertas, qui multa contra Catholicæ fidei normam in eadem Sclavonica lingua conscripsit mentiendo, quam ob rem divino judicio repentina dicitur morte fuisse damnatus.* Quam merito gravissimam blasphemiam vocat doctissimus Assemanus. Et sane liquet synodum hanc in eo turpissime errasse, quemadmodum & in altero, cum Slavinas literas pro Gothicis Ulphilæ habuit, procul dubio in errorem inducta, ut, cum Gothos Arrianæ hæresis fuisse nosceret, ejusdem Methudium Slavosque deputaret. Non aliter pene sensere Episcopi Bajoariæ cum Archiepiscopo suo Theotmaro, qui D. Methudii doctrinam execrantes, Moravos plane a Christianitate abhorrere ad Joannem IX. summum Pontificem scribunt. Huc enim respiciunt Epistolæ verba: *Et idcirco Patavienſis Episcopus civitatis, in cujus diœcesi sunt illius tempore populi* (Moraviæ) *ab exordio Christianitatis eorum, quando voluit, & debuit illuc nullo obstante intruvit, & Synodalem cum suis, & etiam ibi inventis* (Sacerdotibus) *conventum frequentavit, & omnia, quæ agenda sunt, potenter egit - - - - usquedum incessante corda eorum diabolo Christianitatem abhorrere, & omnem justitiam detrectare, belloque lacessere, & obsistere sævissime cœperunt. Adeo ut via Episcopo & prædicatoribus illo non esset, sed libitu suo egerunt, quæ voluerunt.* Sed ut ad capita supra allatæ epistolæ redeamus:

Assemān. T. III. P. 2. c. 1.

Apud Gevold. T. I. p. 30.

Stredovskius hanc Joannis VIII. epistolam novam de contumacia & inobedientia reprehensionem autumat, quod scilicet post illam anno superiore per Paulum Anconitanum Episcopum missam inhibitionem, nihilominus ausus sit S. Methodius persequi ritum Slavicum in sacris. Quare ut suspicionem hujus inobedientiæ contumaciæque a S. Methodio amoliretur, culpam refundit in Pauli Anconitani oscitantiam, qui serius eidem literas reddiderit, aut certe aliquo casu præpeditus non extradiderit. Verum ex hac epistola nihil certi eruitur reprehensionem hanc esse de inobedientia & contumacia, quin verba: *audimus etiam, quod missas cantes &c.* respicere possunt tempus primæ inhibitionis, adeo ut hic solum repetantur, & denuo prohibeantur, quæ jam in epistola per Paulum Anconitanum Episcopum missa interdicta fuere. Imo si admittamus S. Methudium post primam inhibitionem nihilominus ritum suum Slavicum more solito prosecutum omni is culpa vacavit, nec inobedientiæ aut contumaciæ condemnandus, si vocem *aliter* in hac epistola desiderari, & librariorum oscitantia intermissam dicamus. Nam

Stredovsky I. 3. c. 9.

tum plane advertit S. Methudius, qua falsa criminatione Romæ delatus esset, quod nempe aliter, alio scilicet ritu, non legitima verborum translatione & interpretatione in sacris utatur, quam Romana consuevit ecclesia; a qua culpa cum se nosset alienissimum, merito censuit hoc interdictum se non stringere, atque propterea præter omnem scrupulum usum jam a suo S. fratre Cyrillo introductum, & ab Hadriano II. probatum persecutus est, quemadmodum & ipsum paulo post ipse hic Joannes VIII. cognita causæ veritate confirmavit.

II. Eadem die, qua Superior epistola data est ad S. Methudium, altera quoque ab eodem summo Pontifice data est ad Zuentibaldum Moraviæ Ducem, & quanquam librorum oscitantia in variis editionibus hujus epistolæ varie nomen legatur illius, cui inscripta est, scilicet *Twentaro, Tuventaro, Juventano, Zwentaro de Maravna & Marabana*, ex omnibus tamen manifestum est Zwentibaldo inscriptam, scribarumque inscitia hoc nomen corruptum fuisse. Habetur autem epistola hæc inter epistolas Joannis VIII. num. 194. editaque est Tomo III. Conciliorum P. II. & Tomo III. epistolarum Decretalium summorum Pontificum, unde eam posteriores omnes exscripsere. Verba vero epistolæ sunt:

Twentaro de Maravna.

Scire volumus, quia nos, qui per Dei gratiam B. Petri Apostolorum Principis vicem tenemus, pio amore vos quasi charissimos filios amplectimur, & paterna dilectione amamus, nostrisque assiduis precibus vos omnes Jesu Christo Domino commendamus, orantes semper pro vobis, ut Deus omnipotens, qui corda vestra illuminavit, & ad viam veritatis perduxit, in bonis operibus confirmet, & usque ad finem in recta fide, bonaque actione decoratos vos atque ineolumes dignetur perducere. Quod autem sicut Joanne presbytero vestro, quem nobis misistis, referente didicimus, in recta fide dubitetis, monemus dilectionem vestram, ut sic teneatis, sic credatis, sicut sancta Romana Ecclesia ab ipso Apostolorum Principe didicit, tenuit, & usque in finem sæculi tenebit. Atque per totum mundum quotidie sanctæ fidei verba, rectæque prædicationis semina mittit, & sicut antecessores nostros, sanctos videlicet sedis Apostolicæ Præsules parentes vestros ab initio docuisse cognoscitis. Si autem aliquis vobis, vel Episco-

ſcopus veſter, vel quilibet Sacerdos aliter annunciare aut prædicare præſumpſerit, zelo Dei accenſi omnes una animo, unaque voluntate doctrinam falſam abjicite, ſtantes & tenentes traditionem ſedis Apoſtolicæ. Quia vero audivimus, quia Methodius veſter Archiepiſcopus ab anteceſſore noſtro Adriano ſcilicet Papa ordinatus, vobisque directus aliter doceat, quam coram ſede Apoſtolica ſe credere verbis & literis profeſſus eſt, valde miramur. Tamen propter hoc direximus illi, ut absque omni occaſione ad nos venire procuret, quatenus ex ore ejus audiamus, utrum ſic teneat, & credat, ſicut promiſit, aut non. Data XVIII. Kal. Julii Indictione XII.

Vix dubium eſt Joannem hunc presbyterum tanquam legatum a Suatopluco miſſum fuiſſe Romam ob ſuperioris anni epiſtolam ad S. Methudium miſſam, eique in mandatis datum, ut ſuſpicionem omnem a Viro Apoſtolico removeret; at conviciantium querelæ eo pervaſerant Pontificis animum, ut rem omnem ex ipſo præſente S. Methudio cognoſcere cuperet, velletque, ut ipſe cauſam ſuam contra obtrectatores tueretur. Joannes vero hic presbyter haud alius eſt ab eo, quem presbyterum de Venetiis vocant Annales Francofuldenſes, quique anno 874. itidem cum legatione miſſus fuerat ad Hludovicum Germaniæ Regem, nec aliūm ab eo ominatur Clariſſimus Aſſemannus, qui eodem anno & tempore miſſus eſt legatus Romam a Branimiro Chrobatiæ Duce & Theodoſio electo Nonenſi Epiſcopo, ut ille duplici legatione, ſcilicet Suatopluci & Branimiri Romæ functus videatur. Illud vero minime ferendum, ut cum Stredovskio eundem Joannem jam anno hunc inſequente Moraviæ Epiſcopum ſtatuamus. Tam licenter frœna omnibus conjecturis laxavit, dum ex corrupto illo fronti literarum præmiſſo titulo *Joventano de Moravna* neſcio quam Moraviæ urbem & communitatem ipſumque Juliomontanum Olomuciumve efinxit. Quod alterum in hac Joannis VIII. epiſtola animadverſione dignum eſt: Innuit Pontifex Suatoplucum per legatum ſuum Joannem ſibi indicaſſe, quod in recta fide dubitet. Quo fonte autem hæc dubitatio profluxerit, quæve ſcaturigines ejus fuerint, nuſpiam proditum. Cum vero Joannes VIII. in hac epiſtola verboſiſſime doctrinam Eccleſiæ Romanæ commendet, ad eamque omnia referat, non vane conjicere licet hæc dubia e Græcorum diſciplina fuiſſe profecta, qui in vicina Bulgaria nonnulla aliter docebant, tenebantque, quam uſus tulerit latinæ Eccleſiæ,

Annal. Fuld. ad An. 874.

Aſſeman. T. IV. P. 2. c. 2. p. 318.

Stredovsky l. 3. c. 9. p. 324.

quale illud de jejunio ſabbathi, de lacticiniis quadrageſimæ tempore, de cœlibatu Clericorum, de proceſſione Spiritus ſancti pluraque ejusmodi, quibus Pontifex unum objicit clypeum: *Monemus dilectionem veſtram, ut ſic teneatis, ſic credatis, ſicut ſancta Romana Eccleſia ab ipſo Apoſtolorum Principe didicit, tenuit, & usque in finem ſæculi tenebit.* Nec mirum videbitur legenti & conferenti ea, quæ his annis inter presbyteros latinos Græcosque tumultuoſe contumelioſeque in Bulgaria acta ſunt, S. Methudium Romæ fuiſſe accuſatum: qui cum ipſe natione Græcus eſſet, indeque in Moraviam miſſus, latinis ſuſpicionem offuderat Græci ſchiſmatis Photiani; qua in re mecum conſentire deprehendo doctiſſimum Virum Hanſizium. Sed *calumniam paſſus eſt Vir integerrimus*, ait Eminentiſſimus Baronius, *Apoſtolicum munus ſuum digne perſolvens.*

Hanſiz. Germ. ſacræ T. I. p. 165. Baron. ad An. 879. n. 76. Harduinus T. 6 Concil. p. 213

III. Hoc anno Conſtantinopoli habita pſevdo-ſynodus Photiana menſe Novembri, in qua inter Metropolitas ſediſſe legitur Ἀγαθὼν Μοραβων *Agathon Moravorum* Metropolita, quam ſynodum a Photio confictam fuiſſe ait Clariſſimus Aſſemanus, conjectatur tamen poſtea hunc Agathonem poſt octavam ſynodum a S. Ignatio Bulgaris conſecratum fuiſſe Archiepiſcopum. At non dubitant alii eruditi quique viri, quin hæc pſevdo-ſynodus revera celebrata ſit, quare ſuſpicari licet Photium, ut homo verſipellis erat invidensque incrementis latinæ Eccleſiæ, Agathoni huic nomen titulumque dediſſe *Moravorum Archiepiſcopi*, ſcilicet ut aliquatenus tueri videretur jura Eccleſiæ ſuæ Conſtantinopolitanæ contra latinam Romanamque, a qua inaudiit Methodium Archiepiſcopum conſtitutum; cum nempe ejus exiſtimatione Moravorum converſio a Græca Eccleſia per Cyrillum & Methodium procurata fuerit, jus & ſibi competere ratus eſt hic Epiſcopos denominandi, quemadmodum fecit in Bulgaria. Et alium profecto Græcum Epiſcopum Gorazdum nomine ante Wichinum in ſede Nitrienſi conſtitutum ſequenti anno viſuri ſumus. Nec fortaſſis hic ipſus Agatho alium ob finem per Moraviam miſſus eſt ad Ludovicum Germaniæ Regem legatus anno 873. quam ut exploraret, quis ſtatus Eccleſiæ Moravicæ eſſet. Nam de eo ad dictum annum hæc memorant Annales Francofuldenſes: *Menſe Novembri Agathon Archiepiſcopus* (ſed cujus ſedis?) *Baſilii Græcorum Imperatoris legatus ad renovandam priſtinam amicitiam cum epiſtola & muneribus ad Hludovicum Regem Radasbonam venit. Quem Rex honorifice ſuſcepit, & abſolvit.*

Aſſeman. T. III. P. 1. c. 3. p. 138. 141.

Annal. Fuld. ad An. 873.

AN-

ANNUS 880.

Sukoslaus Bilinenſis Toparcha, quo bellum exerceret quæſtuoſius, idoneo loco abſciſſis rupibus arboribusque caſtrum impoſuit, id, ut certius atque ſecurius rapinarum receptaculum evaderet, gemino ſepimento muniit, nomineque ſuo Sukoslaw appellavit. (a)

Sukoslaw conditur.

Nec melior parente filius Mileſs (b) per eosdem dies permiſſu patris arcem Mileſſow (c) latrocinii itidem perfugium infra montium tractus ſuper eminente colle firmiſſimo (ut quidem temporum illorum diſciplina ferebat) condidit. Luſtrata a patre magnæ admirationi fuit. Hic laudis ſtimulus filio calcar erat, ut eam non modo trabibus ſolidiſſimis, ſed & lapide undequaque communiret. Poſteaquam rebus omnibus, quæ ad victum & bellum pertinent, inſtructa fuit, inde pater atque filius latrones verius quam juſti hoſtes ſubitis irruptionibus omnia circum caſtrum Klopay & Hoſpozyn (d) infeſta reddidere; prædando agros, homines rapiendo, vectigalibusque immenſis mulctando annum diſtraxere.

Mileſſow conditur.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXX.

JOANNIS VIII. PAPÆ 9. CAROLI CRASSI IMP. 1. HOSTIVITI 8.

(a) Si vera ſunt, quæ Hagecius annis tribus poſterius refert, caſtrum hoc ab Hoſtivito funditus deletum fuiſſe, haud mirum ejus ſitum hodie ignorari.

(b) Id nomen baptismale non infrequens est in diplomatibus, connotabatque nomen S. Amandi, quemadmodum & alterum ei affine Milota.

Balbin. Dec. 1. l. 3. c. 8. §. 3. (c) De hoc castro Balbinus: *Milessow in provincia Litomericensi arx deserta; sed cujus loco aliam novam eumque præstantem magnis opibus condidit nostra memoria vir clarus bello Zdenko Caplirz loci dominus.* Hodie vero Idem l. 3. c. 7. §. 4. & l. 1. c. 8. est inclyta Comitum de Hrzan sedes. Idem nomen fert mons, qui altissimus creditur in regione Litomericensi jacetque inter montes mediocres Prostrzedni Mittelgebürg dictos, qui a Litomericio continua serie ad Bilinam & Miressovicium protenduntur. Hujus montis altitudinem pluribus describit mox laudatus Balbinus.

P. Victorinus in Mss. (d) Hoc nomen vicinus mons castro Hasenburg habuisse fertur. An hodiedum retineat mihi incompertum.

PRÆTERMISSA.

I. Paruit S. Methudius hujus anni initio seu superioris exitu citationi summi Pontificis Joannis VIII. qui integer vitæ & conscientiæ recte facti securus se se Romæ stitit, probavitque in publico Patrum concilio doctrinam suam in omnibus Ecclesiæ Romanæ consentaneam. Quare cum triumpho obtrectatorumque suorum confusione in Moraviam reversus. *Methodius* (inquit Baronius) *ubi Romam venit, quam profiteretur & prædicaret fidem coram Pontifice palam exponens, ab eodem verus probatus Apostolus ad opus ministerii reverti jubetur.* Epistolam victoriæ suæ testem, quam Joannes VIII. ad Svatoplucum misit, boni superi ad sancti hujus gloriam posteritati servarunt. Ea inter Joannis VIII. epistolas Romæ publicatas est numero 247. quæ posterius a Baronio, Goldasto, Balbino, Stredovskio aliisque edita. Sic vero habet:

Baron. ad h. a. n. 16.

Dilecto filio Sventopulchro glorioso Comiti.

Industriæ tuæ notum esse volumus, quoniam confratre nostro Methodio Reverendissimo Archiepiscopo sanctæ Ecclesiæ Maravensis una cum Semissino fideli tuo ad limina Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, nostramque Pontificalem præsentiam veniente, atque sermone tuo suo referente, didicimus tuæ devotionis sinceritatem, & totius de-

populi tui desiderium, quod circa sedem Apostolicam, & nostram paternitatem habetis. Nam divina inspirante gratia, contemptis aliis saeculi hujus principibus, beatum Petrum Apostolici ordinis Principem, Vicariumque illius habere patronum, & in omnibus adjutorem ac defensorem pariter cum nobilibus viris fidelibus tuis, & cum omni populo terrae tuae amore fidelissimo elegisti, & usque ad finem sub ipsius & Vicarii ejus defensione colla submittens pio affectu cupis, auxiliante domino, utpote filius devotissimus permanere. Pro qua scilicet tanta fide ac devotione tua, & populi tui, Apostolatus nostri ulnis extensis, te quasi unicum filium amore ingenti amplectimur, & cum omnibus fidelibus tuis paternitatis nostrae gremio, velut oves Domini nobis commissas recipimus, vitaeque pabulo clementer nutrire optamus, atque nostris assiduis precibus omnipotenti Domino commendare studemus, quatenus Sanctorum Apostolorum suffragantibus meritis, & in hoc saeculo adversa omnia superare, & in caelesti postmodum regione cum Christo Deo nostro valeas triumphare.

Igitur hunc Methodium venerabilem Archiepiscopum vestrum interrogavimus coram positis fratribus nostris Episcopis, si orthodoxae fidei Symbolum ita crederet, & inter sacra Missarum solemnia caneret, sicuti sanctam Romanam Ecclesiam tenere, & in sanctis sex universalibus synodis a sanctis Patribus secundum Evangelicam Christi Dei nostri auctoritatem promulgatum, atque traditum constat; (Non igitur lingua Slavica inter accurationis capita fuit, de qua nihil interrogatus, & de qua sedi Romanae constabat.) *Ille autem professus est, se juxta Evangelicam, & Apostolicam doctrinam, sicut sancta Romana Ecclesia docet, & a Patribus traditum est, tenere & psallere. Nos autem illum in omnibus Ecclesiasticis doctrinis, & utilitatibus orthodoxum & proficuum esse reperientes: vobis iterum ad regendam commissam sibi Ecclesiam Dei remittimus, quem veluti pastorem proprium, ut digno honore, & reverentia, laetaque mente recipiatis, jubemus, quia nostrae Apostolicae auctoritatis praecepto Archiepiscopatus & (lege ei) privilegium confirmavimus, & in perpetuum, Deo juvante, firmum manere statuimus, sicut antecessorum nostrorum auctoritate omnium Ecclesiarum Dei jura & privilegia statuta, & confirmata consistunt, ita sane, ut juxta canonicam tra-*

traditionem omnium negotiorum Ecclesiasticorum curam habeat ipse, & ea velut Deo contemplante dispenset. Nam populus Dei illi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus erit rationem.

Ipsum quoque presbyterum nomine Vichinum, quem nobis direxisti electum Episcopum consecravimus sanctæ Ecclesiæ Nitriensis, quem suo Archiepiscopo in omnibus obedientem, sicuti sancti Canones docent, esse jubemus, & volumus: ut pariter cum ipsius Archiepiscopi consensu & providentia alterum nobis apto tempore utilem presbyterum vel diaconum dirigas, quem similiter in alia Ecclesia, in quæ Episcopalem sedem noveris esse necessariam, ordinemus Episcopum, ut cum his duobus a nobis ordinatis Episcopis præfatus Archiepiscopus vester, juxta decretum Apostolicum per alia loca, in quibus Episcopi honorifice debent & possunt existere, postmodum valeat ordinare. Presbyteros vero, diaconos, seu cujuscunque ordinis Clericos sive Sclavos, sive cujuslibet gentis, qui intra provinciæ tuæ fines consistunt, præcipimus esse subjectos, & obedientes in omnibus jam dicto confratri nostro Archiepiscopo vestro, ut nihil omnino præter ejus conscientiam agant. Quod si contumaces & inobedientes existentes scandalum aliquod, aut schisma facere præsumpserint, & post primam & secundam admonitionem se minime correxerint: quasi zizaniorum seminatores ab Ecclesia & finibus vestris auctoritate nostra præcipimus esse procul abjiciendos secundum auctoritatem Capitulorum, quæ illi dedimus, & vobis direximus.

Literas denique Slavonicas a Constantino quodam philosopho repertas, quibus Deo laudes debitas resonent, jure laudamus (qui autem se jure eas laudare posset dicere Pontifex, si ante absolute vetuisset? certe vel causam sui interdicti hic adjunxisset) *& ut in eadem lingua Christi Dei nostri præconia & opera enarrentur, jubemus: neque enim tribus tantum, sed omnibus linguis, dominum laudare auctoritate sacra monemur, quæ præcepit dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi: & Apostoli repleti Spiritu sancto locuti sunt omnibus linguis magnalia Dei. Hinc & Paulus cœlestis quoque tuba insonat monens: omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei patris.*

De

De quibus etiam in prima ad Corinthios epiſtola ſatis & manifeſte nos admonet, quatenus linguis loquentes Eccleſiam Dei ædificemus. Nec ſanæ fidei vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive Miſſas in eadem Slavonica lingua canere, ſive ſacrum Evangelium vel lectiones divinas novi & veteris teſtamenti bene translatas & interpretatas legere, aut alia horarum officia omnia pſallere: Quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam ſcilicet, Græcam, & Latinam, ipſe creavit & alias omnes ad laudem & gloriam ſuam.

Jubemus tamen, ut in omnibus Eccleſiis terræ veſtræ propter majorem honorificentiam Evangelium latine legatur, & poſtmodum Sclavonica lingua translatum in auribus populi latina verba non intelligentis annuncietur, ſicut in quibusdam Eccleſiis fieri videtur. Et ſi tibi, & judicibus tuis placet miſſas latina lingua magis audire, præcipimus, ut latine Miſſarum tibi ſolemnia celebrentur. Data menſe Junii Indict. XIII.

Quæ jam pro modulo noſtro ex aliis illuſtremus:

II. Reduci Roma S. Methudio non modo Archiepiſcopalis dignitas confirmata eſt, ſed & presbyter Vichinus (qui cum Semiſiſno legationis Comes ei a Suatopluco adjunctus fuerat) in Epiſcopum conſecratus ei Suffraganeus datus eſt in Epiſcopali Nitriæ ſede conſtituendus. Ordinatum inſuper a ſummo Pontifice: ut cum conſenſu Archiepiſcopi Methudii alius præterea mittatur idoneus presbyter, qui in alia Eccleſia Epiſcopus ordinari poſſit. An vero presbyter quispiam miſſus ſit, & an vivente adhuc S. Methudio novus hic Epiſcopatus, aut ubi locorum inſtitutus ſit, nihil in vetuſtis proditum reperio. Stredovskius quidem illico Joannem ſupra laudatum Venetum presbyterum miſſum, Epiſcopumque Olomucenſem ordinatum, imo alium præterea Joannem gente Moravum Podivinenſi Epiſcopatui præfectum ſcribit, ſed ſine tabulis. Ante Wichinum ſedis Nitrienſis Epiſcopum fuiſſe quendam Gorasdum Græcum narrat auctor Græcus ſchiſmaticus in vita Clementis Epiſcopi, qui Gorasdo in Bulgariæ Archiepiſcopatu ſucceſſiſſe perhibetur. Eundem Gorasdum quibusdam etiam Georgium appellatum facit auctor hic perperam S. Methodii diſcipulum, & poſtquam retuliſſet, quod Vichinus a Sphendopleco ad Joannem VIII. Papam fuiſſet directus conſecratusque Nitriæ Epiſcopus, atque ideo par-

Stredovskius l. 3. c. 10.

Apud Allatium exercit. 15. in Chrough tomum.

tes latinorum ſuſtinuiſſet, ait Græcorum Sacerdotes, atque in his etiam Gorasdum ſedibus ſuis fuiſſe ejectos. *Hunc quidem* (inquit nempe Gorasdum) *Epiſcopali dignitate ſpoliant; Vichnicum vero quemdam hæreſeos temulentia debacchantem, & alios quoque in eandem ebrietatem allicere idoneum, propterea que anathemate ſubactum ſatanæque traditum una ſimul eum aliis ejusdem factionis inſanientibus: hunc (o labores & certamina Methodii, & Trinitas in proprietatibus confuſa!) in ſedem promovent: quin imo ſede per hunc ipſum deponunt, quæ quanto Methodii cauſa glorioſior erat, & aliis illuſtrior, tanto Vichnici cauſa in dignitatis convalle declinatur.* Sed quam atra bile laboraverit ſchiſmaticus hic Græcus, nemini ex contumelioſa ejus oratione obſcurum, profecto Vichinus calculo ſancti Methudii electus, una Romam comes aſſumtus, & in ſedem Epiſcopalem evectus eſt. Ceterum quis ante Epiſcopalem obtentam ſedem & qua gente Vichinus fuerit, quæque ejus in Moraviam aut Suatoplucum Methudiumve merita nihil certo compertum. Scribit quidem Hundius: *Winechindus alias Wichindus vel Wichingus natione Oſtrogothus & Alemannus Leupoldo Duci familiaris, & ab hoc ipſo apud Romanum Pontificem Stephanum quintum ſic commendatus, ut Apoſtolica authoritate Epiſcopus conſecraretur, ac propagandæ Chriſtianæ profeſſionis ergo in Moraviam mitteretur. Arnulpho deinde Bavarorum ac Francorum Regi innoteſcens, Cancellarius ejus, ac defuncto Engelmaro Epiſcopus Patavienſis factus eſt.* Stredovskius noſter addit: eum etiam Reginæ Adelheidi comitem fuiſſe, cum ſponſa deduceretur in Moraviam, ac propter prudentiam & probitatem a Suatopluco Joanni VIII. præſentatum. Sed ariolationes hæ ſunt, non hiſtoriæ; id unum e legitimis documentis teſtatum fit Wichingum hunc natione fuiſſe Alemannum e Nitrienſi ſede ad Patavienſem tranſiiſſe, ac Cancellarium Arnulphi effectum, quanquam Chronologia ejus admodum perturbata ſit: quatuor enim catalogi Epiſcoporum Laureacenſium & Patavienſium, quos vulgavit Pezius tantum anno uno eum ſedi Patavienſi præfuiſſe ſcribunt, duo faciunt Archiepiſcopum, duo ſolum Epiſcopum. Aliqui Engilmarum Epiſcopum ei præponunt, aliqui poſtponunt. Duo memorant eum præſediſſe anno 876. catalogus vero a Duellio vulgatus ab anno 887. usque ad annum 903. atque ita annis 16. Eccleſiam Patavienſem rexiſſe. Aliam rurſus Chronologiam ſequitur Hundius atque Buccellinus. Joannes Egon in Viris illuſtribus Augiæ divitis facit Wichingum Monachum ſui cœnobii, quod probat ex Necrologio, in quo ejus obitus dies ad pridie Idus Septembris adnotatur, aitque cum licentia Abbatis ſui Rudhonis in Moraviam profectum multos Chri-

Hundius in Epiſc. Laur. & Patav. p. 298.

Stredovskius l. 3. c. 9.

Annales Fuld. ad An. 899.

Hier. Pez. T. I.

Egon. P. III. c. 21.

ſto

ſto imbuiſſe. Sed de Wichino hoc poſterius plures occurrent memoriæ, ubi veram Cancellariatus ſui & Epiſcopatus Pataviensis epocham vindicabimus.

III. Multo intricatior difficultas enodanda ſe offert ex lectionibus vetuſti Breviarii Pragenſis, Olomucenſis & Chriſtanno noſtro, qui ſeptem Epiſcopatus S. Methudio tribuunt. *Verba ſunt:* B. *Quirillus inibi* (Romæ) *perſiſtens, monachicumque habitum ſuſcipiens diem clauſit extremum, relinquens ſupra memoratis in partibus* (in Moravia) *fratrem ſuum nomine Matudium virum ſtrenuum, omnique decoratum ſanctitate. Qui & poſtquam multos Chriſti Domini manipulos in horreo congregavit, ab ipſo Principe, qui partibus in illis tum dominabatur & imperitabat univerſæ terræ ceu magnificus Imperator, ſtatuitur ſummus Pontifex habens ſub ſe ſeptem ejuſdem ſanctitatis Pontifices.* Ad quæ verba ſubjungit Henſchenius: *Dudum inquirimus, qui illi, quarumve ſedium fuerint Pontifices? Unicum hactenus reperimus Wichinum Nitrenſem, quæ nunc ſedes ſubjecta eſt Archiepiſcopo Strigonienſi Metropolitæ Hungariæ.* Ex Stredovskio quidem hic Epiſcopatuum numerus facile ſuppleri poſſet, at quandoquidem is in ipſis hodiernæ Moraviæ non vaſtis amplius finibus tres, quatuorve Epiſcopatus cumulat, nullibique aſſerta ſua authoritatibus fulcit, haud ſatisfactura ſunt hiſtoricæ veritatis ſtudioſo. Septem vero Epiſcopatus ſub S. Methudii Archiepiſcopatu ſtatuere coævorum monumentorum narratis apertiſſime repugnat, nec aliunde errorem hunc in lectiones utriusque vetuſti Breviarii MS, Chriſtannum noſtrum, Marignolam, aliosque profluxiſſe reor, quam ex Bulla Eugenii a nobis integre P. II. ad annum 824. relata, nec non ex literis Piligrini Archiepiſcopi Laureacenſis, hiſtoriaque Archi-Epiſcoporum Laureacenſium, in quibus memoratur orientalem Pannoniam olim habuiſſe ſeptem Antiſtites Romanorum & Gepidarum tempore, quod ſummo Chronologiæ vitio temporibus S. Methudii accommodatum eſt. Neque mirum Scriptores hos iſto errore abreptos fuiſſe: cum enim Bullæ eæ, literæ, hiſtoriæque paſſim notis temporariis careant, nec ipſorum Romanorum Pontificum ſeries & Chronotaxis olim ita ut hodie expedita fuerit, quid mirum, inquam, errores ejusmodi etiam in vetuſta quæque monumenta irrepſiſſe. At vero quantum ex coævis memoriis eruitur (quod vel ipſe fatetur Peſſina) tempore S. Methudii nonniſi duorum Suffraganeorum fit mentio. Alterius quidem Wichingi, qui Nitriæ ſedem Epiſcopalem tenuit, alterius anonymi primum a Joanne VIII. denominandi, ut habetur in

Ad 9. Martii in Not. ad Lect. Brev. Olom.

Stredovsky l. 3. c. 10.

Apud Gold. in Append. Documents.

Peſſina Mart. Mor. l. 1. c. 3.

ſupra allata ejusdem Pontificis ad Suatoplucum epiſtola; qua quidem Papa Suatopluco licentiam dat alterius præter Nitrienſem Epiſcopatus erigendi, ſed revera iſtum (quidquid comminiſcatur Stredovskius) tempore S. Methudii non fuiſſe erectum clare eſt legere ex querela Archiepiſcopi Juvavenſis & ſuorum Suffraganeorum ad Joannem IX. Papam jam poſt mortem S. Methudii data, in qua hæc habentur: *Antecessor vester* (Joannes VIII.) *Zuentibaldo Duce imperante Vichingum consecravit Episcopum* (Nitrienſem) *& nequaquam in illum antiquum Pataviensem Episcopatum eum transmisit, sed in quandam Neophytam gentem, quam ipse Dux domuit bello, & ex paganis Christianos esse patravit.* Ubi Archiepiſcopus Juvavenſis ob ſubtractum jus Metropolitanum ſolum queritur de unò Epiſcopatu in ſua parœcia erecto, non vero de duobus aut plane ſeptem, quod profecto ad cauſæ ſuæ exaggerationem, jurisque læſi vindicationem coram ſede Pontificia criminari non intermiſiſſet. Ex eadem porro epiſtola cognoſcere eſt primo Joannis Archiepiſcopi Moravienſis (qui S. Methudio ſucceſſerat) temporibus tres Suffraganeatus, minime autem ſeptem in vaſto tum adhuc Moraviæ magnæ regno fuiſſe excitatos. Sic enim in eadem epiſtola queritur Archiepiſcopus Juvavenſis: *Venerunt, ut ipsi promulgaverunt, de latere vestro* (ſcilicet Joannis IX. Papæ) *tres Episcopi, videlicet Joannes Archiepiscopus, Benedictus, & Daniel Episcopi in terram Sclavorum, qui Moravi dicuntur.* Et dein querelam perſequens ſubjungit: *Est enim Episcopatus* (Patavienſis) *in quinque divisus. Intrantes enim prædicti Episcopi in nomine vestro, ut ipsi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque Episcopatu unum Archiepiscopum, si tamen in alterius Episcopatu Archiepiscopium esse potest, & tres Suffraganeos ejus Episcopos absque scientia Archiepiscopi, & consensu Episcopi, in cujus fuerunt diœcesi.* Quod confirmat maxime & elucidat poſtea Piligrinus Archiepiſcopus Laureacenſis in ſuis literis ad Benedictum VI. Papam datis, in quibus ait: *Quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios VII. Antistites eadem orientalis Pannonia habuit & Mesia meæ sanctæ Laureacensi, cui ego indignus ministro, Ecclesiæ subjectos, quorum etiam quatuor, usque dum Ungari regnum Bavariorum invaserunt, sicut præsenti cognitum est ætati, in Maravia manserunt.* E quibus perſpicuum fit Romanorum & Gepidarum tempore in orientali Pannonia, cujus magnam partem complectebatur Moravia, omnino ſeptem fuiſſe Epiſcopatus, ſub S. Methudio vero unicum Nitravienſem, dein poſt mortem illius ſub Joanne Archiepiſcopo Moravienſi quatuor, non quidem intra anguſtos fines hodiernæ Moraviæ, ſed *Moraviæ* illius *Magnæ*, de qua Porphyrogenitus, & quam orientalem Pannonia-

Hund. in Metrop. Salisb. T. I.

Goldast. in Append. Docum.

noniam vocat Piligrinus, quæque tum plures cis & transdanubianas terras ad flumina Dravum, Savum, Gronamque protensas complectebatur. Qui autem, & quo loco hi quatuor Episcopatus fuerint, si Nitraviensem excipias, nuspiam proditum. Olomucensis præterea aliqua argumentatione ex Vincentio a nobis edito deduci potest, cum dicat Monasterium Canonicorum isthic a primis Moraviæ Ducibus inceptum fuisse. De quinque Ecclesiensi etiam vix dubitare velim, quandoquidem exstincto Sirmiensi Episcopatu Archipræsules Salisburgenses ab expulsis Hunnis in hæc regionum confinia semper mittere soliti Archipresbyteros, usque dum S. Methudius suam doctrinam in hanc regionem explicasset. *Monum. Inedita. T. I. p. 31.* *Anonym. de Conversi. Bojor. & Carent.*

IV. In eadem Joannis VIII. epistola literæ Slavonicæ a S. Cyrillo inventæ jure laudantur, & sanæ fidei doctrinæque nihil adversum esse declaratur, ut tam divinum officium, quam Missa in eadem lingua celebretur; nihilominus jubet Pontifex, ut si Suatopluco seu illius judicibus magis collibuerit Missas latina lingua audire, eisdem latine Missarum solemnia celebrentur. Scilicet eo vergebat summorum Pontificum consilium, (quod ex Gregorii VII. epistola ad Wratislaum Boh. Ducem data legere est) ut cum viderent hoc Slavico Ecclesiæ ritu mirum quantum trahi ad Christum Slavorum gentes, omnino ritum hunc approbaverint, nihilominus privatis publicisque monitis perpetuo Episcopos urserunt, ut pedetentim populum ad latinæ linguæ usum informarent, ritumque latinum inducerent. Hinc vix uno jam post sæculo haud alia ratione admissus genti Bohemæ Episcopus, quam latinis literis eruditus, de quo Joannis Papæ bulla in erectione Episcopatus Pragensis: *Veruntamen non secundum ritus aut sectam Bulgariæ gentis vel Russiæ, aut Sclavonicæ linguæ, sed magis sequens instituta & decreta Apostolica, unum potiorem totius Ecclesiæ ad placitum eligas in hoc opus Clericum, Latinis apprime literis eruditum.* Multum connitebatur Wratislaus Dux Bohemiæ circa annum 1079. ritum hunc Slavicum in Bohemiam revocare, sed operam perdidit, Gregorius enim VII. data ad eum epistola, quæ hodie exstat, precibus illius locum non dedit. Magis fortuna favit Carolo IV. Romanorum Imperatori & Boemiæ Regi, qui anno 1348. a Clemente VI. facultatem impetravit, ut e Sclavonia adducti, inque monasterium S. Hieronymi (quod hodie Emaus dicitur) Neo-Pragæ translati Cœnobitæ Ordinis S. Benedicti Sclavonica lingua tum in divino officio, tum Missis, tum aliis Ecclesiæ ceremoniis uti possent, quod *Apud Cosmam l. 1.* *Hagec. ad An. 1079.* *Idem ad An. 1348.*

quod privilegium vero nonnisi ad hanc unam Ecclesiam, & Cœnobitas alienigenas seu Russos, seu Bulgaros, seu Dalmatas, Chrobatos & Servios, minime gente Bohemos aut Moravos extendebatur. Rursum aleam hanc tentarunt Bohemi per legatos suos in Concilio Constantiensi, universim ad normam aliorum Slavicorum populorum hanc concessionem de lingua Slavica in sacris adhibenda efflagitantes, quod tamen a Patribus Concilii anno 1438. eis denegatum est, ut refert Æneas Silvius aliique. Verum aliæ Slavicæ gentes præsertim eæ, quæ jam sæculo IX. ritus Slavici Episcopos habuere, ritum illum concedentibus summis Pontificibus non interrupte continuarunt, continuantque hodie. Certe Zamoisciana Synodus sæculo præsente nempe anno 1720. sedente Clemente XI. ab Episcopis Ruthenis celebrata (in qua Slavicæ linguæ in divinis celebrandis usus inter alia commendatur) confirmata est ab Innocentio XIII. dein probata per Apostolicas literas a Benedicto XIII. Denique constitutione Benedicti XIV. anno 1744. die 2. Maji Pontificatus anno IV. servari declarata. Idem sanctissimus Pontifex nuper anno 1754. XVIII. Kalend. Sept. Pontificatus XV. ad Clerum Illyricum constitutionem incipientem: *Ex Pastorali munere* &c. dedit, qua ordinat, ut presbyteri ritus Slavo latini in Augusto altaris Sacrificio, & in horis Canonicis aliisque divinis officiis persolvendis, Missalia, tabellas, & breviaria characteribus sic dicti solitis Hieronymianis impressa typis S. Congregationis de propaganda fide, & non alia adhibeant.

Æn. Silvius hist. Bob. c. 40.

Bullar. Bened. XIV. T. I. p. 346.

V. Ex hac epistola Joannis VIII. eruitur gravissime hallucinatum Stranskium, quique eum secuti sunt, cum ex ritu Græco primitus Ecclesiam Bohemam institutam scribunt, quo argumento illi videlicet doctrinæ sectariorum per Bohemiam cumprimis sæculo XV. XVI. & XVII. initio grassantium, quodpiam firmamentum quærere connisi. Corryphæi hoc in molimine Stranskii verba sunt, ita de S. Methudio loquentis: *Græcarum enim is* (Methudius) *in religiosis rebus instituta sequebatur, & græco, in plerisque tum adhuc oppido sinceriore, non Romano ritu plantatam in Bojemia Ecclesiam ordinarat. Sumebat autem inter maximas ac continuas fere gentilismo inhærentis multitudinis non mediocres insectationes conformata hæc ad græcum morem apud Bojemos Religio novitia majora indies incrementa, primaque illa sacrorum mutatione apparebat rem populi verti paulatim in melius.* Legerat nempe Stranskius S. Methudium fuisse gente Græcum, ac induxisse ritum Slavicum, unde ille de ritu Græco argumen-

Stransky Reipubl. Boh. c. 6. §. 3.

mentationem duxit. At falsus est oppido, conveniſſet enim ei discrimen facere inter ritum Slavo-Latinum, & Slavo-Græcum, quorum priorem non posteriorem induxit in Boemiam & Moraviam S. Methudius; atque utraque ex disciplina Romanæ Ecclesiæ non Græcæ gubernata est. Profecto supra recitata Joannis VIII. epistola testimonio est, quod Suatoplucus cum omni suo populo Romanam Ecclesiam non Græcam matrem respexerit, hic enim dicitur: quod S. Petrum Vicariumque illius patronum elegerint, & pio affectu cupiant sub amborum defensione colla submittere tanquam filii devotissimi, quod doctrinam Romanam in omnibus receperint, inde Episcopos petierint, quod item si collibuerit latina lingua, non græca Missas audire possint. Tam parum audiendus schismaticus ille vitæ Clementis Episcopi scriptor, dum memorat latinos a doctrina Methudii abhorruisse, sanctumque Methudium græcæ Ecclesiæ adhæsisse, sed juvat rerum Slavicarum peritissimi Viri defensionem quam hoc in argumento pro S. Methudio adornaverat, exscribere: *Ex hac Joannis Papæ epistola colligitur, quam mendaciter auctor Græcus* (nempe idem vitæ Clementis scriptor) *asserat Latinos a doctrina Methodii abhorruisse, eundemque Methodium Græcanicis potius erroribus, quam disseminandæ Romanæ Orthodoxæ fidei operam impendisse. Colligitur etiam paulo post annum* 880. *schismaticos Græcos, Gorasdum Pseudo-Episcopum ejusque Sacerdotes ab Orthodoxa, quam Methodius Archiepiscopus, Wichinusque Episcopus profitebuntur atque prædicabant, doctrina deficientes, eorundem Antistitum cura jussuque Sfentopulchi Ducis e Moravia fuisse ejectos, juxta illud Joannis Papæ monitum: „ Presbyteros Diaconos, seu cujuscunque „ ordinis Clericos, sive Sclavos - - - Quodsi contumaces & inobedientes exi- „ stentes scandalum aliquod aut Schisma facere præsumpserint - - - - ab Ec- „ clesiis & finibus vestris auctoritate nostra præcipimus esse procul abjiciendos. „ Quare nugatur insanus iste Græculus, dum, ejecto e Moravia Schismatico Gorasdo, exclamat: „ o labores & certamina Methodii, & Trinitas in proprie- „ tatibus confusa! „ perinde ac si Methodius pro Græcorum Schismate stetisset, qui Schismaticos potius Græcos e finibus Moraviæ abjiciendos curaverat, & quasi Trinitas a latinis, Spiritum sanctum ex Patre Filioque tanquam uno principio procedere asserentibus, in proprietatibus confunderetur, quam potius Græci Schismatici confundebant, dum Spiritus sancti processionem a Filio negantes, eundem Sanctum Spiritum consequenter a Filio minime distinguerent, uti recte a Theologis demonstratur.* Hactenus doctissimus Vir, Sed de sacris ultra quam fas est, jam etiam quidpiam de profanis;

Apud Allatium exercit. XV. in Chreugonum.

Assemanı. T. III. P. 1. c. 3. p. 153.

VI.

Annal Fuld. ad h. a.

VI. Hoc anno Carolomannus Ludovici Germaniæ Regis filius XI. Kal. Aprilis vitam cum morte commutavit, qui jam ſuperiori anno paralyſi correptus linguæ uſum amiſerat. Moriturus Hludovicum fratrem ad ſe invitavit, eique ſcripto filium & uxorem univerſumque regnum commendavit. Sed non erat ei ex legitimo matrimonio ſoboles inquit Rhegino, filius enim Arnulfus ex furtivo concubitu nobilis feminæ Luitſwindæ nomine genitus eſt. Poſt mortem illius Ludovicus Arnulpho Carentanum, quod pridem pater conceſſerat, dedit. Rhegino Carlmanni laudes perſequens ait: *Permulta cum patre, plurima ſine patre in regnis Sclavorum geſſit, ſemperque victoria triumphum reportavit, terminos imperii ſui ampliando ferro dilatavit.* Sed qui ſuperiora noſtra e coævis Francis paſſim prolata documenta legit, agnoſcet enim vero non ſemper cum triumpho a Sclavis, imo bis terve bene mulctatum rediiſſe. Porro cum Rhegino ſcribat: *terminos imperii ſui ampliando ferro dilatavit:* in transverſum id accepit Sigismundus Calles cum ait: *fuere regni Bojoarici in Moravos ac Bohemos latiſſime protulit.* Nam nuſpiam legitur a Moravis aut Boemis quidquam Carolomanno conceſſum, aut cum eo bellum habitum. Sed intellexit hic veroſimillime Rhegino Italiam, quam is ferro acquiſivit, ſibique ſubjecit, qua in expeditione & Boemos Moravosque auxiliares habuit. De Italia ſubacta ita fere Sigonius: *Carolomannus regnum Italiæ per triennium tenuit, ejusque rei in maximo Germanorum Francorumque ſilentio veterum multa, quæ in Lombardia leguntur, fidem faciunt diplomata, quibus per hos tres annos Eccleſiis populisque beneficia confirmavit ante condonata.* Quo ſenſu procul dubio etiam accipi debent verba Wolhardi Presbyteri Haſenrietani coævi in vita S. Walpurgis Abb. Neidenheimenſis l. 2. c. 1. dum ſcribit de Arnulpho filio Carolomanni: *Anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti octingenteſimo nonageſimo quarto indictione tertia Regni quadrimodi retinente dominium anno octavo, quo obtinuit Principatum &c.* Quæ verba (pace ſummi viri de re Critica meritiſſimi) minus recte explicavit Mabillonius dicens: *Scilicet Bajoariæ cum Pannonia, Boemia, Moravia, quod fuerat Carolomanni parentis.* Sed quando aut quo jure Boemiam Moraviamque acquiſivit Carolomannus? quo jure, quod ſuum non erat, in filium Arnulphum tranſcripſerat? Verba igitur hæc *regni quadrimodi* longe aliter accipienda ſunt: per illa enim Wolhardus presbyter Imperium Romanum *per quatuor mundi plagas* protenſum intellexit, quod Arnulphus tanquam coronatus Romanus Imperator jam per octo annos tenuit. Nec infrequens eſt vocis hujus *quadrimodi*, item *quadrifidi* in hac ſignificatione ac-

Rhegino ad h. a.

Idem ibid.

Calles Annal. Auſtr. l. 3. p. 200.

Mabillon. Sæc. III. Act. SS. Bened. P. II.

acceptio apud veteres. Nam adhuc Cosmas noster sic ea usus est in Versibus suis de Passione S. Adalberti Episcopi & Martyris nusquam antea vulgatis, ex illoque rarissimo Bibliothecæ Metropolitanæ Codice a me exscriptis, inter quos hoc carmen legitur: *Agnus quadrifidi, qui tollit crimina mundi.* Id est mundi in quatuor plagas orientem, occidentem, meridiem & septentrionem protensi, nam Cosmæ ætate nihil adhuc de America compertum erat, ut ne quis objiciat eum quatuor mundi partes per eam intellexisse. Nihil igitur juris competebat Carolomanno in Bohemos & Moravos, quibus a patris sui Ludovici obitu amice usus est, e primisque is e Francicis Regibus legitur, qui meruisset habere utramque gentem belli sociam, cum in Italiam expeditionem susciperet. Haud hostiliter autem Carolomannum Boemis Moravisque usum produnt Bojorum leges Portoriæ ab Oefelio editæ, quas sub Carolomanno obtinuisse, ibidem narratur. Juvat ea solum exscribere, quæ gentem nostram Moravosque aliqua ratione attingere videntur. *Apud Oefel. T. I. p. 718.*

Si inferius ad Lintzam ire voluerint, de una navi reddat tres semimodios seu tres Sclaflos de sale; de mancipiis & ceteris aliis rebus nihil ibi solvatur, postea libertatem habeant sedendi, mercandi usque ad sylvam Bojemicam, ubicunque voluerint.

Boi sive Selavi cum bobus, caballis, ut emant victum, nihil dant.

Sclavi vero de Rugis vel Boemannis mercandi causa venientes de Sogme una de cera, uvas mussiolas, quod utraque I. Scoti valeat. De onere similiter mussiola una ejusdem pretii, si mancipia vel caballos vendere voluerint. De una ancilla Tremisamia I. de caballo masculo similiter. De servo Saigam unam, similiter de equa.

Boi Sclavi Istrii primo ibi omnes vel Venedi nihil similiter.

Si ad mercatum Marbarorum vult ire, solvat solidum unum de navi, tunc transeat. Has leges paulo aliter jam quoque vulgavit Aventinus Annal. Bojor. l. 4. p. m. 288. Verum vix tumulo illatus fuit Carolomannus,

VII. Cum Boemi, Sorabi, Dalemincii, omnesque vicini Slavi ad arma provolarunt contra Slavos, qui ad Salam colebant, clientesque Ludovici erant, quos in partes suas pertrahere animus erat, sed sinistro eventu, ut narrant Annales Francofuldenses his verbis: *Sclavi, qui vocantur Dalmatii, & Behemi, atque Sorabi, ceterique circum circa audientes stragem Saxonum a Nordmannis factam pariter conglobati Thuringos invadere nituntur, & in Selavis circa Salam fluvium Thuringis fidelibus prædia & incen-* *Ad h. a.*

dia exercent. Quibus Poppo Comes & Dux Sorabici limitis occurrit, & divino auxilio fretus eos prostravit, ut nullus de tanta multitudine remaneret. Et Hermannus Contractus: *Sorabi, Dalmatæ, & Bohemani Sclavi collecto exercitu Thuringiam juxta fluvium Salam populati a Popone Marchione circumventi omnes perempti sunt.* At cladem hanc Slavorum non tantam fuisse colligere licet ex consequentium annorum gestis, nam paulo post visuri sumus Suatoplucum universam pene Pannoniam Francis eripuisse. Quod porro ad historiam hujus anni pertinet:

Apud Conis. ad h. a.

VIII. Fidem non meretur Stredovskius, qui ait S. Methudium in itinere suo Romam carpendo retardatum, quod a Suatopluco invitatus esset ad bene precandum Carolomanni soceri manibus in Basilica Welehradensi, eidemque funeralia justa persolvenda. Tam sublestum est alterum, cum scribit: S. Methudio Romæ existenti nuncium perlatum: Olomucensem Antistitem Slavimirum fatis cessisse; de quo Slavimiro Episcopo nemo ante eum ne somniavit quidem. At vero ait Stredovskius id erui ex Joannis VIII. literis anno superiore ad Suatoplucum datis; per me licet linceos quisque in has literas intendat oculos, nusquam rei hujus indicium reperturus. Verosimilius est, quod ad annum hunc rejicit doctissimus Assemanus posterius in Annalibus Metensibus, Francofuldensibus, Reginone, Hermanno Contracto, Ottone Frisingensi aliisque narratum: *Zwentibolh filium Arnulphi, ex pellice susceptum, a sacro fonte levavit, eumque ex nomine suo Zwentibolh appellari fecit.* Quibus verbis hanc crisim subjicit: *Tum nempe, quum Arnulphus Carentanium ab anno 880. a Ludovico patruo Germaniæ Rege sibi concessam tenebat; nam anno 889. Arnulfi filius Zuentibaldus, Freheriano Fuldensium Continuatore teste, in ea jam ætate constitutus erat, ut a patre Regnum Bajoariæ assecuto Successor sibi in Regno una cum fratre Ratoldo designatus sit, & a Francis admissus.* Minus recte igitur Stredovskius baptismum hunc jam ad annum 875. reposuit. Concubinam, ex qua genitus est Zventibaldus ait a quibusdam vocari Helenradam, ab aliis Agnetem, at certum est *Elinrath* nuncupatam, id nomen enim prodit diploma Chunradi Regis in Diplomatario Ratisbonensi his verbis: *Concubina serenissimi Regis* (Arnulfi) *nomine Elinrath tradidit S. Emmeramo proprietatem suam, id est illam Capellam in Ergoltingi cum aliis duabus Ecclesiis, decimis &c.* Hæc vero una solaque amicitiæ necessitudo erat, qua Suatoplucus junctus erat Arnulpho. Nam commentitium est, quod memorat Stredovskius Suatoplucum sororem Arnulphi in matrimonio habuisse; tum illud etiam præter fidem veterum est, dum

Stredovsky l. 3. c. 9.

Asseman. T. III. P. 2. c. 3. p. 255.

Stredovsky l. 3. c. 7. p. 302.

Apud Bern. Pez. T. I. p. 3.

Stredovsky l. 3. c. 9.

Du-

Dubravius adſtruit Suatopluci quoque filium ab Arnulpho e baptiſmo levatum. Ceterum cum filio Arnulfi nomen Suatopluci in baptiſmo impoſitum paſſim aſſeratur a coævis, conjicere fas eſſet nomen iſtud cujuspiam ſancti eſſe, cum vix credibile ſit paganum nomen in baptiſmo aſſumtum, & jam eo tempore non infrequens fuerit ipſis etiam Slavis Sanctorum nomina in baptiſmo imponere, ut ante Samuelis, Theodori, Michaelisque Slavorum Ducum exemplis oſtendimus, imo, de quo agimus, Arnulphus de *Beati Arnulphi* nomine appellatus ſit, ut teſtatur Rhegino, & Albericus Monachus Trium fontium. Quod ſi eſt: ad annum 869. docuimus Suatopluk latina interpretatione connotare ſanctam ſobolem, ſeu ut habet Aſſemanus *ſanctum puerum*. Si conjecturæ itaque locus eſt, *S. Viti* nomen eſſe dicendum erit, nam is non raro etiam *ſancti pueri* nomine a veteribus indigitatur. Conſtat quidem a priſcis Slavis S. Vitum ſua lingua appellatum *Suentovit*, at procul dubio id apud Slavos Chriſtianos antiquatum eſt propter nominatiſſimum hujus nominis idolum. Quare etiam nuſpiam *Suentovit*, ſeu *Vit* in veteribus diplomatibus, documentisque Slavicis, bene vero Suatopluk & Sventopluk creberrime legitur. Sed hæc ea dubitatione accipi a lectore volumus, qua a nobis ſcripta ſunt.

Dubrav. l. 3.

Rhegino ad An. 880. Chron. Alberici An. 880. Aſſeman. T. I. p. 341.

ANNUS 881.

Eo jam proruperat Sukoslai temeritas, ut Hoſtivitum ſeu palam, ſeu clanculum regno vitaque exueret. Conſilia hæc atrociſſima ad Hoſtivitum perlata is ad *Lopotas* denunciavit. Sententias ſuper novo hoſte rogati reſponderunt: finibus propulſaret modo hoſtem, ac prohiberet aditu, cetera fore tuta. Ei autem rei utiliſſimum videri, ſi omnia Egræ fluminis vada pontesque præſidiario milite occupet. Nec mora miſſi Slavietinium, Giwinkam, Budinkam, Mauram, Dolankam (a) cohortes, quæ Sukoslai latrocinationibus modum imponerent. At cum eæ ſin-

gulæ, disjunctæque longe inferiores essent numero, quam quæ hosti quacunque parte tota mole incumbenti pares essent, accidit itaque, ut superveniens nocte Sukoslaus cum filio Milessio, (b) cumque totius exercitus sui nervo omnem eam manum quanquam acerrime transitum prohibentem oppresserit, ac cœsis septuaginta præsidiariis reliquam partem per silvas & agros disjecerit. Repentina clades eo tristius Wissehradi excepta, quo inexspectatior a contemtissimo hoste inflicta est. Soli tantum Principi plus aliquanto iræ, quam mœstitiæ movit.

Sukoslaus opprimit præsidiarios Hostiviti.

Aliam ergo Hostivitus gerendi belli rationem ingressus Budinam, (c) vastissimo tunc ambitu vicum, castris deligit, ac celeriter aggeribus, vallo, murisque munit. Tum collectam non minimam multitudinem locum occupare jubet. His novis præsidiis Krzezum (d) parem delendæ ignominiæ ducem præficit, & quid fieri velit, aperit, nempe ut Sukoslai prædandi libidini fræna injiciat. Et Krzezus motis in Bilinensem provinciam castris felicissimum illum agrum pecorique & homini alendo bonum tristissima vastatione populatus ostendit hosti: non statim, qui prælio vicisset uno, bello quoque superiorem esse. Hæc consecuti subinde certaminis fuere præludia.

Krzezus prædatur Sukoslai provinciam.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXXI.

JOANNIS VIII. PAPÆ 10. CAROLI CRASSI 2. HOSTIVITI 9.

(a) An omnia hæc loca ex hac antiquitate ſint, multum dubito. Nemo fortaſſis aberraverit, qui dixerit Hagecium ad manus habuiſſe, cum hæc ſcriberet, Tabulam Geographicam ſub Ludovico Rege noſtro excuſam, de qua alias mentionem fecimus, nam in ea prope Egram flumen hæc loca notata reperiuntur. Verum vix quidem ea omnia in vetuſtiore quadam præſertim ante ſæculum X. deprehendiſſet, quandoquidem vel ipſa nomina ætatem nobis propinquiorem produnt.

(b) Ad hunc locum P. Victorinus noſter: *Ab hujus Mileſſi poſteris vetuſtiſſimos Equites Kaplirzios linea virili deſcendere Balbinus probat, illudque etiam memorabile de Mileſſovia arce his verbis notatum reliquit: eam nempe Mileſſoviam, & adſitum arci terræ tractum, ex eo tempore ad nos usque mille amplius continuis annis nunquam dominos mutaſſe, ſemperque eam ditionem ad Kaplirzios pertinuiſſe*: Sed aſſerti hujus probationes lubens cognoſcerem, procul dubio enim nobis res vetuſtiſſimas nusquamque alibi proditas manifeſtarent. Perſequitur vero P. Victorinus ex Balbino: *Ab eodem Mileſſo altiſſimus Bohemiæ mons Mileſſov denominatur, qui toto vertice reliquos a Litomericio continuus ſerie ad Bilinam usque protenſos ſupereminet. Primus ipſe tacentibus aliis montibus nihilque ſignificantibus, ſentit vel ſerenitatem vel pluviam, triſtem diem & nubilum, vel lætum, tenuem, pellucidum, ut temporum prognoſtes jure merito dici poſſit. Nam ſi fumat vel nubilat, quantumvis ceteri circum montes innubes & hilares ſtare videantur, pluviam & tempeſtatem, ſi ſerenat, ceteris etiam nubilantibus, aeris ſerenitatem ſecuturam indicat.* Plura etiam de Mileſſii poſteris Kaplirziis refert idem Balbinus in ſtemmatographia in Tabula Genealogica Kaplirziorum. At ego credibilius autumo ab hoc nominatiſſimo Boemiæ monte Mileſſov arcem ſubjectam nomen inveniſſe, hancque ipſam fabulam de Mileſſio, cujus nemo ante ſæculum XVI. meminit, enatam.

Balbin. Dec. 1, l. 7. c. 3. in notis

Idem ibid. l. 8. c. 8.

(c) Ad hunc locum quoque P. Victorinus noster: hac occasione Budina a Budis seu mappalibus denominata, in civitatem vallis muroque non infirmissime munitam surrexit. Hazmburgiorum quondam in arce præcipua sedes, nunc in ditione est Principum de Dietrichstein.

Dubrav. l. 3. (d) Krzezi hujus quoque, quem Dubravius Cressum vocat, nuspiam memoria reperitur ante Hagecium & Dubravium.

PRÆTERMISSA.

I. Novum Apostolici laboris testimonium a S. Methodio in vinea domini exantlati rursum hoc anno habemus ex epistola ejusdem Joannis VIII. quæ inter hujus Pontificis Romæ excusas est numero 268. *Ad 9. Martii.* Eam vero ex hoc loco exscripsit Henschenius, Balbinus, Stredovskius, Schminkius, aliique. Sic autem habet:

Methodio Archiepiscopo pro fide.

Pastoralis solicitudinis tuæ curam, quam in lucrandis animabus fidelium Domino Deo nostro exhibes, approbantes, & orthodoxæ fidei te cultorem strenuum existere contemplantes nimis in eodem Domino jocundamur, & ei immensas laudes & gratias agere non cessamus: qui te magis ac magis in suis mandatis accendat, & ad sanctæ suæ Ecclesiæ profectum ab omnibus adversitatibus clementer eripiat. Verum auditis per suas literas variis casibus, vel eventibus tuis, quanta compassione tibi condoluerimus, ex hoc advertere poteris, in quo te coram nobis positum sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam juxta sanctorum Patrum probabilem traditionem sequi debere monuimus, & tam symbolum, quam rectam fidem a te docendam & prædicandam subdidimus, nostrisque Apostolicis literis glorioso Principi Suendopulcho, quas ei asseris fuisse delatas, hoc ipsum significavimus: & neque aliæ literæ nostræ ad eum directæ sunt, neque Episcopo illi palam vel secreto aliud faciendum injunximus, & aliud a te peragendum decrevimus. Quanto minus credendum est, ut sacramentum ab eodem Episcopo exigeremus, quem saltem levi sermone super hoc negotio allocuti non fuimus? Ideoque cesset illa dubietas, & Deo cooperante sicut Evangelica

&

& Apoſtolica ſe habet doctrina, orthodoxæ fidei cultum fidelibus cunctis inculca, ut labore tui certaminis Domino Jeſu Chriſto fructum afferas abundantem, & gratia ejus remuneratus mercedem recipias competentem. Ceterum de aliis tentationibus, quas diverſo modo perpeſſus es, noli triſtari: quin potius hoc ſecundum Apoſtolum omne gaudium prorſus exiſtima, quia ſi Deus pro te, nemo eſſe poterit contra te. Tamen cum Deo duce reverſus fueris, quidquid innormiter adverſum te eſt commiſſum, quidquid jam dictus Epiſcopus contra ſuum miniſterium in te exercuit; utramque audientiam coram nobis diſcuſſam adjuvante domino legitimo fini trademus; & illius pertinaciam judicii noſtri ſententia corripere non omittemus. Data X. Kalend. April. Indict. XIV.

Eſt autem veroſimillime non tam Henſchenii, qui hanc epiſtolam profert, quam librarii error, cum numerus anni corruptus illi ſubjungitur his verbis: *Is erat annus JEſu Chriſti DCCCLXXXII.* Nam Indictio XIV. reſpondet præſenti non ſequenti anno; quæ cum minus diſpiceret Stredovskius, in errorem tractus eſt, ut hanc epiſtolam ad annum 882. reponeret. Sed jam ad capita in hac epiſtola contenta c. 10. p. 327. tranſeamus; *Ad 9. Martii in Comment. prævv. §. 4. n. 40* *Stredovsky l. 3*

II. Quis ille fuerit Epiſcopus, qui moleſtias S. Methudio ſtatim poſt reditum in Moraviam faceſſivit, nuſpiam proditum. Non obſcure tamen innuitur Wichingum Nitrienſem fuiſſe, nam is anno ſuperiore cum S. Methudio Romæ erat, ac procul dubio de rebus Eccleſiæ ſuæ cum Joanne VIII. Papa contulerat; & profecto verba epiſtolæ: *Quidquid jam dictus Epiſcopus contra ſuum miniſterium in te exercuit, & illius pertinaciam judicii noſtri ſententia corripere non omittemus*, ſubjectum eum fuiſſe Epiſcopum S. Methudio oſtentant, conſtat autem hactenus præter hunc ſuffraganeum Wichingum alterum S. Methudio non fuiſſe. Tam tectum eſt apud veteres, quid pertinaciter & contra ſuum miniſterium Wichingus in S. Methudium peccaverit: Stredovskius quidem cauſam diſſidii adſtruit: quod Wichingus cum Theodmaro Salisburgenſi Archi-Epiſcopo (quem hoc anno ſedem occupaſſe memorat Hundius) germanisque Epiſcopis colluſerit clanculum, ut Nitrienſem diœceſim a S. Methudio avelleret, at vero in hanc regionem nullum ſibi jus competiiſſe vel ipſi Bajoariæ Epiſcopi ultro fatentur in querela ad *Idem ibid.* *Hund. Metrop. Salisb. T. I. p. 4.* *Ibid. p. 31.*

ſuc-

ſucceſſorem Joannem IX. data, tum, cum eruatur ex hac epiſtola S. Methudium ſuſpicione pulſatum, quaſi cauſa hæc jam anno ſuperiore coram Pontifice fuiſſet actitata, ſuperque ea ſacramentum a Wichingo exactum, hæc colluſio de avellenda diœceſi minime locum habere poteſt, mens enim Papæ erat duos ſaltem ſi non plures ſuffraganeos S. Methudio conſignare, quo pacto fruſtratus fuiſſet Pontifex intentione ſua. Clariſſimus Aſſemanus & Hanſizius potiſſimam cauſam ſuſpicantur fuiſſe ritum Slavicum, quem Wichingus homo *germanus non modo non probarit*, ſed etiam conjuncto cum Bojoariis Epiſcopis *ſtudio* damnare auſus ſit. Verum quemadmodum ſuperior Stredovskii cauſa, ita & hæc cum relatis epiſtolæ conciliari non poteſt, nam quæquæ hæc demum Wichingum inter & S. Methudium controverſia fuerit, clarum eſt ex epiſtola: Suatoplucum partes Wichingi fuiſſe tuitum, cum Pontifex ſuſpicionem ab ſe alienet dicendo ſe nihil aliud literis ſcripſiſſe Suatopluco, quam quod coram S. Methudium monuerat, neque alias præter has ad eum dediſſe literas; quodſi autem Wichingus conſilium cœpiſſet Nitrienſem diœceſim ſubdere Salisburgenſi Archi-Epiſcopo, aut is Slavicum ritum non probaſſet, quis ſibi perſuadeat cauſæ hujus patronum ac defenſorem Suatoplucum habiturum fuiſſe. Non alia autem hæc fuit controverſia, quam circa doctrinam Eccleſiæ Romanæ, quod ipſe Pontifex prodit his verbis: *Quanta autem compaſſione tibi condoluerimus, ex hoc advertere poteris, in quo te coram nobis poſitum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ doctrinam juxta ſanctorum Patrum probabilem* traditionem *ſequi debere monuimus, & tam ſymbolum quam rectam fidem a te docendam & prædicandam ſubdidimus &c.* quibus verbis Pontifex dicere vult quomodo S. Methudius poſſit ſibi perſuadere contraria doctrinæ Eccleſiæ præcepta ſeu ſcripſiſſe Suatopluco, ſeu clam cum Wichino tractaſſe, cum ipſe eum coram monuerit, quid docere, quid ſequi deberet. Procul dubio igitur ex Græcorum diſciplina hæc controverſia profluxit, ex cujus laxitate cum Wichingus neophytis Moravis aliquid indulgendum eſſe pertinaciter defenderet, ſententiæque ſuæ patronum Ducem ipſum Suatoplucum haberet, contra S. Methudius doctrinæ Romanæ Eccleſiæ ſibi a Joanne VIII. commendatæ conſtanter & ad literam inſiſtendum eſſe ratus eſt. An autem controverſia hæc circa cœlibatum Clericorum, cultum imaginum, an circa Sabbathi jejunium aliudve fuerit, quis diviniet?

Aſſeman. T. I. P. 1. c. 3. Hanſiz. Germ ſacr. T. I. P. 2. in Engelmaro.

AN-

ANNUS 882.

Krzezus, ut Hoſtivito fidem Heroeque dignam virtutem probaret, delegit viros omni re militari egregie inſtitutos, inſtructosque, quos ad opprimendum Mileſſium ſeorſim a patre habitantem deſtinavit, ſpe fretus, ut eo hoſte e medio ſublato, tandem inter mediocria montium juga Sukoslaum cingeret, concideretque. Conſilium, utut arcanum, æmulum utrumque non latuit, & dum prævertere junctisque copiis adverſarium in hoſtico occupare properat, ex improviſo utraque acies ad Trzebuſſicium (a) vicum infeſtis ſibi ſignis occurrit, ſtatimque ex mutuo conſpectu exulceratis odiis pugnandi initium factum. Utrinque certatum non minoribus animis, quam pertinacia, adeo ut trecenti eo conflictu attererentur. Krzezus dum & fortiter dimicat, & multis locis torpentem excitat pugnam, graviter caput præferrata clava percuſſus (b) hoſtes tamen victor campo exigit. Mileſſius ipſe incertum a quo hoc certamine proſtratus, utpote qui ſub initium poſita armatura ſua gregarium thoracem indutus, gloriandi materiam victoribus eripuit. At Sukoslaus cum parva ſuorum manu ſilvarum, tectorumque callium beneficio elapſus domum evaſit. Hic demum comperta filii cæde in furorem actus per Martis aras (c) jure jurando ſe illigavit: haud quieturum prius, dum infeſtis Krzezi, Slavibori, Hoſtiviti omnisque ejus ſtirpis capitibus ſupremum exitium adferat. Unicus Mſtibogius

Pugna ad Trzebuſſicium.

Krzezus vulneratur, Mileſſius cadit.

Kurimenſis Dux erat, cui e Libuſſeo ſanguine parcendum ratus.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXXII.

MARINI PAPÆ I. CAROLI CRASSI *IMP.* 3.

HOSTIVITI 10.

(*a*) Locum pugnæ non adnotavit Dubravius, nec vero in locorum confiniis Trzebuſiczquoddam reperio, niſi hodiernum Trabſchitz dicamus, qui vicus uno & medio lapide Budina ſejunctus eſt.

(*b*) Neque de hoc vulnere quidpiam Dubravius, qui belli hujus incentorem præprimis facit Wrſſovecium.

Frenc. de Diis Sorab. ſect. 2. c. 2.

(*c*) Nonnulli cum Frencelio Radegaſtum pro Marte Slavorum habent, alii Svantevitum. Dubravius Sukoslai juramentum his verbis explicat: *Jurat manes Mileſſii capite Principis, ejusque filii morte ſe expiaturum, ſimulque injuriam Myſtibogii ulturum.*

PRÆTERMISSA.

I. Hoc anno Ludovicus Ludovici Regis Germaniæ filius XIII. Kalend. Febr. Carolomannum exuta mortalitate ſequutus eſt, cujus relictæ provinciæ nobis vicinæ cum Carolum Craſſum Imperatorem fratrem Ludovici tum in Italia degentem reſpicerent: *Carolus* (inquiunt Annales Francofuldenſes) *cum audiiſſet obitum fratris ſui de Italia jam Imperator factus, per Bajoariam iter ſuum in Franciam direxit*, Lambeciani addunt (*& Optimates, qui fuerunt fratris ſui ad ſe venientes in ſuum ſuſcepit dominium*) *placitum generale ad Wormatiam tenuit, receptis primoribus & regno fratris ſui menſe Majo.* Narrata deinde expeditione contra Nordmannos, proſequuntur Annales ſupra laudati: *Rex* (Carolus) *autem morabatur in Germania, & ante Natalem Domini placitum habuit ad Wormatiam, ubi multiformis nunciis Moravorum, aliarumque gentium receptis & auditis compoſitisque rebus remeavit in Alemanniam.* Ex hac Moravorum legatione rur-

Ad h. a.

rursum Goldastus subjectionem quasi continua temporum serie erga Imperatores Regesque Germaniæ arguit, ad quorum citationem gentem nostram Moravosque comparere necessum fuerit. Sed quo sensu legationes hæ accipiendæ sint, explicat Jordanus his verbis: *Notatu dignum est: Annales sollicite semper duo distinguere, scilicet Conventum generalem Optimatum Germaniæ celebratum, & deinde legationes Slavorum auditas fuisse, ut inde appareat, Slavis nihil fuisse commune cum Comitiis, sed pacis aut amicitiæ renovandæ causa ad locum Conventus sua sponte venisse, & Regibus Germaniæ tributum obtulisse. Secundo notandum Principes & Optimates Germaniæ plerumque personaliter Comitiis interfuisse; Slavos autem legationibus negotia sua expedivisse. Tertio legationes Slavorum missas esse cum muneribus, quod sine dubio extraneitatem sapit, & legatos illos fœderis pangendi, aut renovandi, & non Comitorum causa missos esse insinuat. Et demum quarto, sicut fratres Ludovici Germanici, scilicet Lotharius Imperator & Rex per Italiam &c. & Carolus Calvus Rex per Francium occidentalem legatos suos miserunt amicitiæ tantum, aliorumque negotiorum dirigendorum gratia, ita idem de legatis Slavorum dicendum, cum legationes hæ conjungantur & comparentur.* Jordan. in Archiprinc. c. 4. §. 12. p. 56.

II. Carolus Crassus, cum non ignoraret, quam exosi Suatopluco essent Willihalmi & Engelschalci filii, qui nuper expulso Arbone ejus cliente violenter terminos Moraviæ confines occupaverant, ut ejus aucuparetur benevolentiam, Arbonem in Comitatum suum restituit; quod iidem Annales his verbis testantur: *Post obitum natorum ejus* (Ludovici Germaniæ Regis) *Carlmanni & Hludovici, quorum successor frater illorum minimus in regno exstitit, qui mox, prout antea tenuit, Arboni prædictum Comitatum reddidit.* Verum filii Willihalmi & Engelschalci cum cetero amicorum, cœtu Carolum tantoopere precibus fatigarunt, ut is mutaret sententiam, rursumque Arabonem Comitatu privaret, quæ res tam male Suatopluci animum pupugit, ut is collectis undique copiis Comitatum hunc involaret. Sed ex ipsis Annalibus Fuldensibus cognoscere satius est, quæ ibidem gesserit Suatoplucus: *Igitur eodem anno*, inquiunt, *quo illi pueri prædictum Comitem Arbonem a Rege commendatorum extorrem fieri honorum impetraverunt, Zuentibaldus Dux Moravorum plenum doli & astutiæ cerebrum, non immemor, quanta ab antecessoribus istorum puerorum cum gente sua, usque dum ad illos terminum Bajovariorum prætenderunt, passus sit mala; insuper etiam amicitiæ ac juramenti, quæ cum Arbone iniit, pepigitque, ad hoc vindicare proficiscitur, & perfecit. Num de septentrionali parte Histri fluminis apprehenso Werinhario de pueris Engilschalci (qui* Ad An. 884. Ibidem.

tres habuit) *mediocri*, *Vezziloni quoque Comiti*, *qui illorum propinquus erat*, *dextram manum cum lingua*, *&* (*monstri simile*) *verenda & genitalia*, *ut nec signaculo desistente*, *abscíderunt*; *homines vero illorum quosdam sine dextra levaque reversi sunt. Exercitus scilicet jussu Ducis igne devastat omnia. Insuper ultra Danubium missis spiculatoribus*, *ubicunque proprietas & substantia prædictorum fuit puerorum*, *igni tradita sine mora est. Hoc scandalum antefacti puerilis spatio unius anni sentitur.* Quod autem historia hæc ad annum hunc certo pertineat ex consequentibus præterea liquet, cum author infra ad annum 884. dicat: *Isto continuato tertio anno dimidio infanti Pannoniæ de Hraba flumine ad orientem tota deleta est.* Ex quibus simul colligas Suatoplucum post vastatos Bajoariæ limites in Pannoniam irrupisse, ubi proprietates horum fuere filiorum. Ceterum ex supradictis palam fit, Comitatum, quem e septentrionali parte Istri vastavit Suatoplucus eum fuisse, qui intra fontes & ostia Rhegini fluminis continebatur, nam is terrarum tractus semper ad Bajoariam spectabat. An vero hæc crudelitas jussu Suatopluci exercita sit, multum dubito, nam quid alias etiam inter optime moratas gentes ferocia & licentia militum audeat, præsertim extra conspectum belliducum nemini tectum est. Si tamen Suatopluci mandatum interceſſit, procul dubio calumniando & summa convicia scribendo filii hi cognatique in Suatoplucum peccarunt, cum eos lingua & dextera mutilaverit. Quod vero genitalibus quoque privaverit, procul dubio in pœnam statuit, ne genus suum propagarent. Quin ad hoc attentandum multis irritamentis Francorum inductum fuisse ipse testatur Suatoplucus, dum queritur anno sequente Arnulfi homines in ejus vitam conspirasse, nec minus regno suo cum Bulgaris insidias struxisse. Denique ex iisdem Annalibus discimus: hoc anno per Bulgaros partem regni Suatopluci fuisse vastatam, nam ut sequenti anno videbitur, juramento sibi rem testatam petiit Suatoplucus ab Arnulfo, quod homines sui hujus nefandi ausus participes non fuerint.

Carpzov. Chron. Templ. P. I. c. 14.

III. Ad hunc annum urbem Lusatiæ Budissinam verosimillime ædificatam autumat Carpzovius, scilicet eo loco, uti P. 2. ad annum 653. retulimus, quo arx Ortenburgum conditum erat. Rem narrat memoratus author ex Onomastico Monachi Pirmensis his fere verbis: „ Verosimillimum videtur ædificationem urbis Budissinæ anno Christi „ 882. cœpisse per Moravicum seu Slavicum Principem Budissinitium „ seu Budislavum, qui per matrem cognatus erat Duci Boemiæ Hostivito, adeo ut ab eo nomen urbs acceperit. Hunc terrarum tractum „ diu-

„ diuturno gubernavit tempore, usque dum is a Duce Spitigneo anno „ 972. rebellionis accusatus, ac propterea ditione exutus fuisset, re- „ gione rursum ad Ducatum Bohemiæ redeunte, cui multo tempore „ adnexus perstitit. „ At vero Budislavi istius in nullo veteri documento his temporibus memoriam reperio, regnum Brazlavonis Slavi inter Dravum & Savum crebrius his annis indigitatur a Francofuldensibus Annalibus. Nec Spitigneus ille circa annum 972. historiis nostris cognitus, ut taceam Budislavo huic pene præter fidem ætatem majorem affingi. Quod vero Lusatia circa hæc tempora Suatopluci regnum aliquo nexu respexerit, supra argumentum haud leve attulimus. Nec majori fide accipienda sunt, quæ Stredovskius ad hunc annum narrat de partu uxoris Suatopluci, de invitatione Caroli Crassi Imp. ad diem lustricam, de adventu Arnulfi Welehradium patrinatuque loco Imperatoris suscepto, de baptismo a S. Methudio præstito, quæ præterquam nuspiam apud veteres prodita sint, cum hostili illo animo, quem Suatoplucus erga Imperatorem Arnulfumque concepit, pugnant. *Stredovsky l. 3. c. 10.*

ANNUS 883.

Krosmielus Wrssovecius, ut erat ad nocendum Wisserhrado vigil semper, attentusque intellecto Sukoslavi jurejurando, ac obstinatione confestim ad Mstibogium profectus est, ibi multa oratione Sukoslavi amicitiam prædicans, contra verbis acerbissimis in malefidam Hostiviti potentiam invectus, posteaquam sitientes ejusmodi criminationum adolescentis aures habuit, anxiis suspicionibus metuque Mstibogium implet, verbo auxilium trecentorum Curimensium Sukoslavo mittendum extorquet magis, quam impetrat. Cum hoc mercenario agmine dux idem & conductor Wrssovecius silvestribus maxime nocturnisque itineribus properat ad Sukoslaum lætum supra modum tali auxi- *Sukoslaus a Mstibogio Hostiviti fratre occulta accipit auxilia unctore Wrssovecio.*

lio veluti e cœlo deciduo. Nec mora fecialem Wiſſehradum cum amaris mittit litteris, quibus hoſtem declarat Hoſtivitum, eique bellum nunciat. At non reperit Thraſo hic amplius muliebre, ac metu palpitans Neklani cor Wiſſehradi, Hoſtivitus quippe audacia turgens feciali truculentioribus minis reſpondit: „ iret vero, referretque Sukoslavo: enſem ſuum haud alium, quam ejus ſitire ſanguinem: „ (a) itaque inſanabilis hominis fracturus pervicaciam Hoſtivitus, coactis ſub ſigna militibus tantiſper ad Egræ vada moratur, dum Slawiborus Pſſowenſis, Krzezusque Budinenſis cum ſuis adeſſent cohortibus. Iis in tempore ſupervenientibus, transmiſſoque ſecundis vadis torrente flumine ſine mora inopinus minimeque prævisus caſtro Sukoslavio admovetur exercitus, præter trecentorum capitum turbam præſidiariam Sukoslaum ipſum cum Krosmielo Wrſſovicenſi intra muros habenti. Circumſeſſæ undique arci, cum Bilinenſes nonnullæ ac Kladoslavienſes copiæ in auxilium feſtinant, oppreſſæ illico a Pragenſibus, Budinenſibus, Pſſovenſibusque, ut perpauci nonniſi fuga ſalutem invenirent. Sukoslaus, ut res ſuas ſummum in diſcrimen prolapſas ſenſit, colloquium cum Hoſtivito expoſcit facturus deditionem, ſervitutemque pacturus. At conditionum capita proferentibus reſponſum ab Hoſtivito: „Non ſe egere deditiis, qui recedente periculo ad perfidiam redeant.„ Et ne Hoſtivitus rediret in gratiam, hortator maxime erat Krzezus. Tertio oppugnationis die caſtrum vi capitur, interficiuntur præſidiarii ad unum omnes ſeu negligente ſeu

Expeditio Hoſtiviti contra Sukoslaum.

Sukoslavium capitur.

diſ-

dissimulante victore exercitu audire Curimensium deprecantium voces. Duo tamen inprimis ad necem quæsiti. Sukoslaus & Wrssovecius, quorum alterum maturum supplicio fortuna statim prodidit, alterum gravioribus pœnis reservavit. Sukoslavo e latebra protracto jam jam Principis animus, ut mitis piusque erat, parcere parabat, (b) at prævaluit ceterorum sententia, quare militum rabie capite, manibus, pedibusque præcisis truncus in profluentem projicitur. Wrssovecium fuga sublatum nunciavit castri custos, nam desperatis rebus funе per muros dimissus abdita silvarum petierat. Castro diremto, flammis tradito, soloque æquato captivus adhuc repertus est Stuymirus de Sukoslai domo Bilinensis arcis Præfectus nominis non obscuri vir, sed pervicacis. Huic, quod in vinculis rabidæ canis instar maledictis, minisque allatrare non abstineret, publicatis bonis diuturni exilii pœna inflicta, denunciatumque: sacrum fore, si quando in Boemiam rediisset. Post quæ deportatus in silvas Noricas, & quia non repetiturum fidem dedit, inter Bavaros agere permissus. (c)

Sukoslai supplicium.

Wrssovecius fuga elapsus.

Stuymirus in exilium mittitur.

Eodem anno Krzezus permissu Ducis Hostiviti in eadem regione villam egregii operis, multis agris, terrisque adjectis condidit, quæ ab eodem nomen Krzezyn invenit. (d)

Krzezyn villa conditur.

) o (

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXXIII.

MARINI PAPÆ 2. CAROLI CRASSI IMP. 4. HOSTIVITI 11.

Dubrav. l. 3. (a) Dubravius unus solusque cum Hayecio rerum harum prolator nihil de feciali commemorat, ait vero: *Milite accrescente, crevit rursus Sukoslao audacia, nondum tamen ad prælium ineundum, sed incursandos duntaxat agros maxime circum Budinam, ubi Cressus habitabat, & circum Melnitium, quod oppidum Slaviborius incoluit, sitos.*

Ibid. (b) Dubravius inquit: *Sukoslaus ad Ducem perductus venium, vitumque humili (ex tam inflata arrogantia) degenerique voce precatur. - - - - Hunc vero in Sukoslaum sententiam Princeps dictavit, ut incolumi vita perpetuo attineretur carcere.*

(c) Reperit Hayecius in Christanno nostro posterius memoriam hujus Stuymiri, seu ut is eum vocat, Ztroymiri, quod, antequam loco Borziwogii in Ducatum Boemiæ esset assumtus *apud Teutonicos exul fuerit*: hujus exilii causam cum nuspiam apud veteres proditam inveniret, effinxit isthic eum cognatum Sukoslavi, ac propterea exilio *mulctatum*, cum tamen ne quidem Dubravius, qui eandem Sukoslai historiam, quanquam succinctiorem, refert, hic Stuymiri meminerit. Ea *Balbin. Epit.* vero res apud posteriores tantam fidem nacta est, ut Balbinus ducto e *l. 1. c. 10. p. 82.* Chronologia Hagecii calculo non dubitaverit asserere hunc Stuymirum (germanis appellatum Stilfridum) tredecim annis apud Bavaros exulem delituisse.

(d) Hoc rursum Dubravium latuit. Verosimillime autem Hagecius intellexit vicum Kresany hodie perstantem non longe Budina remotum, ubi torrens quidam Egræ se admiscet.

PRÆTERMISSA.

I. Cum jam duos annos gravissimum in Thuringia flagrat bellum Poponem Ducem Sorabici limitis inter ac Eginonem Suatoplucus vindictam suam in filios Willihalmi & Engelschalci, eorumque propin-

pinguos, fœderatos, & receptores perſecuturus, maximam exercitus ſui vim trans Danubium in Pannoniam infert, quod rurſum ex Annaliſta Fuldenſi ad annum ſequentem narrante audiamus: *Non confidentibus a Rege* (Carolo Craſſo) *pueris* (Willihalmi & Engelſchalci filiis) *aliquid boni propter delictum, quod in Arbone commiſere, receſſerunt, ſtatuerunt-que fieri homines Arnulfi Carlmanni Regis filii, qui tunc Pannoniam tenuit. Quo audito Zwentibaldus Dux miſit nuncios ad eum, & ait illi: „ Inimicos meos „ ſuſtentas, ſi eos non dimiſeris, nec me tecum pacificatum habebis. „ Alteram etiam occaſionem adverſus eum protulit: „ Tui homines in vitam meam, nec „ minus in regnum meum doloſe cum Bulgaris conſiliaverunt, qui priore anno „ ſuum* (veroſimillime legendum *meum*) *regnum vaſtavere: hoc volo mihi „ cum juramento verum non eſſe, conteſturi. „ Quorum neutrum unquam ſe facturum Arnolfus renunciavit. Itaque Dux non diu collectis ex omni parte Sclavanorum copiis, magno cum exercitu invadit Pannoniam immaniter, ac cruenti more lupi mactat, igne & ferro maximam partem devaſtat, deterit, & conſcindit: ita ut non immerito iſtam ad miſeriam hic verſus componi:*

Hic patriæ planctus, ſimul & miſerabile funus.

Quo acto dolore per antefactum puerile conſilium ſpacio unius anni, Dux cum exercitu ſuo non læſus remeavit in ſua. *Annal. Fuld. ad An. 884.*

Quibus reſpondet Hermannus Contractus ita ſcribens: *Zwentibald Dux Marahenſium Pannonias, quibus Arnulphus Dux filius Carolomanni Regis præfuit, crudeliter vaſtat.* Aventinus vero, quem citat Goldaſtus, neſcio qua fronte ac authoritate multum corrupit mox relatum locum Annalium Francofuldenſium, & novam perfidiam affingit Zuentibaldo, libet Hiſtoricum hunc audire: *Suatebogius* (hoc nomine paſſim Aventinus impertit perperam Suatoplucum) *Moraviæ regulus adverſus hoſtes Cæſaris cum magno Venedorum numero Bajoariæ orientales fines ingreditur, ſpecioſum titulum ſceleri prætendit, ſe adverſus hoſtes Reipublicæ atque Auguſti Chriſtianiſſimi arma ferre jactitat, ſe opitulaturum ire legato Principis Romani divulgat.* Hem quo pacto a multis germanis ſcriptoribus conflata invidia genti noſtræ! Et rurſum idem author: *Suatebogus ceu Auguſto Principi ſuo rebelles domiturus rurſus arma in Bajoariam movet.* Denique: *Porro Suatebogus ad Arnulphum legatos ire jubet, ſuos & Reipublicæ atque Cæſaris rerum Domini hoſtes ſibi reddi poſcit, adigitque minis ac criminibus Arnulphum, ut is ſolemni ritu juraret, & religione jurisjurandi ſe expiaret, neque res novas moliri, neque in necem Auguſti atque Suatebogi, quemadmodum rumore diſſipabatur, conſpiraſſe.* Qui putres lutulentique rivi, quantum a fonte ipſo Annalium Fuldenſium deflexerint quis non videt. Procul *Ap. Cuniſiam ad h. a.* *Goldaſt. l. 2. c. 8. p. 24.* *Aventinus l. 4.*

dubio si Arnulfus se populumque suum suspicione intentatæ Suatopluco necis perpurgasset, tanta calamitas Pannoniæ ejusque a Regno Francico avulsio non accidisset. Non leves præterea aliæ causæ fuisse videntur, quod Suatoplucus tribus continuis annis tantum in comparis sui Arnulfi regnum desævierit.

Stredovsky l. 3. c. 10.

II. Stredovskius pro libertate genii sui rursum hoc anno nobis res commemorat plures præter veterum authoritatem. Et primo quidem illud Bulgarorum cum Zuentibaldo bellum, ad hunc annum ab Annalibus Francofuldensibus tribus verbis relatum, amplificavit, quod tamen non ad hunc sed superiorem annum spectare verba indicant: *Qui priore anno meum regnum vastavere.* 2. Pisonium urbem (quam Wratislaviam, germanis Wratislaburg dictam olim adstruit) hoc anno conditam a Wratislao Duce tractuum ad Danubium Austriæ obversorum, quem semper castra Zuentibaldi secutum ait contra Cæsarem & Arnulfum; at procul dubio per Wratislaum hunc haud alium intellexit, quam Brazlavonem toties his annis a Francicis Annalibus commemoratum, quem nec ego inficias ire velim proprio Slavico nomine Wratislav appellatum; iste vero Dux erat terrarum inter Dravum & Savum, tum cliens Caroli Crassi, Arnulfique, ut ex sequentibus apparebit, minime vero Suatopluci. 3. Nativitatem Wratislai Patris S. Wenceslai tanquam certam ad hunc annum reponit, quem *baptismi* aquis a S. Methudio regeneratum narrat, quæ omnia in incerto vagantur.

ANNUS 884.

Annus hujus sæculi supra bis quadringentesimum quartus & octogesimus quieta habuit omnia, (a) studiis populi ad exstirpandas silvas, excitanda prædia, exercendamque aratro tellurem versis. Relicturus Hostivitus nominis sui sempiternum monimentum in occidentis solis regionibus opportunum sibi arci delegit locum undequaque humi stratis nemoribus, quem elegantibus illico substruc-

ſtructionibus implevit, atque Hoſtivit appellavit. (b) Eo nempe vergebat Ducis conſilium, ut filius natu major iſthic ſedem caperet. *Arx Hoſtivit conditur.*

Lopotæ ad primos ejuſce conſilii rumuſculos hortari Principem, ne quenquam filiorum ſuorum longius a paterno conſpectu ſejungeret, quid enim inter ſilvas, niſi ut ſilveſcant, eventurum? e re patriæ vero magis futurum, ſi in bene morata patris regia nutriantur, ut ad jus dicendum, æquitatem, clementiâm, animi fortitudinem, obverſante ſemper ob oculos paternæ virtutis exemplo, efformentur. Placuit ea Procerum ſententia in longum proſpicienti Principi, reſponſumque ejusmodi meruit: „Lubens cedo opinionibus veſtris, quandoquidem iis teſtatam mihi facitis integram probamque fidem veſtram, cum filiorum meorum quempiam ſucceſſorem Ducemque animo præconcipitis. „

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXXIV.

HADRIANI III. PAPÆ 1. CAROLI CRASSI IMP. 5.

HOSTIVITI 12.

(a) Non adeo quieta fuiſſe omnia, bellum Zuentibaldi tribus continenter annis in Pannonia geſtum, cujus procul dubio fuere participes Bohemi, indicabit ex Annalibus Fuldenſibus rurſus commemorandum. Nam ſuperiore anno author dicit eum copias *ex omni parte Sclavanorum* collegiſſe. Dubravius etiam memorat Wrſſovecium ex arce profugum (ſi fides relatis adhibenda) per hos annos deſæviiſſe. *Dubrav. l. 3.*

(b) Unicum hodie, quod ſcio, in univerſa Boemia ſuperſtes eſt Hoſtivitz Praga nonniſi duobus lapidibus remotum, Wiſſehradoque in

occidentem porrectum. Hodie quidem adhuc nobilitatis ſedes eſt. An vero illud Hagecii ſit, nihil exploratum.

PRÆTERMISSA.

I. Majori quam annis præteritis vi Zwentibaldus rurſum ſe ſe in Pannoniam infudit, rem perſequuntur Annales Francofuldenſes: *Ceterum vero inſtanti anno, quo iſta computamus, iterum Dux* (Zwentibaldus) *coagulata multitudine, hoſtiliter Pannoniam hoſtilem exercitum infert: ut ſi quid antea remanerat, nunc quaſi ore lupi per totum devoraſſet. Tanta enim multitudine in iſto itinere pollebat, ut in uno loco ab ortu usque ad veſperum lucis exercitus ejus præterire cerneretur. Cum tanta enim multitudine in Regno Arnolfi per XII. dies exſpoliando verſabatur. Demum prout voluit proſpere reverſus eſt. Poſtea quoque miſſa quadam exercitus ſui parte ſupra Danubium, quod audientes filii Willihelmi & Engilſchalchi, qui majores erant, Megingor & Papo, quibusdam Pannoniorum ſecum aſſumptis, contra illos incaute venerunt: ſed tamen pugnam certaminis inire non utile; nam victoria ad illos conceſſit. Iſti fugæ præſidium quærentes, Megingor & Papo in flumine, qui dicitur Hrapa* (Arabo) *vitam finivere. Frater vero Bertholdi Comitis cum aliis quam plurimis a Sclavanis tentus eſt. Attendant, judicent, atque contendant detractores veri; & quibus hujus ſuaſoribus rei vel conſilii primordia placuerint, placeant etiam ſubſequentia mala. Vituperavere autem pacem, qua conſervata, Pannonia conſervata eſt; qua vero vitiata, per ſpacium tantum iſto continuato tertio anno dimidio inſtanti Pannonia de Hrapa flumine ad orientem tota deleta eſt. Servi & ancillæ cum parvulis ſuis conſumpti ſunt, primoribus quibusdam tentis, quibusdam occiſis: Et* (quod turpius erat) *truncatis manu, lingua, genitalibus remiſſi ſunt. Hæc enim omnia procul dubio geruntur ſive per miſericordiam, ſive per iram Dei. Sed iram Dei juſtam vindictam fieri appellamus, quæ indubitanter non niſi juſta ſit, unquam evenire creditur.* Supra vero idem Annaliſta calamitatem Pannoniæ his quatuor verſibus complectitur:

Ad h. a.

Ibid.

Omne, dicit Jeſus fieri non ſtabile regnum
In ſe divisum, & nil diſſociabile firmum.
Hinc dolus, anxietas tibi formoſiſſima tellus
Hinc labor exoritur quondam Pannonia felix.

Et Hermannus Contractus per compendium: *Zwentibald Pannonias immaniſſime veſtans quosdam ex Bajoariis juxta Rabam flumen incaute congreſſos vicit, occiſisque aliis nonnullos comprehendit.*

Apud Canſ. ad h. a.

Ve-

Verum ut ut Annaliſta Fuldenſis calamitatem Pannoniæ exaggeret, ea tamen univerſalis haud fuerit, ſed nonniſi germanos & clientes Francorum reſpexerit, minime Slavos iſthic habitantes, qui procul dubio Zwentibaldo ad excutiendum tandem jugum Francicum ſocia arma junxerunt, nam annis mox conſequentibus florentem ſub Suatopluci Principatu fuiſſe Pannoniam certum eſt. Ceterum num Miſtibogius Curimenſis, & Wratislaus inferioris Moraviæ Duces cum auxiliaribus populis in Suatopluci exercitu fuerint, ut ſcribit Stredovskius, an item ea clade involutus ſit Wolfgerus Viennenſis Epiſcopus, ut memorat Lazius, fides ſit penes hos authores. Nam uti hi Duces in nullo vetere leguntur, ita Viennenſium Epiſcoporum hoc ævo nuspiam memoria. Oſvaldum quidem anno 865. claruiſſe & Radfridum ei tanquam poſtremum ſubjungit Buccellinus, at nec ejus Epiſcoporum Catalogi omne punctum ferunt, ut ſæpe adnotarunt Viri eruditi.

Stredovsky l. 3. c. 10.

Lazius de migrat. Gent. l. 7. p. 273.

Buccellin. German. ſacr. P. 1. p. 50.

II. Carolus Craſſus tot cladibus perculſus, alia etiam parte a Nordmannis undique preſſus non aliud præſidium habuit, quam ut pacem cum Zwentibaldo iniret. Quare ad eundem annum narrant Annales Francofuldenſes: *Imperator per Bajowariam ad orientem proficiſcitur, veniensque prope flumen Tullinam, monte Comiano colloquium habuit, ibi inter alia veniens Zwentibaldus Dux cum principalibus ſuis homo (ſicut mos eſt) per manus Imperatoris efficitur, conteſtatus illi fidelitatem juramento, & usque dum Carolus vixiſſet, nunquam in regnum ſuum hoſtili exercitu eſſet venturus.* Et Hermannus Contractus: *Carolus Imperator in citeriore Pannonia conventum habens Zwentibaldum Ducem Marahenſium per manus ſe Domino ejus tradentem pacemque & ſervitium promittentem ſuſcepit.* Indignum indecorumque ratus eſt Annaliſta Francofuldenſis ſcribere Occidentis Imperatorem cum Duce Slavico (quos nonniſi ſervorum mancipiorumque loco Franci habebant) pacem pepigiſſe, igitur de colloquio ſolum mentionem ingerit, alterum ſubticet, quemadmodum & id ſilentio preſſit: his pacis conditionibus Zwentibaldo Pannoniam fuiſſe conceſſam, quas pacis conditiones dein anno ſequente etiam ſubſcripſit Arnulfus, proculdubio ægerrime: quod res maxime ejus ditiones ſpectaret. Non obticuit autem Annaliſta Fuldenſis rem Francicæ genti glorioſam: Zwentibaldum hominem ſeu vaſallum Imperatoris effectum, ſed ſubjungere debuiſſet reſpectu ſolius Pannoniæ, nam ut tam vaſtam Provinciam ditionibus ſuis adjiceret Zwentibaldus, haud dedecoroſum ſibi viſum eſt vaſallum Imperatoris fieri, eamque cujusdam feudi & beneficii

Ibid.

ficii ritu accipere. Quanquam Annales Francorum, quos e codice vetuſtiſſimo publicavit Lambecius, & ſupplementum eorundem Annalium, quod nuper e Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi edidit Clariſſimus Kohlarius de eo altum taceant, quod Zwentibaldus homo Imperatoris factus ſit. Verba eorum ſolum ſunt: *Imperator in terminis Noricorum & Sclavorum cum Zwentibaldo colloquium habuit.* Hac Pannoniæ acceſſione cumprimis enatum eſt illud *Magnæ Moraviæ* nomen, quo dein paſſim niſi Scriptores Græci, maximeque Conſtantinus Porphyrogenitus in ſuo de adminiſtrando imperio libro. Porro cum ſupra in Annalibus Fuldenſibus memoria montis Comageni (qui ibidem perperam Comianus vocatur) facta ſit, libet eruditiſſimam Hanſizii de ſitu hujus montis commentationem exſcribere: *Erat mons Comagenus reſpectu Tullinæ ab oriente, uti conſtat ex diplomate Ludovici Pii dato Patavienſi Epiſcopo Reginario, quo concedit ei territorium „ in orientali plaga a caſtello Zeizennurus usque ad „ pendentem lapidem in ora montis Comageni, in occidentali autem usque ad „ acervos ſitos inter Tullinum & ipſum caſtellum.„ Ex quo facile eſt decernere montem Comagenum eſſe ipſum montem Cetium, ſeu illam certe ejus partem, quæ ad occidentem vergit, & Tullinam reſpicit. Anterior enim ſeu orientalis Cetii montis pars videtur dediſſe nomen, aut ſi malis accepiſſe ab oppido Cetio, occidentalis autem ab oppido Comagenis, a quo & alter denominatus ſit mons occidentalior, qui vetuſtis etiam Scriptoribus appellatus Chumberg hodie Chaumberg ſupra Tulnam oppidum ad Holenburgum.*

Lambec. Bibl. Vindob. l. 2. c. 5. p. 354. Kollar. Analecta Vindob. T. I. p. 515.

Hanſiz. Germ. ſac. T. I. P. I. p. 14.

III. Proferunt hoc anno iidem Annales Brazlavonem Slavorum Ducem, quem a Carolo Craſſo regnum inter Dravum & Savum in beneficium accepiſſe ajunt, verba ſunt: *Poſtea venientes Brazlavonem* (alibi legitur Brazlavone) *Duce, qui in id tempus regnum inter Dravo & Savo fluminа tenuit, ſuique militiæ* (Caroli Craſſi) *ſubditus adjungitur.* Hunc Brazlavonem ſeu Wratislaum Stredovskius facit filium Hezilonis filii Prinninæ, quod quidem nonniſi ex conjectura dicere licet, cum Prinnina & Hezilo iſthic ſuas poſſeſſiones habuerint. At licentius egit, cum Fridericum Patriarcham Aquilejenſem ejusdem fratrem, nepotemque Prinninæ fecit ſine ullo veterum indicio, hocque ipſo anno in Patriarchatum Aquilejenſem ſublevatum fuiſſe confidenter adſtruxit. Quæ Aquilejenſium rerum Scriptoribus diſcutienda relinquimus. Illud etiam ex Balbino ad hunc annum ſpectare videtur: qui cum prius dixiſſet ſe ignorare, quo anno condi cœperit urbs Przibramum, tamen poſterius epocham illius ad hunc annum defigit, ſic vero ille: *Ædificari cœpit A. D.*

Annal. Fuld. ad h. a.

Stredovsky l. 3. c. 10.

Balbin. Hiſt. S. Montis l. 2. c. 2.

D. 884. a Dynaſta Przibiko uno e Klenowskiorum majoribus, in ſub monte Przibramenſi, quem Trzebuſſnice appellant, virgam argenteam altiſſimam ſponte e terra creſcentem repererat. Quibus verbis lubens eam, quam par eſt, fidem deferrem, modo Balbinus authoritatem aliquam veterem allegaſſet. *Idem ibid. Aubario I. p. 110.*

ANNUS 885.

Nulla major reipublicæ, Principisque infelicitas, quam conſiliarii ſeu pravi, ſeu rerum gerendarum prudentia non præſtantes: ea peſte pulſatus hoc anno Mſtibogius facilem peſſimis conſiliis præbebat aurem, nam omnem dat operam ſuis proferendis finibus, demendisque Wiſſehrado, ut volvocis inſtar alienum pampinum (quod in eo nidificaſſet) ſibi vendicantis jam unum aliquod Wiſſehradenſe prædium, jam finitimum agrum, interdum vicum cum molis ſola adreptione ſibi uſurparet. Quæ tametſi levia per ſe, nec ſatis viderentur digna, quamobrem amicitia inter fratres ſolveretur; tamen quia longius proſpectantibus gravioris flammæ videbantur ſcintillæ, placuit incendium in favilla opprimere, miſſisque nunciis publicis Mſtibogium initi fœderis commonefacere. At ille omnia nunciis largiſſime pollicitando, & nihilo minus alienæ ditionis agros vicosque occupando, nempe verba dabat. Quibus artibus demum intellectis exercitum Hoſtivitus in perduellem fratrem emiſit ducibus Sskramiko & Skwow viris fortibus ac ſtrenuis, qui cum in eo jam eſſent, ut poſitis Kurimium inter & Witicium caſtris hoſtis regiam ac ſedem oppugnarent. Mſtibogius armatorum multitudine territus, & quod

Mſtibogius Wiſſehradenſes agros populatur.

Territus vi

ab

arma fratris supplex. ab annona militibusque flagitiose imparatus esset, non ausus periclitari oppugnationis fortunam conscenso celeriter equo sine comite Wissehradum venit, ac fratri Principi ad pedes advolutus, errati veniam supplex popposcit. Ferunt visa fratris abjectione Hostivitum memorem humanæ vicissitudinis clare ingemuisse, abjectoque ad genua fratri amplexus inter & veras lacrymas præteritorum gratiam ex animo feciisse belli ducibus sine mora ex hostico revocatis. (a)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXXV.

STEPHANI V. PAPÆ 1. CAROLI CRASSI IMP. 6. HOSTIVITI 13.

(a) De rebus his gestis ne quidem Dubravius quidpiam protulit, sed a Sukoslai supplicio ad Mstibogii bellum, inflammante Wrssovecio in Moravia susceptum, transit, quod Hagecius annis duobus posterius recensct. Scilicet procul dubio Hagecio argumentum & materia defuit his annis quidpiam apponendi.

PRÆTERMISSA.

I. Pacem, quam superiore anno Carolus Crassus Imperator cum Zuentibaldo præsentibus Slavorum Principibus ad montem Comagenum iniit, firmavit præsente anno Arnolfus (quem Pannoniæ & Carentani Ducem appellat Hermannus Contractus) cum Principibus Bajoariæ, testantur id Annales Francofuldenses his verbis: *Pax in oriente inter Arnolfum & Zwentibaldum, præsentibus scilicet Bajovariorum principibus jusjurando constare firmatur.* Plane simillima refert Hermannus Contractus: *Pax inter Arnolfum Carentani & Pannoniæ Ducem & Zwentibaldum Murahensem Ducem confirmatur.* Renunciatum procul dubio ab Arnulfo & Principibus Bajoariæ (e quibus passim deligebantur erantque Comites Limitanei Pannoniæ) omni juri ac prætensioni in Pannoniam, isque terrarum tractus Zuentibaldo permissus; quod quanquam ex verecun-

Ad h. a.

dia

dia aliqua claris verbis enarrare prætermiſerint Annales Francici, at certum id eſt ex hiſtoria annorum conſequentium, nec diffitentur id germani quique poſteriores ſcriptores. Hanſizium ea de re loquentem audire libet: *Demum anno 884. Caroli Regis interventu, qui ad orientem ipſe profectus prope flumen Tullinam monte Comiano colloquium cum Zuentibaldo habuit: conventa pax, Arbone in præfecturam repoſito, & Pannonia Zuentibaldo permiſſa, quæ inde dicta Moravia magna: quam in poteſtate Zuentibaldi fuiſſe, vel inde colligitur, quod annis abhinc aliquot Arnulfus legatos ſuos ad Bulgaros mittere terreſtri itinere ob inſidias Zuentibaldi haud potuerit: coactus eos mittere per Regnum Brazlavonis, quod inter Dravum & Savum erat: qui profecti per fluvium Odogra usque ad Gulpam, dein per Savum, quæ omnia nos docet Annaliſta Fuldenſis.* Hactenus doctiſſimus Hanſizius. Id tamen nuſpiam apud veteres proditum Arbonem ſtatim poſt pacem hanc initam in præfecturam Comitatus limitanei repoſitum. Scio quidem id paſſim ab Authoribus aſſeri, & a Sigismundo Calles in rei hujus teſtimonium adferri locum Annalium Fuldenſium a nobis pridem relatum. *Hoc ergo factum eſt poſt obitum Hludovici Regis, natorumque ejus Carlmanni & Hludovici, quorum ſucceſſor frater illorum minimus in regno exſtitit, qui mox, prout antea tenuit, Arboni prædictum Comitatum reddidit.* Verum ad annum 876. jam indigitavimus locum hunc Annalium admodum perplexum eſſe, & procul dubio mendoſum, ita ut legendum ſit: *Hoc ergo factum eſt poſt obitum Hludovici.* Scilicet quod Annaliſta Fuldenſis de expulſione Arbonis per filios Willihalmi & Engelſcalchi præmiſit. Supplendum deinde ſit: *Poſt obitum vero natorum ejus Carlmanni & Hludovici &c.* quo tempore Arbo reſtitutus eſt in Comitatum per Carolum Craſſum, & quidem *mox*, ut dicit Annaliſta; per quod haud aliud innuere voluit, quam mox a principio, cum ſucceſſor in Regno factus, ſcilicet anno 882. ut ibidem annotavimus. At evicit filiorum iſtorum importuna deprecatio Caroli Craſſi animum, ut denuo eis Comitatum contra Arbonem concederet, quod his verbis teſtantur iidem Annales ſupra citati: *Igitur eodem anno, quo illi pueri prædictum comitem Arbonem a Rege commendatorum exortem fieri honorum impetraverant, Zwentibaldus &c.* ubi impetratio Comitatus a pueris ſub Carolo Craſſo obtenta diſtinguitur a violenta occupatione, quam poſt Ludovici ſenioris Germaniæ Regis obitum attentarant, nec enim per *Regem*, quem iſthic nominat Fuldenſis Continuator alius intelligi poteſt, quam Carolus Craſſus, cum id poſt mortem Ludovici & natorum factum dicatur. Et certe haud mirum hoc mendum irrepſiſſe in hos annales, quando-

Hanſiz. Germ. ſac. T. I. p. 165

Calles Annal. Auſtr. l. 3. p. 206.

§. II.

Annal. Fuld. ad An. 884.

quidem Annaliſta Fuldenſis hoc plane loco Annales ſuos abſolvit, quemadmodum & Bertinianus, ita ut illi quatuor verſiculi de Pannoniæ calamitate interſerti jam ſint a Continuatore horum Annalium. Ceterum anno 898. Arbo rurſum Comes cum filio Iſanrico legitur, qui inter filios Suatopluci Moymirum & Suatebogium ea perniciosiſſima excitavere diſſidia, unde Moravici Regni everſio profluxit. Quem Arbonem cum præſente unum eundemque eſſe hiſtorici non dubitant. Notitia brevis Veteris urbis Vindobonæ quæ his diebus prelum deſeruit, Arbonis hujus mortem ad annum 904. defigit ita ſcribens: *Anno* 904. *mortuus creditur Arbo limitis nunc ex parte Comes.* Contra Adelzreiter ad annum 1002. inquit: *Hoc anno Arbo Carantanorum Princeps, Bajoariæ olim Palatinus grandi ſenecta mortalitatem exuit.*

Annal. Fuld. ad An. 898.

pag. 32.

Adelzreiter P. I. l. 19. *eolum,* 901.

ANNUS 886.

Superior, ut vidimus, inter fratres inſtaurata pax, quo firmior erepto inimicitiis aditu coaleſceret, filiisque ducatus tranquillior utrinque relinqueretur, Hoſtivitus omni ratione laboravit. In montem Neklaſovinam, (a) ita a patribus noſtris appellatum, fratres conſtituto ad colloquium die profecti, poſt multas ultro citroque amicas diſceptationes animum inclinarunt ad circumſcribendum certis finibus, quos violare alterutri eorum nefas eſſet, utrumque Principatum. Ad eam rem mutuis ſumtibus conficiendam miſſi cum decempedis metatores, poſteaquam decrevissent, quatenus territoria fratrum pertinerent: ductis inter illa foſſis (eæ foſſæ terminorum vice erant) inſtratisque deſuper in transverſum pontibus, provinciarum limites ex æquo deſcripſerunt, adeo ut ab illo die Mſtibogius integram cum fratre deinceps amicitiam, quoad vixit, coluerit.

Principatus Wiſſebrad. & Curimenſ. certis limitibus circumſcribuntur.

Dum

Dum ſic in Boemia læta triſtibus mutant, cognata interea Polonia ſub Semovito clariſſimo Principe perpetuo felicitatis tenore florere cœpit. Erat huic Principi etſi melioris doctrinæ inopia idololatræ, animus tamen recti tenax, juſtitiæ cultor, non voluptatibus fractus, non divitiis corruptus, quique Chriſtianæ diſciplinæ ſeveritatem paſſurus videbatur, ſi præſto fuiſſent, qui tam felicis indolis agrum ſubigerent. Ob has aliasque egregias virtutes pulcherrimum Patris Patriæ nomen apud ſuos conſecutus. (*b*)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXXVI.

STEPHANI V. PAPÆ 2. CAROLI CRASSI IMP. 7.

HOSTIVITI 14.

(*a*) Pater noſter Victorinus hunc montem haud procul Wiſſehrado frequenti Principum ſeceſſu, graviſſimisque conſultationibus inclytum vocat. Balbinus tamen eum in ſyllabo montium ſuorum prætermiſit. Hagecius ejus ſitum in regione Curimenſi reponit, ubi ait ſub Boleslao Sævo cæſos ab Hunnis Bohemos peremto eorum belliduce Zwikoſch, alioque Mavortio viro Hlawacz cognominato.

P. Victor. Mſ. ad hunc locum
Balbin. Dec. I. l. 1.
Hagec. ad An. 956.

(*b*) Is teſte Kadlubecio Piaſti Sarmatiæ Ducis ex Rzepica fuit filius. Ejus laudes paſſim omnes ſcriptores Poloni proſequuntur, commendaturque cumprimis a virtute bellica, qua multas ditiones a Popilio amiſſas vindicavit. Ceterum ejus regimen paſſim cum Hagecio in Arnulfi tempora rejiciunt ſcriptores Poloni. Diſſertatio Genealogica plane obitum ejus ad annum 892. adnotat, quanquam veteriores omni nota Chronologica careant. Si is tam bellicoſus heros fuit, fortaſſis hoc fortitudinis merito nomen ſuum invenit, nam *Zemovit* veteri Slavica lingua patriæ victorioſum militem connotat.

Vincent. Kadlubek. de geſtis Polon. l. 2. epiſtol. 3.

PRÆTERMISSA.

Hoc anno nec in ſacris nec profanis notatu dignum occurrit, quod ſeu ad gentem noſtram ſeu finitimas terras ſpectaret, ſi id ſolum excipias Carolum Craſſum in vicina nobis Ratisbona Natalem Domini egiſſe; nec vero ibidem ulla memoria: ſeu Bohemorum ſeu Moravorum legationem adfuiſſe. Stredovskius, neſcio, quos labores Apoſtolicos S. Methudii in Bohemia, imo quotidianas pene conciones in Eccleſia Teynenſi ante lætam Curiam Pragæ ad annum hunc reponit, ſed præ incertis ejusmodi, imo cum Chronologia pugnantibus nobis verba apponere libet Annaliſtæ Fuldenſis, qui ad annum 875. hiſtoria deſtitutus candide ſcribit: *Quia certum latorem* (certa inquam monumenta) *non habui, ſcribere nolui. Melius eſt enim tacere quam falſa loqui.* Quod utinam ſuperioris ætatis hiſtorici ante oculos perpetuo habuiſſent, non hodie tot commenta, ſubleſtaque in hiſtoriis legeremus, nosque magna laboris parte deliberaſſent, utne ubivis pene eorum narratis bellum inferre, lectoremque admonere cogeremur, ne ea civitate hiſtoriæ donata ſibi perſuadeat.

Annal. Fuld. ad h. a. Stredovsky l. 3. c. 11.

ANNUS 887.

Nonnulli e Wrſſoveciorum progenie, iique & facultatibus & auctoritate plurimum pollentes hoc anno novarum ſeditionum auctores incentoresque exſtitere. (a) Erant vero iſti quidam furculi famoſi illius Comitis Wrſſowecz, (b) qui ante annos quinquaginta ſeptem ſupra centum non procul Wiſſehrado vicum Wrſſovecz tenuerat, inter Equeſtrem Bohemorum ordinem primi ac præcipui auream naſſam in rubro campo gerentes pro clypeo. (c)

Wrſſoveeenſium ſeditio

Hæc turbulentiſſima capita in vicino urbis Launæ prædio Sytolib conciliabulum iniere, (d) quod eo valebat, ut modum artemque exſculperent Przimislæam ſtirpem radi-

Eorundem conciliabulum.

ci-

citus evellendi, Ducatumque Wiſſehradenſem generi & ſtirpi ſuæ vendicandi. Conſultatione inter plena ſeditionum verba in biduum producta, id certum deliberatumque uniuscujusque animo definitum eſt: Principem Hoſtivitum ſeu ſua ſeu alterius opera parricidali veneno, enſeve tollendum eſſe. Cui ſceleſtiſſimo propoſito, ut quædam initia jacerent, ſimulque viam ſternerent facilius exequendo, collatis ſumtibus magnificum caſtrum cum urbe, cui nomen Wrſſowecz indidere, (e) flumini Egræ adædificant, in eoque Dluhoslaum Wrſſovecium filium Borbogii de Rziwan cum imperio præficiunt. Ceteri, factionis nempe capita, Helbojus, Zbislaus, Horſſekus equis velocibus ad Mſtibogium Curimenſem Ducem properant eidem perſuaſuri: rumperet cum fratre cultam tantisper pacem, belloque eum laceſſere occiperet. Is vero ſceleratorum ingeniorum ſcopus erat, ut evocato utroque in aciem Duce tempus locusque eſſet technarum ſecurius cudendarum in amborum necem, ac demum eorundem heredum fortunam pro arbitrio verſandi.

Wrſſowecz caſtrum condunt

Sed fefellit temeraria conſilia exitus, nihil enim ſeditioſiſſima oratio profuit ad irritandum Mſtibogii adverſus fratrem animum. Igitur alio temonem vertere oportuit. Erat Mſtibogio a ſecretis intimisque conſiliis Proſtiwodus paſſim Chratinæ (f) vitam degens, huc igitur omnis ingenii vis, ut animum iſtius expugnarent, converſa. Argumenta ad perſuadendum aptiſſima inventa: quam levis res operæ, quam contra ſummæ gloriæ futura eſſet fines Curimenſes protendiſſe, ad hanc gloriam utilitati conjunctam

utraque parte campum latiſſimum patere: nam ſi fortaſſis religio Mſtibogium dehortaretur contra fratrem moliri quidpiam, at nihil obſtare, quo minus id contra Moraviæ Regnum, ſe ſe adjutricem manum porrigentibus, fortiter auderet. Victus ejuscemodi falſæ ſpeculæ illicio Proſtiwodus ſe ſe totum convertit ad inflectendam *Principis* voluntatem alioquin gloriæ cupiditate ſauciam, quæ tantæ commodorum laudisque ſpei ultro ceſſit. Nec mora tumultuarie collectæ turmæ per Moraviæ regnum graſſari jubentur. Tenebat tum imperio vaſtiſſimas Moravorum gentes Suatoplucus (*g*) opibus, armorumque potentia inclytus heros. Is, quod obſcuri nominis hoſtem momenti non faceret, ſatis in præſentia ratus regni fines conſuetis præſidiis firmare, paucosque e ſuis emittere, qui graſſandi libidini modum facerent, de ſumma belli in utramque aurem dormiens. Verum ut temere ſemper hoſtis, quantus quantus ille eſt, contemnitur, Mſtibogius limitanea Moravorum præſidia emiſſasque cohortes non magno certamine fugat paucis cæſis, plerisque captis, quos omnes in vinculis Wiſſehradum miſit ſeu victoriæ oſtentator, ſeu verius, quo fratrem tam lætis initiis in belli ſocietatem pelliceret. At Hoſtivitus, ut erat ſanctus & alienus ab injuria, confeſtim demi vincula captivis juſſit, recreatosque cibo in patriam remiſit. Exarſit principio nonnihil ad lenitatem tam intempeſtivam fratris Mſtibogius, at mox cum ſarcaſmo ad ſuos dicere: „ Egre„ gie ſane munificus eſt aliena liberalitate frater noſter, ſed „ dabimus operam, ut tot captivos propediem accipiat ho-

Incendunt Mſtibogium contra Moraviæ Regem.

Mſtibogius Moraviam populatur.

„ mo

„ mo ſuavis, quot alere ſi item de publico pergat, næ illi „ cito horrea deficiant, næ ille tanto tranſuehendo numero „ haud par ſit. „

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXXVII.

STEPHANI V. PAPÆ 3. CAROLI CRASSI IMP. 8.

HOSTIVITI 15.

(a) Dubravius totum id uni adſcribit Wrſſovecio, qui ſupra Sukoslaum irritaverat. *Dubrav. l. 3.*

(b) De eo actum P. II. p. 139. noſtrorum Annalium.

(c) Balbinus de Wrſſoveciis ita commentatur: *Wrſſovecii cum aurea naſſa Comites cum Czecho advenere, poſtea inter Barones, quidam etiam inter equites numerati. Errat Miechovius, qui Wrſſovecios argumento nominis urſum, cui virgo inſideat, in clypeis geſtaſſe commemorat, non enim Wrſſovecii a latina voce urſus, ſed a Slavica & Bohemica* Wrſſ, *quæ vox naſſam ſignificat, ſunt appellati, ut Illuſtriſſimus Comes Jaroslaus Sekerka Wrſſovecius Patronus & amicus meus in Genealogico ſuo opere nuper a ſe vulgato, publicis Regum ac Principum literis demonſtravit.* At in eo toto opere, quod Pragenis typis excuſum eſt, exſtatque in Bibliotheca AA. RR. PP. Auguſtinianorum Diſcalceatorum Neo-Pragæ, nullum legitimum documentum deprehendo, quo ea probarentur, quæ hic Balbinus aſſerit. Oſtendimus jam Parte II. p. 147. eum clypeorum uſum ſæculo illi præſentique necdum fuiſſe cognitum. In Wrſſoveciorum noſtrorum ſigillis paſſim ſecuris comparet, ut malim potius Guagnino fidem adhibere ita ſcribenti: *Wrſſovecius magnis a Polonia Rege* (Crivovuſto ſeu diſtorto) *decoratus muneribus, ſtemma Oxa dictum* (nempe ſecurim) *accepit, & in magnum familiam exercvit.* Nam Boleslaus hic ſæculo duodecimo floruit, quo clypeorum hereditariorum uſum cepiſſe crebro monuimus. Confer ea quæ citata P. II. p. 144. ex Paprocio attulimus. *Balbin. Epitome l. 3. c. 5. p. 186. Miechovius l. 2. c. 5.* *Guagninus in Boleslao Diſtorto.*

(d) De ea re ne verbum quidem Dubravius: Sytolib hodie ſuper-

pereſt in finibus regionis Satecenſis inſigni arce Excellentiſſimi Comitis Erneſti a Pachta conſpicuum, vix medio lapide Launa remotum.

(*e*) Neque de eo loco quidpiam Dubravius: ſupereſt & iſte locus prope Launam e læva Egræ fluminis ripa ad regionem Litomericenſem hodie ſpectans, arce inclytus Sereniſſimi Marchionis Baado-Badenſis.

(*f*) Hujus nominis locum non invenio in regione Curimenſi, niſi Chraſt, Chraſtian, aut Chraſtna ſit.

Dubrav. l. 3. (*g*) Dubravius addit: abſentem fuiſſe Suatoplucum. Nam *ad Cæſarem profectus erat, cui adeo commendatus fuerat, ut Cæſar filium ejus Suatobogium e ſacro fonte levaverit.* Sed de his omnibus ante Dubravium & *Jordan. Orig. Slav. c. 29. §. 26 Stredovsky l. 3. c. 11.* Hagecium nemo veteriorum verbum. Quare miror Jordanum, qui, cum hiſtorias has pro certiſſimis acciperet, Chronologiam Hagecii ex Weleslavino & Peſſina emendare fruſtra laborat. Hoc vero Moravicum Ducis Curimenſis bellum pro arbitrio ſuo amplificavit Stredovskius.

PRÆTERMISSA.

I. Magnam imperii viciſſitudinem vicinæ genti noſtræ regiones *hoc* anno expertæ, nam dejecto Carolo Craſſo, exutoque ſuis ditionibus Arnulfus in Regem aſſumtus. De eo breviter auctor Chroni- *Apud Pagium ad h. a. N. I.* ci Normannici: *Franci Auſtrales videntes Imperatoris vires ad regendum imperium invalidas ejecto eo de regno Arnulfum filium Carolomanni, qui ejus erat nepos, in regni ſolio ponunt.* *Ad h. a.* Copioſius rem narrant Annales Metenſes: *Imperator corpore & animo cœpit ægrotare. Menſe itaque Novembri circa tranſitum S. Martini, Triburias venit, ibique conventum generalem convocat. Cernentes vero optimates Regni non modo vires corporis, verum etiam animi ſenſus ab eo diffugere, Arnulfum filium Carlomanni ultro in Regnum attrahunt, & ſubito facta conſpiratione ab Imp. deficientes, ad prædictum virum certatim tranſeunt: ita ut in triduo vix aliquis remaneret, qui ei ſaltem humanitatis officia impenderet. Cibus tantum, & potus ex Liutberti Epiſcopi ſumtibus adminiſtrabatur.* Ad quam vero egeſtatem ex ſumma affluentia præcipitatus fuerit hic Imperator, perſequuntur iidem Annales: *Mittit ergo ad Arnulfum, ex Imperatore effectus egenus, & deſperatis rebus non de Imperii dignitate, ſed de victu quotidiano cogitans, tantum alimentorum copiam ad ſubſidium vitæ*

præ-

præſentis ſupplex expoſcit. Annales Lambeciani ſupra nominatum Luitbertum Epiſcopum Archicapellanum Imperatoris hujus exauctorationis præcipuum authorem ſtatuunt, eo quod Carolus ſublatis beneficiis cum dedecore eum de palatio expulerit, *Qui*, ut Annales hi loquuntur *in Bajoariam ad Arnulfum ſe contulit, & cum eo machinari ſtuduit, qualiter Imperatorem Regno privaret, quod & factum eſt. Nam cum idem Imperator in villa Tribure conſedisſet, ſuorum undique opperiens adventum, Arnolfus cum manu valida Noricorum & Sclavorum ſupervenit, & ei moleſtus efficitur. Nam omnes optimates Francorum, qui contra Imperatorem conſpiraverant ad ſe venientes in ſuum ſuſcepit dominium, venire nolentes beneficiis privavit, nihilque Imperatori, niſi viliſſimas ad ſerviendum reliquit perſonas.* Supplementum Annal. Fuld. Pithæan. addit: *Carolus nitens bellum contra Arnolfum Regem inſtaurare, ſed non proficit.* Has inter Slavorum copias etiam fuiſſe Zuentibaldi Moraviæ Ducis militem non dubitat aſſerere Clariſſimus Aſſemanus, ipſumque Zuentibaldum cum Brazlavone Duce ad partes Arnulfi tranſiiſſe, quod poſteriorum annorum geſtis fuſe probat, cui nec ego repugnare velim. At erat hæc ſemper Arnulfum inter & Zuentibaldum ſimulata amicitia; nam ereptam Pannoniam nonniſi limis intueri poterat oculis, quare quod vivo Zuentibaldo non potuit, poſtea demortuo in ejus filiis exequi conatus eſt, ut advocatis Hungaris cum erepta Pannonia totum Moraviæ Regnum deturbaret, nec tamen citra proprium periculum & damnum, cum mox Hungari totam Bajoariam plurimasque Germaniæ regiones vaſtarent.

Bibl. Vindob. l. 2. c. 5. p. 358.

Aſſeman. T. III. P. 1. c. 2. p. 98.

II. Ad hunc annum adjicienda criſis Eminentiſſimi Cardinalis Baronii: *Eodem anno* (videlicet ſequente) *occaſione novi Regis Arnulphi celebrata eſt ſynodus Moguntina, de qua illud primum conſiderandum eundem Arnulphum nunquam ab antiquis ſcriptoribus Imperatorem eſſe nominatum, ſed ſemper Regem, eo quod nefas eſſet Imperatoris nomen aſſumere, niſi illud eſſet ab Apoſtolica ſede collatum: quamobrem perperam agere convincuntur, qui ſtatim poſt obitum Caroli Arnulphum nominant Imperatorem tanquam heredem Imperii.* Verum quidem eſt Arnulphum ab antiquis coævis, & viciniſſimis non appellari Imperatorem ab eo ſtatim tempore, quo exauctoratus Carolus Craſſus; at ſæculi XIII. & XIV. ſcriptores creberrime ei Imperatoris nomen a Germaniæ occupato regno vendicant, quanquam ultro fateamur eidem hunc titulum non competiiſſe. Quod prænotandum fuit ob Borzivogii Ducis noſtri baptiſmum, qui paſſim ſub Arnulfo Imperatore a patriis noſtris ſcriptoribus accidiſſe memoratur, ut ii itaque

Baron. ad An. 888. N. 3.

per anteoccupationem titulum hunc illi tribuerint. Ceterum Arnulphum se jam ab hoc ipso currente anno 887. scripsisse Regem sine ulla adjectione in Diplomatibus, testimonio est illius diploma datum Abbatiæ Labensi anno sequente Kalend. Decembris, quem annum secundum Regni sui vocat. Sic vero habet: *Anno secundo Regni Domini Arnulphi Regis. Asdilgus ad vicem Theotmari.*

Miræus Notit. Eccl. Belg. T. I. c. 21.

Stredovsky l. 3 c. 11. p. 337.

Unde vero hæc acceperit Stredovskius, dum confidenter ad hunc annum scribit: *Suatoplucus firmato a Confiniis Bohemiæ limite, Arnulpho affini in Imperatorem apud Germanos recens in Novembri electo, & ex interiori Germania Ratisbonam reduci obviam processit, ut ei felicia Imperii auspicia precaretur: a quo juncta dextera, summa cum benevolentiæ significatione exceptus est, ac per festa Dominici Natalis, Epiphaniæque Ratisbonæ detentus, lauteque habitus*, quis Oedipum agat? imo anno primum sequente Natalem Domini Ratisbonæ celebrasse Arnulphum, ibidemque Sclavos adfuisse narrat Annalium Francofuldensium Continuator.

Ad An. 888.

ANNUS 888.

Mstibogio nunciatur magnos per Moraviam militum delectus fieri, regemque Suatoplucum primo quoque tempore bellum in Bohemiam deportaturum. Perculsus his nunciis legatos ad fratrem Hostivitum mittit auxilia rogatum, quibus is breviter respondit: „ Rerum „ æquitatem haud admittere, ut minime læsus provocatus„ que se alieno bello ingerat, præsertim cum frater *nulla* „ injuria a Moravorum Rege lacessitus non tam necessario „ quam temerario bello se intricasset. Non deseram, in„ quiebat, nihilominus, ubi fratrem periclitantem cogno„ vero, paratasque eum in casum futuras nunciate copias. „ Imo si opus fuerit vita & sanguine ejus fortunas tuiturum. „ Non latuere ea molimina Suatoplucum; quare extemplo non mi-

Mstibogius ab Hostivito auxilia petit contra Suatoplucum.

minimum ex tyronibus agmen conficit, ac cum imperio emittit, ut per Curimenſem agrum graſſentur. Præfectura, data ſtrenuis bello ducibus Noſislao, (a) & Rozchowcio, qui ad Kalendas Martias populabundi ſe ſe in Curimenſem provinciam effudere. At vero miſerabilis erat ea expeditione Moravorum conditio, nec felicior agminis facies: aduſti frigoribus plerique, torpentia gelu corpora, homines fame femineces, propterea quod inſolita frigora permixtis vernis imbribus languore & laſſitudine plerosque confecerant. Comperta hoſtilis exercitus calamitate placuit Mſtibogio copias bipartito diſpeſcere: alterum agmen Chrudo viro impigro traditum, ut circumſeſſum per montana Moravum ex inſidiis acciperet, fugituroque exitum præcluderet, alterius ſummam penes ſe ipſum eſſe voluit. Nec mora Chrudus accelerato itinere caſtra metatur infra Ohebianorum montium juga, ipſe Mſtibogius cum veteranorum cohortibns ad Starkoczium (b) aſſecutus hoſtem prælium cum Moravis committit. Tanta animorum deſperatione pugnatum eſt, ut ſemel atque iterum mota loco acie referre pedem, ſeque in tutum recipere coactus ſit. Tertio a pugna die poſt reparatas copias acceptaque nova Czaslavienſium & Malinenſium auxilia Starkoczium redit Mſtibogius iterum manum conſerturus. Sed jam Moravi conclamatis vaſis Rudovium (c) caſtra tranſtulerant. Eam merito timiditatem ratus Mſtibogius, quoquo demum loco exquirendum eſſe hoſtem cum animo ſtatuit. Nec Rex Moraviæ novis ſuppetiis exercitum ſuum fulcire diſtulit. Verum antequam Mora-

Pugna inter Mſtibogium & Moravos.

vorum acies juſto partitæ ordine conſiſterent, jam ſe velut turbine circumdatas, & a Mſtibogii cohortibus impeti, premique animadvertere. Nec deſideravit ſtrenue agens Princeps Chrudi operam, quam non modo celerem ſed & peropportunam reperit, adeo ut hoſtiles copiæ penitus delerentur, Mſtibogiusque inter triduanas triumphales acclamationes arenam tueretur. Alter Moravorum exercitus, *nulla* certa nuncia a ſuis habens exploratoribus, nec acceptæ graviſſimæ cladis gnarus Rudovium properat, ac non longe ab eo loco caſtra metatur, ratus ſuos iſthic infeſtis contra hoſtem ſignis conſiſtere. Quod ut temporum rerumque circumſpectus Chrudus ſpeculatus eſt, illico ſuos ad novæ victoriæ cupiditatem inflammat, atque eo usque progreditur, dum hoſtem univerſum in conſpectu habeat. Alia parte Mſtibogius cum ceteris turbis ſe ſe e monte Skalyk demittens per ſilvas impreſſionem facit. Canentibus jam per omnes Curimenſes acies claſſicis ſtat ſtupefactus nihilque tale proſpectans animo Moravus, ac tandem fero ſenſit hoſtem adeſſe, ſibique ſeu dandum ſeu hauriendum ſanguinem. Inde ſtrages verius, quam pugna fuit, urgente præſertim terga hoſtium jam vinci facilium Chrudo, & novitio milite pugnantis a fronte veterani juſtam iram æmulante. Magna hoc certamine allata clades Moravis, (d) duplicique Bohemorum victoria locus factus memorabilis. Nam victor Mſtibogius iſthic ad torrentem villam Boganow (e) felicis utriusque pugnæ monumentum egregio opere conſtruxit.

Cæduntur Moravi.

Rurſum cæduntur.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXXVIII.

STEPHANI PAPÆ 4. - - -

HOSTIVITI 16.

(*a*) Dubravius addit a vico Noſislavia in Moravia ſito ita appellato. *Dubrav. l. 3.*

(*b*) Vicus templo inclytus hodie ſupereſt in Czaslavienſi regione uno lapide Czaslavia verſus occidentem remotus. At hujus loci non meminit Dubravius, quem tamen præ manibus habuiſſe Hagecium pene adducor, ut credam.

(*c*) Et is vicus in eadem regione hodie perſtat ad limites provinciæ Chrudimenſis.

(*d*) Dubravius nonniſi unius cladis mentionem facit. Ceterum totum hoc Moravicum bellum tam incertis tabulis profectum eſt, atque alterum, quod hoc anno cum Moravis eorumque Rege Suatopluco a Polonis geſtum ſcribunt recentiores quique rerum Sileſiticarum Chronographi Joannes Schramius, Nicolaus Henelius aliique, qui vel ex eo dubiam fidem hujus belli produnt, quod alii a Piaſto, alii a Semovito geſtum affirment, cum nec Vincentius Kadlubek nec Boguphalus patres hiſtoriæ Polonæ Moravorum meminerint. *Schram. in Geneal. Duc. Lignic in Semovito Henel. Annal. Sileſ. in Piaſto.*

(*e*) Per Boganow veroſimillime Hagecius hodiernum vicum Bogenau intellexit, qui non longe a quopiam torrente remotus, Rudovio *vero* prope duobus lapidibus diſſitus eſt. Ceterum a majoribus noſtris arenam prælii appellatam fuiſſe Boiſcze prodit Vincentius noſter. *Monumenta inedita Boh. T. I. p. 91. 92.*

PRÆTERMISSA.

I. Pace inter Arnulphum & Suatoplucum conſtituta ſteriles ad hos annos ſunt Annales Francici, nec aliquid ad hiſtoriam patriam ſpectans, ſi Slavorum hoc anno Ratisbonæ memoriam excipias, in iis eſt deprehendere. Sunt vero hæc Continuatoris Annalium Francofuldenſium verba: *Rex Arnolfus urbe Radasbona receptis primoribus Bajovariorum,* *Ad h. a.*

rum, orientales Francos, Saxones, Duringos, Alamannos, magna parte Sclavorum Natalem Domini & Paſcha ibidem honorifice celebravit. Qui Slavi hi fuerint, nuſpiam expreſſum, at quiqui fuerint demum, haud alio fine iſtuc per legationes miſi, quam ut amicitiam cum Arnolfo renovarent, confirmarentque, nec enim illi aliquo nexu, ſi ſocietatem armorum demas, vicini Slavi fuere obnoxii, quare jam ſupra elidimus ad annum 880. illum Wolhardi Presbyteri Haſenrietani coævi locum de *quadri-modo* Arnulfi *dominio*, ex quo Eruditiſſimus Mabillonius ſervitutem ſubjectionemque Moraviæ atque Bohemiæ arguere conatus. *Profecto* ſi Arnulfo ea fuiſſet armorum vis atque potentia, is ante cetera omnia ereptam ſibi a Suatopluco Pannoniam vindicare contendiſſet. Verum quemadmodum Arnolfus poſt obitum Caroli Craſſi, qui hoc ipſo anno pridie Idus Januarii accidit, ſuſtinere debuit, ut ab Odone in perpetuum avelleretur Gallia, Guido filius Lamperti Ducis Spoleti Imperatoris nomen aſſumeret, magna pars Italiæ ſibi Berengarium Ducem Foro-Julienſem in Regem eligeret, Burgundia, Belgica provincia totidem in dominos diſtraheretur, ita (impari tot hoſtibus regnorumque ſuorum uſurpatoribus debellandis) plane convenerat amicitiam cum vicinis Boemis Moravisque colere, ne & hoc ipſo Germaniæ regno, quod unum ſolumque ei relictum eſt, exueretur. De hac regnorum diſtractione ita lamentatur Regino: *Regna, quæ ejus* (Caroli Craſſi) *ditioni paruerant veluti legitimo deſtituta herede* (Arnolfus enim ex illegitimo thoro natus erat) *in partes a ſua compage reſolvuntur, & jam non naturalem dominum præſtolantur, ſed unum quodque de ſuis viſceribus regem ſibi creari diſponit.* Quare etiam Luitprandus nusquam Boemiam aut Moraviam Arnulfo adſcribit, quamvis cetera potentiſſimum Regem appellet. Sic vero ille: *Per idem tempus Arnulfus Rex potentiſſimus defuncto Carolo prænomine Calvo Bajoariis, Suevis, Francis, Teutonicis, Lotharingis, audacibusque principabatur Saxonibus.* Quæ verba fere repetit Chronographus Saxo: *Principabatur autem jam dictus Arnolfus Bajoariis, Suevis, Francis orientalibus, & poſt mortem Caroli Calvi Lotharingiis, audacibusque Saxonibus.*

Mabillon. ſæc. III. Act. SS. Bened. P. II.

Regino ad h.a.

Luitprand. l. 1. c. 2.

Chronogr. Saxo ad An. 888.

II. Benjamin Leuberus ad hunc annum narrat: *Suatopluc a Sclavis Milcenis advocatus eſt in auxilium contra Saxones, cui Milzeni ſe ſuaque tradidere.* Quæ ſi Leuberus e veteri quopiam documento excerpſit, optime cum temporum horum hiſtoria conciliantur, nam ſupra ex Ditmaro oſtendimus locorum illorum vicinias olim Suatopluco paruiſſe. Porro Slavi hi Milzeni contermini erant Bohemorum, de quibus geographi-

Leuberus in Catalogo Comitum Marchionum Saxoniæ.

phice commentantem audire libet doctiſſimum Abbatem Gotvicenſem: *Milcieni, Milzeni, Milzavia, Milſia pagus Soraborum Venedorum ad confinia Ducatus Bohemiæ - - ſitus erat inter pagos Niſeni, & Luzici haud procul a Miſni vel Meiſen - - ita ut diſtrictus a fluvio Eliſtra ad dexteram Albis, ad fluvios Sprewam, Nizam & usque ad fluvium Queiſſum* die Gweiſſe, *vel ad confinia Sileſiaca (hodie ſuperior Luſatia appellata) Milzenorum ſedes & Marchia fuerit. - - Dividebatur autem Milzavia iſta in duas item Marchias nempe in Budiſſinenſem, quæ ex pago Budeſſin vel hodierno circulo ſeu diſtrictu Bautzano conſiſtebat, & in Gorlicenſem, quem non improbabiliter pro pago Nice vel pro circulo Gorlizenſi ad utramque ripam Niſſæ reputamus.* Minus probabilitatis habent, quæ de ſecundis nuptiis Wratislai Moraviæ Principis cum Bertha ſeu Jutta Hezilonis filia, de Privilegiorum Eccleſiæ Welehradenſis ſanctique Methudii in Archi-Epiſcopali ſede confirmatione ab Arnulfo (quem perperam jam Cæſarem vocat) facta copioſe narrat Stredovskius. Ejusdem generis ſunt, quæ Joannes Schramius de Semoviti Poloniæ Ducis bello cum Moravis hoc anno geſto ejusque claris victoriis refert. Imo quæ etiam his verbis recenſet Balbinus ex Fabricio: *Anno* 888. *Swendepoldus Moraviæ Dux Albis ripam infeſtat, & tanta damna infert, ut ne frugiferis quidem arboribus pepercerit.* Quibus antiquitas nuſpiam ſuffragatur.

Chron. Gotvic. l. 4. p. 682.

Stredovsky l. 3. c. 11. p. 337.

Schramius Geneal. Duc. Lignicenſium in Semovito.

Balbin. Epit. l. 1. c. 10. p. 86.

ANNUS 889.

Secundum hæc ter fortunata certamina plauſus & jubilus late omnia implebant per Curimenſem provinciam: primores collatis capitibus publicam ea de re gratulationem hoc fere verborum palpo Mſtibogio obtruſere: „ Amant te boni ſuperi Principum, qui unquam fuere, „ feliciſſime! e tuis inclytis facinoribus cognovimus Mar„ tem tibi inſpiraſſe animos fortitudinemque, ſupremique „ Jovis (a) eſſe conſilium, ut in regium eveharis ſolium, „ & Moravico paulo poſt redimaris diademate, quos duos „ dum fortunæ tuæ architectos habes, quid ni certatim con„ ſpi-

Publica de victoria gratulatio Mſtibogio defertur.

„ ſpiret cetera Deorum turba ad ſalutem gloriamque tuam?„ Inflatus tantis adulationum poppyſmis impotens ſui Mſtibogii animus jam nihil animo verſari quam Moraviæ imperium, imaginemque fugæ ſibi ob oculos ponere, quam ad ſui exercitus conſpectum timidus Moraviæ populus prehenſurus eſſet. Nec mora caſtrum Oheb (b) ſolidiſſimis *mœniis firmari*, omni frumenti, bellicique apparatus genere *in longum* tempus inſtruere cœpit, intemperanter jactans: hoc ſibi jam ſequente anno ſtabile futurum domicilium, unde perpetuis eruptionibus ac latrocinationibus ægre faciat Moravo, cogatque tandem faſtidioſum Regem, aliis delectis quæſitisque terris, ſibi Moraviam in ſpolium relinquere. *Minæ* iſtæ Suatoplucum, quanquam ampliſſimas terrarum poſſeſſiones teneret, tamen non levi terrore concuſſere, pro religione nihilominus ſua ſpem omnem atque auxilium *in* Chriſtum repoſuit, convocatis regni ſui proceribus imperium dando, ut caſtellis montium acceſſus, & aquarum vada (c) munirent, paratique eſſent contra omne periculum, quod regno a Curimenſium paganorum ſcelere impenderet. (d)

Oheb caſtrum munitur.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCLXXXIX.

STEPHANI V. PAPÆ 5.

HOSTIVITI 17.

(a) Male rurſum Hagecius hæc Deorum nomina hiſtoriæ Slavorum adaptavit. Nam ſi etiam admittimus Slavos aliquam Mythologiæ rationem traxiſſe a Græcis, at certe aliis non ni-

nibus Deos ſuos impertivere. Quem e Diis Slavicis nonnulli ſuſpicentur Martem fuiſſe ſupra innuimus; at vero Deum fulminis, quo nomine paſſim Jupiter audit, vocabant Slavi *Occopirnum*, quaſi dicas *patrem fulminis*. *Oc* enim, hodie Otecz, patrem, Perun fulmen connotabat. De nomine, etymo, figura, cultu, ſymbolis hujus Slavici Dii copioſe egit Abrahamus Frencelius. Alii Deum hunc ſimpliciter *Perun* appellant, de quo inter alios Ignatius Kulczinsky in ſpecimine Eccleſiæ Ruthenicæ. Officium Ruſſicum de S. Wladimirio ſeu Baſilio primo Rege Ruſſorum, qui Chriſtianam fidem invexit, etiam *Peruni* hujus meminit, ſic vero habet: *A Deo inſpiratus o Baſili! impii Peruni ſeu Jovis infame fanum contriviſti, cujus nefandum idolum ferocis ſonipedis caudæ alligatum confringere fruſtratim juſſiſti.*

De Diis Sorab. & alior. Slavor. c. 11. Kulczinsky ad I. Auguſti p. 89. Offic. Ruſſ. ſic. p. 6.

(*b*) Hoc caſtrum anno 811. excitatum fuiſſe memoratur ab Hagecio, de quo uti & monte rivoque cognomine egimus jam Parte II. p. 441. 442. 447.

(*c*) Dubravius ait vada fluminis Waag fuiſſe inſtrata caſtellis, & quidem contra Hungaros, non Curimenſes. *Dubrav. l. 3.*

(*d*) Magis ſuccincte, atque præter ordinem Chronologicum uno quaſi ſpiritu pleraque ex his (quæ ſuperioribus & præſente anno narrat Hagecius) retulit Dubravius, quæ procul dubio non alio argumento diſpeſcuit Hagecius, quam ut ſingulis annis ſua non deeſſet materies.

PRÆTERMISSA.

I. Quemadmodum ſuperiore ita & hoc anno Sclavani generali conventui Arnulfi in Forahhem celebrato interfuere cum legatis aliarum nationum, & Sclavi hi ab Aquilone adventaſſe dicuntur. Quod autem alia eorum legatio haud fuerit, quam ut amicitiam & pacem cum Arnulfo ſtabilirent, innuit ipſe Annaliſta, dum ita ſcribit: *Advenientibus etiam ibidem undique nationum legatis, Nordmannorum ſcilicet, ab Aquilone Sclavanorum, pacifica optantes, quos Rex audivit, & ſine mora abſolvit.* Geſtum tamen eodem anno fuiſſe ab Arnulfo bellum contra Obodritos Sclavos, idque minus feliciter, prodit idem Annaliſta mox infra, dum ait: *Inde itaque edictum eſt in exercitum ire ad Obodritos, ſed antea placitum curte regia Franconofurt haberi cum Francis Regi complacuit. Perventum*

Annal. Franco-fuld. ad h. a.

igitur est, sicuti antea dispositum erat, ad Obodritos cum maximo exercitu. Sed tamen ibi parumper rebus prospere gestis: Rex data exercitui licentia ad Erinconostur celeri festinatione reversus est. Et Hermannus Contractus: *Magna contra Abodritas expeditio ab eo* (Arnulfo) *sed parvo effectu mota est.* De Obodritorum horum Aquilonarium situ & gestis jam egimus P. II. p. 16. 337. & 551.

Apud Canis. ad h. a.

II. Annus hic maxime memorabilis, ne dicam atro carbone notandus ob novam Hungarorum e Scythicis regnis a palude *Mæotydis*, & fluvio Tanais emigrationem in Pannoniam finitimasque regiones, quorum multitudine postea inundata Moravia, Boemia, Germania, ipsaque Italia, tantumque exagitatæ, ut pene duobus lustris arena fierent cruentissimi pertinacissimique belli. Juvat audire Annales Metenses eorum immigrationem annunciantes: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXXIX. gens Hungarorum ferocissima, & omni bellua crudelior, retro antè sæculis inaudita, quin nec nominata a Scythicis regnis & a paludibus, quas Tanais sua refusione in immensum porrigit, effusa est. - - - Ex supra dictis igitur locis gens memorata a finitimis sibi populis, qui Pecinaci vocantur, a propriis sedibus expulsa est, eo quod numero & virtute præstarent, & genitale ruis exuberante multitudine non sufficeret ad habitandum. Horum itaque violentia effugati ad exquirendas, quas possent incolere terras, sedesque statuere, valedicentes patriæ iter arripuiunt. Et primo quidem Pannoniorum & Avarum solitudines pererrantes venatu ac piscatione victum quotidianum quæritant.* Annum eundem habet Regino, Chronicon Salisburgense, nec non Admontense, copiosissimeque Regino gentis istius mores persequitur. Falsus igitur Thuroczius, qui jam anno 744. & Hagecius, qui sequente adventum ipsorum defigit. Nec fabulæ absimilia sunt, quæ Thuroczius de Hungarorum in Suatoplùci regnum adventu scribit: *In Erdelen igitur quieverunt* (Hungari Duce Arpade) *& pecora sua recreaverunt. Audientes autem terræ utilitatem de habitatoribus, quod optimus fluvius esset Danubius, & melior terra in mundo non esset partibus illis, accepto communi consilio miserunt nuncium nomine Kusid filium Kund, ut iter & totam terram prospiceret, habitatoresque terræ agnosceret. Quum ergo Kund venisset in medium Hungariæ, & circa partes Danubii descendisset, vidit locum amœnum, & circumquaque terram bonam ac fertilem, fluvium bonum & pratosum. Placuit ei, deinde venit ad ducem provinciæ, qui regnabat post Attilam, vocatum Zwatebolug, salutavitque eum de suis, & causam, pro qua venerat, manifestavit. - - - Hæc audiens Zwatebolug gavisus est gaudio magno, putabat enim illos esse rusticos, & venire, ut terram*

Thuroez. P. 2. p. 30.

ram ejus colerent. - - - Deinde communi consilio ad prædictum Ducem eundem nuncium miserunt, & ei equum album magnum cum sella deaurata auro Arabiæ, & fræno deauruto miserunt pro terra sua. Quo viso Dux ipse magis gavisus putabat, quod ei pro terra quadam hospitalarii misissent. Nuncius ergo impetravit ibi a Duce terram, herbam & aquam. - - - Arpad autem interim cum septem Ducibus Pannoniam intravit, non sicut hospites, sed sicut terram jure hereditatis possidentes. Tunc nuncium alium ad Ducem miserunt, & ei hanc legationem mandaverunt. Arpad cum suis tibi dicit: quod super istum terram, quam a te emerunt, diutius nullomodo stes; quia terram tuam cum equo emerunt, herbam cum fræno, & aquam cum sella, & tu propter emphyteusim id est inopiam & cupiditatem terram & herbam & aquam concessisti. Denique: *Dux ergo ille his auditis exercitum cito congregavit, timens Hungaros, & auxilium ab amicis impetravit, & omnibus coadunatis obviam eis venit. Illi autem interea prope Danubium pervenerunt, & in campo pulcherrimo summo diluculo pugnam inierunt. Fuit autem auxilium domini cum Hungaris: a quorum facie Dux sæpe dictus se in fugam convertit: persecuti suntque eum Hungari usque ad Danubium, & ibi præ timore in Danubium se jactavit, in quo præ aquarum vehementia suffocatur.* Simillimus Hagecio nostro Thuroczius, qui res perinde narrat, ac si omnibus præsens adfuisset, quem merito ad hunc locum fabulatorem vocat Doctissimus Assemanus. Originem vero hujus gentis & situm regionum, quas olim tenebant, scitissime prodit his verbis Constantinus Porphyrogenitus: *Turcorum* (id est Hungarorum) *gens olim prope Chazariam habitabat in loco, cui cognomen Lebedias a primo ipsorum Boebodo* (Wogewodo) *qui nomine Lebedias appellabatur; dignitate vero, quemadmodum reliqui ejus successores, Boebodus vocabatur. In hoc igitur loco, nimirum in prædicta Lebedia fluit amnis Chidmas, qui etiam Chingylus cognominatur, & quidem tunc temporis non Turci, sed Sabartiasphali quadam de causa dicebantur; erantque gentes eorum septem, & principem vel indigenam vel alienigenam habuerunt nunquam; sed erant inter ipsos Boebodi quidam, quorum primus is, cujus supra mentionem fecimus Lebedias.*

T. III. P. 2. c. 3. p. 266. Porphyr. de admin. imp. c. 38.

ANNUS 890.

Per eos dies Hungaricæ legionis prætor cognomento Giula (*a*) cum innumerabili suorum multitudine inopinam ir-

Guila Hungarus irruptionem facit in Moraviam.

irruptionem fecit in Regnum Suatopluci, id fœda ubique ſtrage pervagatus. (b) Ea res illicio erat Mſtibogio ac ſecuritati, ut alia parte Moraviam impune prædaretur, miſerumque in modum vexaret. Actum erat de Swatopluco, niſi inconcuſſa in Chriſtum Deum fiducia inter hæc pericula interritus ſtetiſſet piiſſimus Rex. Quin quo teſtatiorem faceret animum in re mala, veris lacrymis ac ſupplicationibus iratum Numen placare, Welehradenſes ſacras ædes ſumtuoſius condere, unum ſtudium religioque fuit. Atque ut unitæ populi preces cœlum facilius inflecterent, eum ad pietatis officia exhortari non deſtitit, etiam ſacerdotium precatus, ut ſacrificia pro ſalute ſua gentisque univerſæ irato numini immolarent.

Suatopluci pietas.

Et vero eum demum probatiſſimæ virtutis probitatisque eximiæ fructum tulit Suatoplucus, ut uno eodemque die hoſtem ſuum utrumque e vivis ereptum lætus intelligeret. Nam Giula Hungarorum anteſignanus in oppugnatione cujusdam caſtri tactus de cœlo; nec iſthic vindictæ divinæ ſatis, nam pugnantibus pro Suatopluco aeris fragoribus fugati Hungari (c) ad ſua rediere. Mſtibogius vero Curimenſis Princeps in caſtro ſuo Oheb immatura morte concidit. Quidam ſcribunt, inter quos Jaroslaus Monachus Strahoſienſis, (d) noctu a duobus terrifica ſpecie viris per clauſas portas ingreſſis præfocatum fuiſſe. Reliquit autem Mſtibogius ditionum ſuarum heredem filium impuberem nomine Drzslaum.

Giula periit fulmine.

Mſtibogius obiit.

Eo-

Eodem anno Hoſtivitus tam pertinacibus cœpit vexari febribus, ut nec medicorum expertæ arti, nec medicamentorum virtuti concederent. Itaque æſtu ſuo Principi de juſtitia deque ſecuritate Ducatus ſui ſumme merito mortem attulerunt. (e) Sepultus is eſt ſecundum patrem ſuum Neklanum infra Wiſſehradum, tumuloque illatus Ducum, quem antiquitas Hrobka appellavit, ſuper quo triduo ignis emortualis alitus. Planctus omnis ſexus ætatisque erat incredibilis, oras veſtimentorum præcidentis, inque flammas cum ejulatu jactantis. „ Date Dii Patrem! date Principem „ unicuique ſuum pro merito tribuentem, jus, æquumque „ tuentem. „ *Hoſtivitus moritur.*

Ab exceſſu Hoſtiviti feſtinatum ad creationem novi Principis. Nobilitas omnis, magiſtratusque ante Wiſſehradum congregati conſilio cujusdam Krboſlii ſacrifici nicromantæ ſuper ſaxo (f) haud mediocrem ignem incenderunt, injectoque hirco vota ſua pro novo Principe hoc ſacrificii genere nuncuparunt. Nec mora bono fortunatoque patri meliorem ſuffecerunt filium adoleſcentem Borzivogium, (g) quem Ducali imponentes ſedi, dignumque mitra Przemyslai redimentes verticem, procidui in terram Ducem ſalutarunt. *Eligitur Borzivogius in Ducem.*

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXC.

FORMOSI PAPÆ 1.

BORZIVOGI a Baptismo 1.

Porphyrog. de admin. imp. c. 39.

(a) Giula seu Gyla quidam sub adventum Hungarorum præfuit huic genti in Transylvania, ut refert Porphyrogenitus, qui tamen de ictu fulminis tacet, imo nomen hoc non fuisse proprium, sed dignitatis his verbis docet: *Habent autem primum Ducem exercitus Principem e prosapia Arpadæ; cum quo duo alii Gylas & Carchan, qui judicum vicem obtinent. Et habet unaquæque gens peculiarem principem, sunique Gylas & Charchan non nomina propria, sed dignitates.* Porro cum Hungaris primum

Ibid.

irrupisse Arpadem in Pannoniam idem Porphyrogenitus citato loco innuit, cujus posteros ita describit: *Sciendum vero Arpadem magnum Turciæ* (id est Hungarorum) *Principem filios genuisse quatuor: quorum primus Tarcatzus, secundus Jelech, tertius Jutotzas, quartus Zaltan. Rursus Arpadæ primogenitus Tarcatzus filium habuit Tebele, alter Jelech filium genuit Ezelech. Tertius Jutotzas filium suscepit Ibalitzin, qui nunc* (nempe circa annum 949.) *principatum tenet. Quartus Zaltan filium habuit Taxin.* Et is S. Stephani Hungariæ regis avus est, qui filium Geisam habuit, ex quo genitus S. Stephanus, ut in vita S. Stephani a Chartuitio Episcopo scripta c. 1.

Stredovsky l. 3. c. 11.

legere est. Inter incertissima igitur reponendum, dum Stredovskius ait: Giulam hunc proavum fuisse illius, qui Suatoslium Moraviæ Regem Pannonia & sede Regia Vesprinio ejecerat postea.

Ibidem.

(b) Stredovskius jam anno superiore ejusmodi Moraviæ populationes narravit, sed vel præsens annus adhuc præmaturus est. Nam annis aliquot posterius factam ex coævis constat. Quem errorem etiam

Baronius ad h. a. n. 12.

Baronius ex male intellecto Reginone hausit, dum ita scribit: *Hoc eodem anno Ecclesia in Moravia admodum afflictata est &c.* Nam Regino isthic plurium posteriorum annorum historiam in hunc annum congessit. Ceterum supra ex Annalibus Metensibus intelleximus: Hungaros primis sub adventum suum annis venatione & piscatu victum quæritasse.

Apud Gevold. in addit. Mundii p. 31.

Et oppido ex epistola Episcoporum Bajoariæ annis paucis posterius ad Joannem IX. data liquet, Hungaros primum amice Suatopluco, Slavisque Pannoniæ usos. Sic enim ibidem querulantur Episcopi: *Ipsi* (Moravi) *crimen, quod nobis falso semel factum imposuerunt, multis annis perege-*

gerunt, ipſi Ungarorum non modicam multitudinem ad ſe ſumſerunt, & more eorum capita ſuorum Pſeudo-Chriſtianorum penitus detonderunt, & ſuper nos Chriſtianos immiſerunt.

(*c*) Permultis dubium ortum, num Ungari ejusdem ſtirpis gentisque fuerint cum Hunnis veteribus ex hiſtoria Eccleſiaſtica, profanaque notiſſimis, cum coævi quique authores, ut ſupra relati Annales Metenſes, Luitprandus, & epiſtola Abbatis S. Germani circa annum 906. ſcripta: *Gentem omnibus retro ſæculis inauditam, nunquam nominatam, nunquam a Romanis cognitam, aut a Geographis prolatam* appellent. Quod dubium rerum Hungaricarum ſcriptores, ac cum primis Eruditiſſimus Vir Georgius Pray S. J. alterque Sigismundus Calles ejusdem inclyti inſtituti productis ex Priſco & Jornande locis diſſolvunt, oſtenduntque nomine Unugurorum, Hunogurorum antiquitati non fuiſſe incognitos Ungaros. De cujus gentis variis nominibus, moribus, geſtis plura apud eosdem videre licet, maxime autem ex veteribus apud Reginonem,

Apud Lucam d'Achery T. III. p. 369.

Pray Annal. Hunnor. P. III l. 1. Calles Annal. Auſtr. l. 4.

Regino, ad h. a.

(*d*) Quodnam Jaroslai Mſ. intenderit Hagecius, haud ſcio, ne apocryphum fuerit, multum metuo. Duo circumferuntur manuſcripta, quæ Jaroslao adjudicari ſolent. Alterum Viennæ editum ab Illuſtriſſimo Comite de Kollowrath, de quo copioſe egimus in Prodromo noſtro p. 180. alterum nos Tomo I. nusquam antehac editorum monumentorum Bohemiæ publicavimus, multaque circa id in obſervationibus prævis in Chronographum Siloenſem p. 16, dubia expedivimus, Sed neutrum horum manuſcriptorum memoriis ſuis hæc veterrima attingit tempora. Nec lectus mihi ullus unquam noſtrorum præter Hayecium, qui Jaroslai MS. in rerum ſuarum teſtimonium ante Sæculi XII. geſta (ſi nomina nuda Ducum Bohemiæ excipias) allegaſſet. Tam novum eſt, quod de Drzlao Mſtibogii filio hic profert Hagecius, ante quem nuspiam de illo mentio; habuit tamen poſtea imitatores Stranskium, Paprocium, aliosque, qui hæc exſcripſere.

Stranskius c. 2. §. 3. Paproc. in urbibus.

(*e*) Ad hunc locum ita commentatur noſter P. Victorinus: „pauca, quæ in Hagecio deſideres, hæc ſunt apud Paulum Stransky de Hoſtivito: Hoſtivitus primus ex Bohemiæ Ducibus a Germanorum Principe Ludovico paulo poſt mortuo, in amicitiam eſt receptus, ſancitaque hoſtilitatis præteritæ amniſtia, & percuſſo fœdere novo, & eo nonniſi æquo, Imperii ſocius factus tenuit faſces Bohemos annos duo-

P. Victorini Mſ. Stransky c. 8.

de-

decim, vixit quinque & quadraginta. Weleslavinus quoque: Hoſtivitus, inquit, poſt mortem Caroli Magni movit in Saxoniam ea ſpe, ut loca, quæ Carolus Magnus Neklano ſuſtulerat, recipere poſſet, poſtea Fraconofurtum ad Ludovicum Imp. cognomento Pium cum Celedruho patruele ſuo profectus, pacem optimis conditionibus fecit. Hactenus noſter P. Victorinus. Sed qua veritate hæc nuspiam apud veteres prodita nitantur, ſupra lectorem monuimus. Quam mire vero Scriptores noſtri varient in anno mortis, regiminisque illius ſupervacaneum cenſemus hic annotandum. Simulacrum Hoſtiviti ex ſæpe laudato MS. Picturato protulimus ad annum 873. cum effigie Patris ſui Neklani.

(*f*) Id veroſimillime ex traditione hauſit Hagecius: & procul dubio ſaxum illud eſt, in quo throni inſtar inaugurari ſolebant Duces noſtri, ut refert Vincentius. An vero prius ſuper eodem ſaxo quodpiam ſacrificii, ſortiumque genus peragi conſuetum fuerit, deſtitutus veterioribus documentis nec affirmare, nec impugnare auſim.

Ineditor. Monument. Bob. T. I. p. 34.

(*g*) Ad hunc locum rurſus noſter P. Victorinus: „Boriwojus iſte, quem in manibus habemus, primus Bohemiæ Ducum eſt, quem in tenebris & umbra mortis ſedentem Deus O. M. vocare dignatus eſt in admirabile lumen ſuum. Quanquam enim Religionem Chriſtianam in Bohemiam inductam Neklano & Hoſtivito regnantibus inficiari poſſit nemo, cum in Caroli M. & filiorum ejus geſtis promtum ſit legere, quatuordecim Bohemiæ proceres Chriſti fidem amplexos, & ab idololatria ablutos eſſe; ea tamen fere violenta, non ſponte geſta Victore religionem imperante, fuerant veluti confinia ſuperſtitioſæ gentilitatis Chriſtiano nomine minime digna. Per quos porro viros, quave occaſione Borzivojo Principi omnique Bohemiæ cœlum cum die aperta fuerint, ſuo mox loco dicturi ſumus.

Balbin. Dec. 1. l. 7. Peſſina Rud. 3. p. 117.

PRÆTERMISSA.

I. Redintegrata eſt his annis, ut ſupra innuimus Arnulfum inter & Suatoplucum amicitia: quod cum Formoſus ſummus Pontifex intelligeret, placuit ei Suatopluci opera uti ad perſuadendum Arnulfo, ut Romam contenderet ad liberandam Italiam a Tyrannis, Berengario videlicet & Widone. Rem narrant Annales Francofuldenſes: *Mediante*

Ad h. a.

ante vero quadragesima Rex (Arnulfus) *Pannoniam proficiscens generale conventum cum Zwentibaldo Duce loco, qui vulgo appellatur Omunterſperch, habuit. Ibi inter alia præficitur* (lege *præfatus*) *Dux a Formoſo Apoſtolico rogatus Regem enixe interpellabat, ut urbe Roma domum S. Petri viſitaret, & Italicum regnum a malis Chriſtianis, & imminentibus paganis ereptum ad ſuum opus reſtringendo dignaretur tenere. Sed Rex multimodis cauſis in ſuo regno excreſcentibus præpeditus, quamvis non libens, poſtulata denegavit.* Quæ Continuatoris Francofuldenſis Freheriani compendiator Hermannus Contractus his verbis refert: *Arnulfus habito in Pannonia de diverſis colloquio a Zuentibaldo Duce Marahenſi ex verbis Apoſtolicis obnixe rogatur, ut Romam veniens Italiamque ſub ditione ſui retinens, a tantis eam eruat tyrannis. Quod ille aliis præpeditus ad præſens facere diſtulit.* E quibus liquet veroſimillime hoc anno legationem miſſam fuiſſe a Formoſo Papa ad Zuentibaldum, qua ei ſuam in Pontificiam ſedem evectionem nunciavit, quaque ei munus impoſuit, ut preces ſuas apud Arnulphum interponeret pro liberanda Italia a Tyrannis; nempe procul dubio Zuentibaldus Formoſo innotuerat, cum is in vicinam ſibi Bulgariam legatus a ſede Apoſtolica fuiſſet miſſus. Porro quanquam legationum iſtiusmodi Apoſtolicarum ad Moravos miſſarum rariſſimæ ſint in vetuſtioribus memoriæ, eas tamen haud infrequentes fuiſſe patet ex Epiſcoporum Bajoariæ querela ad Joannem IX. ſummum Pontificem, qua queruntur Moravis per eas occaſionem datam ad ſe ſe criminandum coram ſede Apoſtolica: Verba ſunt: *Cum autem eisdem Sclavis* (Moravis) *locus familiaritatis apud legatos veſtros dabatur, accuſabant nos, & diffamabant in multis.* Verum

Apud Contſ. ad h. a.

Gevold. T. I. p. 31.

II. Cum Regino de his apud Arnulfum Zwentibaldi interpoſitis precibus tacet, plane aliud hoc anno narrat, nempe Arnulphum Ducatum Bohemiæ Zwentibaldo conceſſiſſe. *Arnulfus*, inquit, *Rex conceſſit Zuentiboldo Marahenſium Sclavorum Regi Ducatum Behemenſium, qui hactenus principem ſuæ cognationis ac gentis ſuper ſe habuerant, Francorumque Regibus fidelitatem promiſſam inviolato fœdere conſervaverant. Eo quod illi, antequam in Regni faſtigio ſublimaretur, familiaritatis gratia fuerat connexus. Denique filium ejus* (nempe Arnulphi) *quem ex pellice ſuſceperat, a ſacro fonte levavit, eumque ex nomine ſuo Zuentiboldo appellari fecit. Quæ res non modicum diſcordiarum & defectionis præbuit irritamentum. Nam & Bohemi a fidelitate diutius cuſtodita receſſerunt, & Zuentiboldo ex adjectione alterius Regni viret non parvas ſibi acceſſiſſe ſentiens, faſtu ſuperbiæ inflatus contra Arnulfum rebellavit.*

Regino ad h. a.

*Annal. Meten. ad h. a. Gundling. Hist. Cæs. p. 241. 265. Assemān. T. III. P. 2. c. 1. Schütz in Com. Crit. p. 153. *Sigeb. Gem. ad An. 893. Otto Frising. l. 6. c. 11.*

vit. Quod totidem verbis ex Reginone narrat Annalista Metensis. Nam Annalistam hunc pleraque ex Reginonis Chronico mutuasse probant Doctissimi Viri Gundlingius, Assemanus, & Henricus Schützius. Reginonem passim secuti sunt posteriores: Sigebertus Gemblacensis * tribus annis posterius scribit: *Arnulfus Rex Zuendebaldo Duci Marahensium Ducatum Boemanorum addens, & Boemanos per hoc sibi infestos fecit, & Zuendebaldo per adjectionem potentiæ materiam contra se rebellandi dedit.* Quæ verba epitomen eorum esse, quæ retulit Regino, nemo non agnoscit. Majori brevitate rem expedivit Otto Frisingensis: *Concessit autem Arnulphus Zuentibaldo Marahensium Regi Ducatum Bohemiæ.* Hos exscripsere argumentisque illustravere omnes, quiqui historiam Germaniæ tractandam suscepere. At vero Stranskius noster, qui hunc ipsum Reginonis & Ottonis Frisingensis locum legerat, donationem hanc non modo in dubium vocat, sed etiam argumentis nonnullis refellit, qua in re non paucos indeptus patrios scriptores æmulos. Verba illius referre libet:

Stransky Reipubl. Boj. c. 3. §. 10.

Si quid ejuscemodi fecit Arnulphus, de corio alieno non de suo liberalem fuisse ex eo manifestum, quod nunquam Suatopluc Bohemiam in possessionem accepit. Et Imperatorem hunc certo, si Suatopluco Bojemiam concessisset, neque alienum ab se illum, belloque novo occasionem annis 891. 892. *dantem reperturum, neque Ducis & procerum Bojemorum legatos Ratisponam anno* 897. *cum muneribus ad se missos, ac auxilia adversus hostes Moravos obnixe postulantes tam humaniter fuisse admissurum, nec promissis tam amicis oneratos, donoque honoratos domum dimissurum, neque ad limitem Danubio propinquum pro ipsis toto autumno cum armis excubaturum.*

Werinherus in vindiciis Boh. c. 98. Balbin. in Epit. l. 1. c. 10.

Jordanus vero ait: *Arnolphus libertati Bohemorum non modicum detrahere, & illos Regi Moraviæ Suatibogio quasi in tutelam dedere voluit, sed Duces Bohemiæ tale quid in se passi non fuerunt, sed pro libertate hactenus illibata semper steterunt.*

Jordan. in Archi-Pinc. c. 4. §. 13. p. 57. Dubrav. l. 4.

Dubravius denique hanc Arnulphi donationem explicandam censet per solam tributi annui cessionem, quæ alias Imperatoribus præstari solita fuerat, adeo ut nequaquam ipsum Ducatum Boemiæ Arnulphus cesserit, sed vectigal illud annuum, de quo omnes vetustiores novique. Hæ nostrorum sententiæ. Quibus præmissis dicere fas sit: plura esse in hac Reginonis narratione, quæ veritati minime sunt consentanea. Nam quod scribit: *Behemenses Francorum Regibus fidelitatem promissam inviolato fœdere conservaverant*, cum historiis superiorum temporum pugnat; constat enim ex Francicis coævis Chronicis Bohemos pacto etiam annuo tributo creberrime defeciviſse a Franciæ Regibus, cum iis cruentissima bella gessisse, quin ab ea Ludovici Regis Germaniæ in filios facta terrarum partitione se se etiam a cen-

sus

ſus annui jugo paſſim exemiſſe. Quem errorem in Reginone jam advertit Clariſſimus Aſſemanus, qui productis contra facile decem Annalium Francicorum locis adjicit: *A veritate prorſus abeſt Francorum Regibus Boemos ſemper paruiſſe.* 2do. Neque ea hiſtoriis poſteriorum annorum conſentanea ſunt, dum ob hanc donationem Suatopluco factam dicit: *Boemi a fidelitate diutius cuſtodita receſſerunt.* Nam nusquam legitur Boemos ab hoc anno intentaſſe Arnulpho bellum aliquod, quin mortuo Zuentibaldo illico ei fuiſſe fœderatos contra Moravos ad annum 895. videbimus. 3tio. Annorum etiam ſequentium, aliorumque hiſtoricorum narratis diſformia ſunt ea Reginonis verba: *Zuendebolh ex adjectione alterius regni* (nempe Bohemiæ) *vires non parvas ſibi acceſſiſſe ſentiens, faſtu ſuperbiæ inflatus contra Arnolphum rebellavit.* Certum enim eſt Zuentibaldum nunquam occupaſſe aut tenuiſſe Ducatum Boemiæ, quidquid ea de re dubitet Schminkius; habemus enim eorum temporum jam ſinceriorem hiſtoriam ex vita vetuſtiſſima S. Ludmillæ, ex Chriſtanno, & Coſma noſtro, qui quanquam Suatoplucum tanquam magnificum Imperatorem dominatum univerſæ terræ memorent; attamen ſeriem Ducum Boemiæ ex ſua cognatione, ſecus quam ſcripſit Regino, rite deſcribunt; fatenter quidem Borzivogium, qui hoc tempore Boemiæ præerat, Ducatu fuiſſe exutum ob ſuſceptam fidem, ſed a gentilibus Boemis non Arnulpho, eique ſubito ab iisdem ſubſtitutum Stroymirum, denique hoc paulo poſt in exilium ſuum remiſſo, denuo faſcibus ſuis reddium Borzivogium. Nec id, quod Zuentibaldus a Boemis aliisque Slavis tanquam magnificus Imperator ſuſpectus ſit, Arnulfo debuit, ſed liberæ vicinarum gentium Slavicarum voluntati, qui defendendi Slavici nominis ergo jam multo prius ſe ſe illi certis conditionibus ſubmiſere (ut ad annum 871. docuimus) Manſere nempe Ducibus quibusque peculiarium provinciarum Slavicarum cum pagorum immunitatibus jura integra, nec Suatoplucus unquam ea fuit poteſtatis plenitudine, ut Boemiæ Ducatum involare poſſet, aut Duces noſtros, qui e cognatione & gente noſtra erant, a ſucceſſione excludere, multo minus gubernaculis deturbare. Quibus jam ſi 4to. adjicias ſuperioribus annis recenſita & legitimis argumentis probata: Boemiam nunquam in cenſum veniſſe Regnorum Arnulphi, ejus tam tenues fuiſſe vires, ut ne Pannoniam quidem ſuam Suatopluco poſſet eripere, cogeretur pati Italiam, Gallias, Burgundiam a Regno ſuo avelli. Qui credibile videri poteſt admiſſuros fuiſſe Boemos, ut eidem jus concederent in Ducatum ſuum, tantum, inquam jus, ut illud etiam alteri cuique ex-

Aſſeman. T. III. P. 2. c. 3. p. 256.

In Goldaſt. l. 2. c. 2. §. 28.

tero ſecundum arbitrium conferre poſſet? jus, quod nunquam Imperatoribus competebat? nam ſi annuum illud tributum excipias, teſtantur legati Boemiæ coram Henrico III. apud Coſmam, ſe nunquam aliud jugum tuliſſe. Sed quid ultra ſuſpendimus lectorem? proferre tandem libet locum Annalium Francofuldenſium, e quo certum convincitur: hanc Arnulphi donationem ſeu ſimulatam tantum, ſeu prorſus nullam fuiſſe. Fragmentum horum Annalium in Analectis Vindobonenſibus ex Codice vetuſto Bibl. Cæſ. Vindob. prolatum hanc Boemorum ab Arnulpho defectionem non refundit in illius donationem, ſed perfidiam Zuentibaldi. Sic enim annis quinque poſterius, nempe ad an. 895. refert: *Mediante menſe Julio habitum eſt urbe Radisbona generale conventum. Ibi de Sclavonia omnes Duces Boemanicorum, quos Zuentibaldus Dux a conſortio & poteſtate Bajoaricæ gentis per vim dudum divellendo detraxerat &c.* Quodſi autem Arnulfus Boemiam Zuentibaldo donaſſet, is Duces Boemanicos *a conſortio & poteſtate Bajoaricæ gentis* detraxiſſet, non Zuentibaldus. Hæc igitur tot tantaque argumenta ſat ſuperque nobis videri poſſent, ut unius ſoliusque Reginonis coævi authoritatem negare fas eſſet, ut dicere liberum eſſet, ſeu Reginonem hac narratione indulſiſſe ſtudio gentis, ſeu commodaſſe auribus Arnulphi, ſeu denique alterius malevolentia hæc in Reginonis Chronicon fuiſſe intruſa. At cum omnia Reginonis vetuſtiſſima Chronica id referant, eadem quoque verba recitet Annaliſta Metenſis ejus excerptor Reginonique contemporaneus, denique perpetua annorum ſerie ab eo tempore ab omnibus pene hiſtoricis id retractatum ſit, concedendum aliquid eſt tantorum virorum authoritati, & fidei, admittendumque, Boemiæ Ducatum omnino Zuentibaldo hoc anno conceſſum fuiſſe ab Arnulpho. At confidentius Adamo Friderico Glafeys dicimus hanc donationem Arnulphi merum attentatum, factumque fuiſſe, nullum penitus jus eſſe appellandum, illud denique omni effectu caruiſſe. Verum ut attentati hujus rationem aliquam ex hiſtoriis noſtris patriis reddamus.

Coſmas ad An. 1086.

Analecta Vindob. T. I. p. 527.

Pragmatiſche Geſchichte c. 1. Theſi 7. p. 23.

III. Dicimus donationem hanc Arnulphi certum indubitatumque eſſe indicium ad eruendam veriorem epocham Baptiſmi primi Chriſtiani noſtri Ducis Borzivogii, in qua defigenda incertis pugnantibusque opinionibus hactenus fluctuarunt Scriptores Annalesque noſtri. Non enim credibile Arnulphum Ducatum Boemiæ tum conceſſiſſe Zuentibaldo, cum actu a nonnemine Ducum noſtrorum occuparetur, aut eum per donationem hanc Ducem Bohemiæ intendiſſe deturbat ſo-

ſolio, aut filios ſpe ſucceſſionis orbare, minus vero ejusmodi invidioſam ceſſionem Suatoplucum ſuſcepturum fuiſſe. Oportuit igitur tum, cum hæc donatio facta eſt, vacuum fuiſſe Principatum, & graviſſima intercurrere debuit cauſa, ut ejusmodi conceſſio univerſæ Bohemæ genti, imo ceteris Slavicis populis ſumme præjudicioſa attentaretur, niſi factum ſuum alioquin inerme omnium gentium ſibilo & riſui exponere voluit Arnulphus. Jam ſi ad Annalium Reginonis elucidationem in ſubſidium vocemus hiſtorias noſtras horum temporum, deprehendimus Borzivogium id ætatis habenas moderatum Boemiæ, baptiſmo initiatum a S. Methudio urgente quidem ipſo & excitante Suatopluco, ſed vix ad ſua ex Moravia reducem ab ethnico Bohemorum populo novatæ religionis ergo ſede ſua ducali deturbatum, regione exactum, apud Suatoplucum aſylum & præſidium quærere coactum, in illius denique locum alium a Ducali cognatione & ſanguine violenter ſuffectum. Quæ ſi cum Reginonis verbis concilientur, elicietur hæc veroſimillima hiſtoria: Nempe poſteaquam intellexit Suatoplucus Borzivogium ad ſe confugientem ob odium fidei Chriſtianæ Ducatu ſuo fuiſſe exutum, quam ſe cumprimis hortante ſuſceperat (quod rebus in ejusmodi fieri ſolet) omnia conſilia prudens circumſpexit, ut periclitanti rei Chriſtianæ in Bohemia adjutricem manum porrigeret. Ea ſollicitudo communicata cum Arnulpho, qui ei, ut Regino loquitur, *familiaritatis gratia fuerat connexus.* Non præſentius viſum remedium ad Chriſtiana initia in Bohemia ſtabilienda, quam ſi priſca Francorum Regum prætenſa jura in Ducatum Boemiæ recoquerentur, & per exilium Borzivogii caducus Boemorum Ducatus Suatopluco, quem alioquin nexu quodam reſpiciebat Boemia, concederetur. Argumenta Arnulpho ad id eſſe poterant, præter Francorum Regum mox dictas prætenſiones, defenſio Religionis Chriſtianæ ejusque propagandæ ratio, cujus gratia plura privilegia a ſummis Pontificibus Franciæ Regibus conceſſa eſſe conſtabat, adeo ut vel ipſe Carolus M. haud aliam rationem inferendi Witichindo Saxoniæ Duci belli, Hunnorumque ſubjugandorum, quam Religionem haberet. Hæc cum Zuentibaldo de re Chriſtiana Boemiæ anxio non placere non poſſent, ſimulque videret ſuſpicionem ſe ſe apud ceteros Slavos Chriſtianos effugiturum, qui Ducatum hunc involet, connixit, ut ſibi Ducatus Boemiæ concederetur, ea procul dubio adjecta conditione, ut conſilii iſtius adjutor eſſet Arnulphus in redigendis in ordinem Boemis gentilibus, nam anno ſequente ejus populum expeditionem in Bohemiam ſuſcepiſſe poſtea teſtatum fiet. Haud tamen alio

fine videtur Suatoplucus omnia hæc in se suscepisse, quam ut afflicto exulique apud se Borzivogio opem ferret, eumque Ducatui suo restitueret. Nam possessionem Boemiæ eum usurpasse nusquam legitur. Satis nempe illi visum Christianum Principem fascibus suis redditum. Quæ quanquam conjecturam esse non diffitear, tamen ad salvandam Reginonis auctoritatem, obque alia vetustatis indicia, haud aliter accidisse credibile est, si libertatem gentis nostræ cum Arnulphi cessione conciliare libet.

Et quanquam huic nostræ epochæ obstet Cosmæ, omniumque fere succedentium patriorum scriptorum authoritas, qui hunc baptismum quatuor annis posterius nempe anno 894. defigunt, tamen vel ipso fatente Cosma liquet: annum hunc 894. baptismi Borzivogii non fuisse ab eo haustum ex legitimo aliquo documento, sed traditione, aut plane conjectura, quæ quantum sæpe fallant, nemini tectum. Ipse enim pro candore animi sui a fingendi libidine (quæ posterioribus sæculis historias depravavit) alieniſſimus, apertissime confitetur se se in gestis Borzivogii, imo posteriorum Spitignei, Wratislai & S. Wenceslai, non potuisse reperire certam Chronologiam; & sane antiquissima vita S. Ludmillæ aliæque vetustæ vitæ S. Wenceslai, quæ basis & fundamentum historiæ nostræ sunt, omni annorum supputatione abstinuerunt, ita ut quæ in Christanno de annis ætatis Borzivogii Spitignei & Wratislai referuntur, jam ab ipso aut alio posteriore adjecta sint.

Cosmas l. 1. Sed verba Cosmæ audire libet: *Non enim scire potuimus, quibus annis gesta sint sive temporibus. Interea deficiente nostra materia, quam nemo illius temporis hominum, Clericorum, seu Laicorum memoriæ commendavit posterorum, rursus ad nobilia facta Romanorum Imperatorum recurramus.* Quibus verbis clare testatur Cosmas (quem passim posteriores exscripsere) se sua potissimum, & cum primis Chronologiam ex Chronicis Romanorum Imperatorum eruisse. Quod alterum est: Annus 894. nequaquam cum historia Baptismi congruere potest, cum certum sit jam hoc ipso anno

Ad 9. Martii. Suatoplucum solio & vitæ ereptum. Quare eruditissime Continuatores Bollandi: *Illud longissime abhorret a vero Borzivogium anno 894. baptismum suscepisse. Hoc enim anno jam Suentopolus legitur in Annalibus Francorum Metensibus diem supremum clausisse.* Quibus denique id contra Cosmæ Chronologiam adjicias: illico post Suatopluci mortem, quæ hoc anno accidit, Boemos a fœdere & societate Moravorum recessisse, Arnulpho & Francis contra Moravos se adunasse, ut exuli Borzivogio nihil præsidii esse potuisset in Moravis, ad quos vetustissima vita S. Ludmillæ & Christannus eum confugisse scribunt. Ne-

Neque vero hæc unica ſolaque ſunt fulcimenta Chronologiæ & epochæ a nobis defixæ. Nam cum pervetuſti quique Scriptores noſtri baptiſmum Borzivogii ſub Formoſo Papa & Arnulpho accidiſſe memorent (quos inter primum locum obtinet Neplaho ſæculi XIV. Scriptor ab Hieronymo Pezio editus) merito eum ad annum hunc reponimus, quo, cum aliunde de regno Arnulfi conſtet, Annales Francofuldenſes jam teſtantur Formoſum Romanæ ſedi præfuiſſe. Non ignoramus quidem paſſim hodie Stephani V. Papæ mortem, & Formoſi in Apoſtolicam ſedem evectionem ad annum ſequentem reponi. At quis neſcit horum temporum Chronologiam in ſummorum Pontificum ſucceſſione eſſe obſcuriſſimam, ut hactenus nullum legitimum documentum repertum ſit, quo anno & die alteruter horum Pontificum ſeu obierit, ſeu in ſolium Papale ſublimatus ſit; certitudoque qualis qualis ſupputationis hoc ſolo fundamento nitatur, quod Guillielmus Bibliothecarius, & epitaphium Stephani Papæ a Manlio conſervatum Stephanum Papam ſex annis præſediſſe teſtetur. Certe præter Annales Francofuldenſes Sigebertus Gemblacenſis (ut Neplahonem noſtrum præteream) Formoſi Papæ regiminis initium ad annum præſentem reponit, nec hactenus reperi aliquem, qui idoneis argumentis horum duorum Authorum teſtimonia elidiſſet, præſertim ſi illud verum eſt Annalium horum continuationem ab Aſperto Arnulfi Regis Cancellario eſſe conſcriptam, ut exiſtimat Ekhartus. Ne dicam Hermannum Contractum, Marianum Scotum, Martinum Polonum aliosque veteres in Chronologia horum Pontificum mirum quantum variare. Inter alia ad confirmandam hanc epocham etiam facit Franciſci Canonici Pragenſis ſæculi XV. exordientis ſcriptoris Chronicon, quod habetur coæva manuſcriptum in Codice veteri Plſnenſi Conſultiſſimi Viri Stehlikii, quodque ut aliud eſt rerum & verborum ſerie, ita authoris non tam nomine quam perſona ab eo, quod paucos abhinc annos Pragæ ex *Codice* Metropolitano vulgavit Clariſſimus D. Kneyſſel. In eo vero annus baptiſmi Borzivogii ad præſentem annum 890. defigitur. Nolumus præterea Clariſſimum Aſſemanum præterire, qui in calculo hujus baptiſmi eandem nobiſcum amplectitur ſententiam, quanquam toto cœlo diverſas ſupputationis ſuæ initæ cauſas adferat, ei rei penitus innixus: Arnulphum ob Hungarorum irruptionem Zuentibaldo Ducatum Bohemiæ conceſſiſſe: *Ut* (verbis illius uti libet) *eorum impetus facile retunderetur, utque fines Germanici Regni fortius defenderentur.* At argumentum hoc minus roboris haberi videbitur, quandoquidem certo con-

Apud Hieron. Pez. T. II. colum. 1022.

Guilielmus Bibl. in Stephani Papæ vita Baron. ad h. q. n. 2. *Sigb. Gemblac. ad h. a. Neplaho ad h. a. apud Hier. Pez. T. II. p.* 1020. *Ekhartus T. II p.* 664.

Aſſeman. T. III. P. 2. *c.* 3. *alibique.*

constat Arnulphum paulo post hos ipsos Hungaros in excidium Regni Moravici exciviſſe.

Novam prorsus Chronologiæ rationem adinvenit, multisque argu-
Jordan. Orig. Slav. N. 1041. mentis probare conniſus est Jordanus, dum Baptiſmum Borzivogii anno 877. tanquam rem certiſſimam adſcripſit, cujus ſententia hodie inter nonnullos plauſum meretur. Ego vero ex omnibus ejus argumentis nullum idoneum invenio, quod intellectum meum convincat ab anno 890. recedendum eſſe. Et quidem quod omnium primum & maximum eſt, ſi baptiſmus Borzivogii jam anno 877. contigit, haud aſſequi poſſum, qui acciderit, ut in tot epiſtolis Joannis VIII. Papæ ad S. Methudium & Zuentibaldum datis, quas ſupra recitavimus, ne mentio quidem fiat converſionis Bohemorum, cum tamen ea plane circa hæc tempora ſcriptæ ſint; nec enim credibile ſummum Pontificem rem tanti momenti, ſcilicet converſionem Bohemi Ducis, ſpemque totius Bohemiæ ad Chriſtum perducendæ ſilentio preſſurum fuiſſe, præſertim cum in his ubique ſigna paternæ lætitiæ ſuæ prodat de converſa Moravia. Ut ad argumenta, quæ acervat Jordanus, tranſeamus, ea omnia meris conjecturis & argumentatione ex poſterioribus noſtris ſcriptoribus depromta nituntur. Et quidem primo ex Chriſtanno noſtro ita argutatur: *Scriptor primo primus Chriſtannus Borzivogium baptizatum „ in egregiæ juventutis flore „ & mortuum „ plenum dierum „ dicit. Mors Borzivogii certa eſt anno* 910. *finito, eumque plerique Annales vixiſſe referunt* 75. *annis. Huic ſuppoſito nullatenus convenit juventutis flos, ſi Borzivogius baptizatus fuiſſet An.* 894. *ætatis ſuæ annorum* 59. Verum ſi Jordano ex ætate Borzivogii argumentationem capere libuit, conveniſſet illi primum idoneis documentis oſtendere eum mortuum anno 910. poſt exactos vitæ 75. annos. In Hagecio, quem is ſequitur, nullum illi præſidium, quandoquidem ante eum nemo, qui ſeu annum mortis ſeu ætatem hanc prodat. Quod autem Hagecius primus fuerit, qui vetuſtiſſima quæque geſta præter Chronologiæ indicium a Chriſtanno & Coſma narrata pro arbitrio in annos diſpeſcuit, jam alias crebro lectorem admonuimus. Argumentum etiam quod ex Chriſtanni a Balbino editi verbis *plenus dierum* depromit, plane infirmum eſt, nam exemplar Balbini hoc loco mancum eſt, corruptumque, non enim legendum *plenus dierum, bonitateque* ſed *plenus dierum bonorum*, quam ſcriptionem habet Codex
Ad 9. Martii. Budecenſis a Continuatoribus operis Bolandiani exſcriptus, codex item Metropolitanus a me cum Balbini editione collatus, denique alii tres vetuſti codices, quos cum eadem editione contulit Reverendiſſimus ac

Am-

Amplissimus D. Bonaventura Pitter Prælatus Rayhradensis ordinis S. Benedicti. Nam in omnibus uniformiter eadem verba leguntur: *Plenus dierum bonorum diem clausit ultimum, tricesimum quintum vitæ suæ complens annum.* Ut ita testatum ex his verbis habeamus Borzivogium non in grandiore senectute, sed virilis ætatis exordio fuisse demortuum. Et profecto merum effugium est Jordani, ipsiusque Balbini, dum uterque *tricesimum quintum annum* ætatis violenter detorquet ad annos conversionis & baptismi susceptι, nam author clarissimis verbis dicit: *Tricesimum quintum vitæ suæ.* Quin si omnes veteres nostri scriptores excutiantur, nec unus omnium est, qui ultra 36. annos ætatis Borziwogio concessisset. Sic vita pervetusta etiam S. Ludmillæ, quæ habetur in Codice Dresdensi, quæque edita est a Menkenio, ita habet: *Borivoy namque Princeps expletis XXXVI. annis de hoc sæculo migravit.* At vero Marignola nonnisi hos ipsos 35. annos cum Christanno his verbis ei adscribit: *Cursumque temporis triginta quinque annorum feliciter terminavit.* Dicam amplius: vita vetustissima S. Ludmillæ, quæ habetur in Bibliotheca Clementina Inclytæ S. J. Vetero-Pragæ, quaque olim jam usus Pessina & Jordanus ipse, omni numero annorum abstinet in recensenda morte Borzivogii, id solum referens: *Plenus dierum bonorum diem clausit ultimum*, ut seu a Christanno seu alio posteriore hos XXXV. annos vitæ adjectos fuisse plane testatum sit. Atque his veterum certis, indubitatisque testimoniis allatis ruit alterum argumentum, quod ad roborandum hanc annorum supputationem ibidem adduxit Jordanus. 2. Tam incerta minimeque vetus est illa traditio, quam *perpetuam* vocat Jordanus de suscepto Borzivogii baptismo *in vigilia S. Joannis Baptistæ, quæ tunc in Dominicam incidit.* Immemor aut ignarus Vir solertissimus cum Weleslavino vetustissimi Ecclesiæ ritus: nusquam vigilias diebus Dominicis celebrari, sed sabbatho præoccupari solitas. Nec vero antiquior Hagecio (quem exscripsit Lupacius, Weleslavinus, Pessina & Stredovskius) ullus est, qui baptismo huic certam diem scilicet vigiliam S. Joannis assignasset, quam primus iterum perperam in dominicam rejecit Weleslavinus, ita ut mera conjectura sit nostrorum cum Ecclesiæ ritu pugnans. Nec enim hactenus ullum vetustius præceptum in manus meas pervigit, quo caveretur, ut baptismus nonnisi die dominico conferretur. Male namque Jordanus & Weleslavinus præceptum de consecratione Episcoporum ad baptismum traduxere. Vetus autem erat Ecclesiæ disciplina, ut cathechumeni nonnisi festis Paschatis & Pentecostes sacri baptismatis unda regenerarentur, confirmatusque id hoc ip-

Menken. T. III. col. 1808.
Marignola Mſ.
Theodulphus Episc. Aurel. in epist. encycl. Baron. ad An. 835. N. 22.
Weleslav. Kopugnans.
lend. ad 23. Junii.

so adhuc tempore in synodo Triburiensi Can. XII. cui interfuit ipse Arnulphus cum 26. Episcopis, annis nempe quinque posterius, de qua synodo etiam mentionem facit Regino. An vero hoc synodi capitulum canonque ad Ecclesias solum rite institutas formtasque spectaverit, an etiam comprehenderit Ecclesias neophytorum gentiliumque, quorum baptismum Viri Apostolici pro opportunitate temporis locique aucupari debebant, multi dubitant. Profecto cum Borzivogius extra Ducatum suum in Moravia baptismi aquis ablutus sit, procul dubio tempus locusque a S. Methudio captata sunt, ut se se obtulere. Et quanquam non ignorem S. Gregorii gravissimam tempore Divi Bonifacii ad Clerum datam constitutionem: ut præter solum mortis periculum nequaquam extra tempus Paschale & Pentecostale baptismus conferatur, tamen illa, ut ex narratis Christanni nostri eruere licet, jam hoc tempore nonnihil mitigata ac relaxata fuit. Si superiora admittimus de concessione Ducatus Bohemiæ ab Arnulpho facta ob Ecclesiæ Bohemæ, expulso Christiano Duce, periclitantis metum, Borzivogii baptismus accidere debuit ante quadragesimam hujus anni; nam mediante quadragesima, ut scribunt Annales Francofuldenses, jam Zwentibaldus colloquium cum Arnolpho in Pannonia habuit. 3. Miror magnopere Jordanum, qui Chronologiæ suæ firmamentum in Stredovskii commentitia Suatopluci conjuge Adelheida, ejusque nuptiis quæsiverit, quæ merito a doctissimo Assemanno aliisque eruditis explosa pridem sunt. Hoc anno igitur

Regino ad An. 895.

Baron. ad An. 723. N. 9.

Ad h. a.

III. Accidit verosimillime, quod memorat Christannus noster: *Ad extremum dominatus ejusdem Regni* (Bohemiæ) *pervenit ad imum* (id est ultimum) *ex eisdem Principibus* (paganis) *ortum votitatum Borzivoy. Hic cum excellentissimæ formæ, & egregiæ juventutis flore niteseceret, quodam tempore, negotii sui, populique sibi commissi causa Ducem suum vel Regem Zwatopluk Moraviæ adiit, a quo benigne suscipitur, & ad convivium pariter cum reliquis adscisitur. Verum sessionis ejus locus inter Christicolas minime conceditur, sed ritu paganorum ante mensam pavimento jubetur insidere; cujus Præsul Metudius iniuria condolens fertur dixisse ad eum: Væ, inquit, quod in talis tantusque haud erubescis a principalibus repelli sedibus, cum & ipse in fusceibus Ducatum obtineas, sed magis cupias ob nefandam idolorum culturam cum subulcis unus tanus incubare! at ille: quid inquit, ob hujuscemodi rem pericli patior, vel quid boni mihi confert Christianitatis ritus? si, inquit Præsul Metudius, abrenunciaveris idolis, & inhereditantibus in eis dæmonibus, Dominus Dominorum tuorum ef-*

Christanni, Vita SS. Lud. & Weucesl. Mss. Bibl. Metrop.

fecia-

ficiaris, cunctique hostes tui subjicientur ditioni tuæ, & progenies tua quotidie augmentabitur velut fluvius maximus, in quo diversorum confluunt fluenta rivulorum. Et si, inquit Borivoy, res ita se habet, quæ mora est baptizandi? nulla, inquit Pontifex, tantum paratus esto ex integro corde credere in Deum Patrem omnipotentem, ejusque unigenitum Dominum nostrum JEsum Christum, & in Spiritum Paraclytum illuminatorem omnium fidelium, non tantum mundialis causa substantiæ, verum etiam capessendæ salutis tuæ & animæ, ad acquirenda perennitatis glorioſa palma, atque percipienda societate sanctorum ineffabili lætitia. His & hujuscemodi exortationibus accensa mens juvenis æstuabat gratiam baptismi percipere, & ut ne ulla mora fieret, cum suis omnibus, qui cum comitabantur, terretenus pedibus Pontificis advoluti, obnixius postulavere. Quid plura? mane facto, ipsum Ducem cum suis triginta, qui advenerant, catechizans, peractis jejuniorum ex more solemniis, sacrosancto baptismatis fonte innovavit, pleniterque eum de fide Christi instruens, multis locupletatum donis ad propria redire concessit. Compendio vero rem refert auctor vitæ SS. Cyrilli & Methudii ex Mſ. Blauburano: *Accidit autem, ut Rex Suadopluk in quodam convivio Ducem Boemiæ nomine Worsiwoi sub mensa sua in detestationem suæ perfidiæ locaret, incongruum asserens debere cum Christicolis gentilem hominem edere. Quem S. Præsul Methudius convertit ad fidem Catholicam prædicens ei ore prophetico, si baptizaretur, quod ipse & sui successores potentiores omnibus Principibus & regibus forent. Cujus verbis Dux Worsiwoi consentiens se petiit cum XXX. suis numero baptizari.* Plura hic ex vetustissima vita S. Ludmillæ & Christanno præoccupare, quæ baptismum Borzivogii consecuta sunt, supersedemus, quandoquidem ea passim postea recitat Hagecius, quem ad eum locum ex aliis vetustis pro more illustrabimus. Ex supra vero recitatis verbis: *Peractis jejuniorum ex more solemniis* plane liquet, unde originem traxerit opinio de *Vigilia S. Joannis Baptistæ*, quam primus profert Hagecius. Verum ea olim erat pietas Ecclesiæ, ut non modo Episcopi ante singulas solenniores Ecclesiasticas functiones, qualis erat baptismus tanti Ducis totque procerum Bohemiæ, jejunium præmitterent, sed & ipsi laici ante graviora quæque suscepta negotia, qualia erant celebratio synodorum, electio & coronatio Regum, expeditio castrensis, conflictus &c. se se ad ea jejunio præpararent, cujus rei pene infinita exempla legere est in Baronio. Nec mirum de jejunio baptismo præmittendo nullum exstare vetus præceptum, quandoquidem is passim nonnisi Paschatis & Pentecostes diebus impertiri solitus, quos alioquin suæ vigiliæ præcedebant; ut verosimillime ritus hic jejunii etiam postea penes baptismi concessionem primitus perstiterit, cum sa-

Acta SS. Bolland. ad 9. Martii N. 14.

cramentum hoc extra festa Paschalia & Pentecostalia conferre in usum ebiit.

ANNUS 891.

Firmatis jam legitimo moderatore Wissehradensibus gubernaculis, at non fœcunda consorte *principali toro*, Lopotæ vetusto jure Borzivojum sub veris tempus copularunt cum Ludmilla (a) nata Slaviboro de Bssow virgine adolescentula exculta omnibus felicis naturæ muneribus, Deorumque cultui ad superstitionem dedita. Nuptialis solemnitas tres integros dies tenuit, quibus Proceres senioresque ut liberalissime, ita, supra quam dici *possit*, lautissime habiti, (b) nec prius quam quarto, qui illucescebat, die ad sua redire permissi.

Ludmilla Borzivojo nuptui datur.

Krosynæ simulacrum.

At vero Ludmilla Deam Krosynam præ reliqua Deorum Dearumque turba ornare atque colere ab unguiculis assuefacta, (c) quo augustius rerum potita eam veneraretur, maritum Borzivojum precibus permovit, ut per evocatos ad id artifices simulacrum ex auro solido humana proceritate majus fundi juberet. (d) Id in abdito quodam sacrario constitutum, ad quod juges lychnuchorum lampadumque ignes ardebant, ipsa autem Ludmilla statis sacrificiis summa religione muliebri numini litabat. (e)

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXCI.

FORMOSI PAPÆ 2. - - - IMP. vacat.

BORZIVOGI *post Baptiſmum* 2.

(*a*) Hæc ea ipſa Ludmilla eſt, quæ dein prima e gente noſtra martyrii laurea decorari meruit. De illius progenie & animi dotibus ita Chriſtianus noſter: *Habuit* (Borzivogius) *uxorem nomine Ludmilam filiam Slaviboris Comitis ex provincia Boemiæ, quæ Bſſow antiquitus nuncupabatur, nunc a modernis ex civitate noviter conſtructa Mielnik vocitatur, quæ ſicut par ei fuerat in errore gentilitatis immolando ſimulacris, ita & in religione Chriſtiana imitando, imo præcellendo virtutes ſui viri facta eſt vere famula Chriſti.* Hujus ſanctæ plures vitæ exſtant tum adhuc ineditæ tum jam prælo datæ. Earum illa inter antiquiſſimas cenſenda, quæ habetur in Codice Mſ. Bibliothecæ Inclytæ Societatis Jeſu ad S. Clementem Vetero-Pragæ crebro a Peſſina & Jordano commendata, cujus exemplar & nos aſſecuti ſumus. Reſpondet illa quidem paſſim narratis & rebus Chriſtianni noſtri, at ſeparata ſejunctaque eſt a vita S. Wenceslai; tum caret nuncupativa illa epiſtola Chriſtanni ad S. Adalbertum. Alteram, quæ Chriſtanno adſcribitur, vulgavit Balbinus in Epitome ſua e codice Trebonenſi. Ejusdem fere tenoris eſt, quæ a Bollandianis e codice Budecenſi prolata eſt, a qua etiam abeſſe ſupra memoratam epiſtolam, nec ei adjunctam eſſe vitam S. Wenceslai docuit me literis ſuis Eruditiſſimus ac Clariſſimus Vir Conſtantinus Suyskens S. J. Continuator operis Bollandiani. Aliam breviorem vulgavit Menkenius e Codice Dresdenſi. Poſterius plures etiam vernaculæ editæ; quarum præcipuum locum ſibi vendicat ea, quæ a Nicolao Salio S. J. publicata eſt.

In vita SS. Ludmill. & Wenc.

Balbin. Epit. l. 1. c. 10.

Menken. ſcriptor. rer. Germ. T. III. p. 1808

(*b*) Puczalka has nuptias defigit ad annum 864. Balbinus circiter annum 857. Aliqui cum Hagecio eas ante baptiſmum, alii cum Neplahone poſt baptiſmum ſtatuunt, cujus poſterioris vetuſti ſcriptoris hæc verba ſunt: *Borzivojus ſuſcepto igitur baptiſmate duxit uxorem filiam Slaviboris nomine Ludmillam de caſtello Pſow, quod modo dicitur Melnik, ex qua genuit duos filios ſcilicet Spitigneum & Wratislaum.* Verum multo ante, quam velit Hagecius & verosimillime ante baptiſmum has nuptias accidiſſe perſuadet Continuator Annalium Francofuldenſium nuper a Kol-

Puczalka in Navi - Eccleſ. ad h. a. Balbin. Epit. l. 1. c. 2. Hier. Pez. T. II. p. 1022.

Analecta Vindob. T. I.

lario vulgatus, in quo Spitigneus & Wratislaus filii Borzivogi jam legunter anno 895. Comitiis Arnulphi Ratisbonæ interfuisse, de quo ad illum annum.

(c) Quod vetustæ vitæ S. Ludmillæ generatim de simulacris gentilitatis loquuntur, Hagecius, isque primus ad Krosinam accommodavit, Deam in mythologia Slavica scriptoribus aliis incognitam. Noster P. Victorinus Deam hanc veteribus Slavis Junonem fuisse autumat; at certum est, quod Juno, si obstetricandi officium spectetur, Slavis appellata fuerit *Slota-Baba* quasi auream anum aut Deam obstetricem dicas. Eam jam Syris cognitam fuisse nonnulli contendunt, & *Babia* nominatur apud Photium Cod. 242. βαβαὶ apud Hesichium, *Babia* item apud Seldenum. *Zlota-Baba* apud J. C. Scaligerum. *Zolota-Baba* apud Alexandrum Guagninum & Boxhornium. De ejus figura ita commentatur Guagninus: *In Obdoriæ regione ad ostia Obdi fluvii est quoddam antiquissimum idolum de lapide excisum, quod Moschovitis Zolota-Baba id est aurea anus dicitur. Est autem similitudo mulieris vetulæ infantem in gremio tenentis, & alterum juxta se infantem habentis, quem nepotem illius esse incolæ dicunt.* Plura de hac Dea videri possunt apud Abrah. Frencelium aliosque historiam Slavicorum numinum prosequentes.

In Mss. ad h. l.

Selden. de Diis Syris Syntagm. 2. c. 4. Scaliger de subtil. exerc. 112. Guagnin. Sarm. Europ. p. 85. Boxhorn. de rep. Mosc. P. 1. p. 51. Frencel. de Diis Serab. sect. 2. c. 8.

(d) Ad hunc locum noster P. Victorinus:* *Hoc Dea Krosina simulacrorum conflatum postea obtinentibus Christianis sacris in statuam auream Virginis Deiparæ (quæ nunc Vetero-Boleslaviæ prodigiis claret, quamque D. Wenceslaus ab avia sua Ludmilla dono acceperat) putant Arsenius historiæ Boleslaviensis scriptor, Bartholdusque Pontanus in sua Bohemia Pia.* Quibus præcipue addendus Balbinus, qui de hoc argumento copiosius scripsit. Meminit etiam rei hujusce Crugerius.

* *In Mss.*

(e) Si Krosinam nostram eandem cum Junone seu Slota-Baba esse dicamus, ejus cultum supra relatus Guagninus his verbis describit: *Hoc idolum ab Obdoriensis, Jubriscis, & Vobuliscis, aliisque conterminis gentibus cultu latriæ colitur, præstantissimasque & maximi pretii pelles Zebellinas idolo offerunt, unaque cum reliquarum ferarum pretiosis pellibus cervos quoque selectiores ad sacrificium peragendum mactant, quorum sanguine os, oculos, & reliqua simulacri membra perungunt. Inteslina autem cruda victimæ devorant, & inter sacrificandum sacerdos idolum consulit, quid ipsis faciendum, quove migrandum sit?* Et postea: *Si quæ gravior calamitas gentem premit, vehatis*

sa-

fames, bellum, vel peſtis: idolum ſuum ſtatim conſulunt, quod hoc modo faciunt: ceram ſimulacro proſtrati preces fundunt, mox tympanum in medio ſtatuunt, quod ſorte lecti circumſtant, argenteum buſonem tympano imponunt: dein bacillo percutitur tympanum. Ac cui circumjacentium accedit buſo, proximus interficitur. Statim neſcio quibus idoli præſtigiis vitæ reſtitutus, malorum cauſas exponit. Itaque placato idoli numine non ita multo poſt publica calamitate liberantur.

PRÆTERMISSA.

Regino & Annales Metenſes narrato ad hunc annum infelici Arnulphi bello ad Guliam fluvium ſubjungunt: *Dum hæc aguntur: Arnulfus Rex in Bojuriorum extremitatibus morabatur inſolentiam Sclavorum reprimens.* Quo Sclavorum nomine, qui alii intelligi poſſint quam Bohemi, non video, nam cum Moravis hoc anno pacem fuiſſe, imo ab Arnulpho per legatos renovatam his verbis memorant Annales Francofuldenſes: *Rex* (Arnulphus) *legatos ſuos pro renovanda pace ad Moravos mittit.* Confirmat Ditmarus infra referendus tumultus quosdam fuiſſe in Boemia, nam Arnonem Wirzburgenſem Epiſcopum ex expeditione Bohemica reducem occiſum narrat. Jam ſi cum his exterorum relatis conferamus hiſtorias noſtras veteres patrias, præſertim eas, quæ ex vetuſtis vitis S. Ludmillæ hauriuntur, quæque Borzivogi Ducis geſta ſimul complectuntur, haud aliud elicere licuerit, quam id illud ipſum tempus & annum eſſe, quo Borzivogius ob ſuſceptum nuper baptiſmum a Bohemis gentilibus principali throno exutus, provincia expulſus, inque ejus locum Stroymirus homo apud Germanos exul intruſus. Veroſimillimam, inquam, ex his eruemus hiſtoriam: Borzivogium peregria extorrem præſidium hoc anno inveniſſe in Suatopluci Aula, cujus ille hortatu Chriſtianam religionem amplexus erat. Hunc (ut ei Chriſti fides tandem in Bohemia plantata cordi non eſſe non poterat) maxime credibile eſt Borzivogio contra rebelles gentiles ſuppetias tuliſſe, ad id etiam Arnulphum & Arnonem Würzburgenſem Epiſcopum, quibus jam amice uſus fuerat, inciraſſe, ut ſocia arma jungerent, idque eandem perficeret, ut Boemi Borzivogium recipere cogerentur. Quo itaque ſpectare videntur ea, quæ Hagecius ad annos 896. & 897. narrat. Et quanquam is tumultus hos ſolum inter populares geſtos fuiſſe memoret, nec ullus ſcriptorum noſtrorum mentionem ſeu Suatopluci ſeu exterorum faciat, qui Borzivogii partes tuiti eſſent, tamen ex ſupra commemoratis exterorum indiciis ſat teſtatum eſt, Borzivogium

Regino & Annal. Metenſ. ad h. a.

Adb. a.

alie-

alienis etiam præſidiis fultum fuiſſe. Non mirum vero hæc incognita fuiſſe noſtris ſcriptoribus, quandoquidem illi ætate hac multo poſteriores ſue paſſim ex mera traditione hauſerunt. Sed jam Ditmari teſtimonium proferre & expendere libet: ſic vero habet: *Non longe a prædicto amne in pago Chutizi dicto Arnus Epiſcopus ſanctæ Witzeburgenſis Eccleſiæ IX. cum ab expeditione Boemorum reverſus juxta plateam in parte ſeptentrionali, fixo ſuper unum collem ſuimet tentorio miſſam caneret, hoſtili circumvallatus agmine, præmiſſisque omnibus per martyrium ſuiſmet cum ſociis ſemetipſum obtulit Deo patri DCCCXCII. Dominicæ Incarnationis anno temporibus Arnolphi Imperatoris* (imo Regis tantum) *cum oblationibus conſecratis in ſacrificium laudis. Ubi hodie ſæpe accenſa videntur luminaria, & ſanctos dominii martyres hos eſſe nec Sclavi dubitant.* Procul dubio ideo martyres culti, quod ob ſtabiliendam in Bohemia fidem Chriſtianam mortem oppetiiſſent. Exprimit quidem Ditmarus hic annum ſequentem nempe 892. eumque etiam cum pluribus ſecutus Baronius. At error iſte ex Reginone hauſtus eſt, qui ſæpius plurium annorum hiſtorias in annum unum congerit, & quæ anterius facta nonnunquam illi anno adſcribit, quo præcipua de perſona, de qua agit, occurrit memoria. Nam Chronicon vetus Würzburgenſe apud Stephanum Paluzium, & Mabillonium Arnonis cædem conſignat ad annum præſentem his verbis anno DCCCXCI. *Arn Virzburg. Epiſcopus in Saxonia occiſus eſt inter miſſarum ſolemnia.* Cui Chronico de rebus Würzburgenſibus ſcribenti præ ceteris *habenda fides.* Servat vero eundem annum 891. etiam Lupacius noſter & Weleslavinus, qui martyrio XXIX. Junii defigunt, citantque Fabricium & Chronicon Mansfeldenſe. Nec ab hoc anno receſſit Balbinus, etſi Ditmari Baroniique ſententia ei non eſſet incognita. Porro ut locum illum, quo Arno Epiſcopus occiſus eſt aliquantum illuſtremus: erat Chutizi pagus Slavicus conterminus Daleminciæ inter fluvios Salam, Eliſtram, Mildam, & Camizi ſeu Chemniz, pagosque Vedu, Pliſni, Tuchurino, & Daleminciam ſitus, ut Junkerus ex Ditmaro probat; locum autem in colle ad hodiernum Frauenberg eſſe ominatur Ekhartus; hic loci an a perſequentibus Boemis, an a pagi iſtius Slavis interfectus ſit, incompertum. Nihilominus ex hac Arnonis expeditione Boemica, ſolum a Ditmaro indigitata, alii hoc anno victoriam, alii cladem Boemorum accidiſſe effingunt. Balbinus ita commentatur: A. 891. *Bellum Bohemi adverſus Bojos & Thuringos geſſere celebri parta victoria.* Quo loco in margine citat Ditmarum & Hermanum Contractum. Ditmarus vero, præterquam de expeditione & interfectione Arnonis, de victo-

Ditmarus Reſtit. l. 1. apud Leibnit. T. I. p. 324.

Lupac. in Ephemerid. Weleſlav. in Calendario ad 29. Jun. Balbin. Epit. l. 2. c. 10. p. 86.

Junker. l. 3. p. 345. Ekhart. rer. Franc. t. 32. p. 728.

Balbin Dec. 1. l. 3. c. 21. p. 248.

ria

ria nihil perſcripſit, Hermannusque alum filet. Weleslavinus contra ait mortem Arnonis per Germanos fuiſſe vindicatam, adeo ut Boemi eodem die nempe 29. Junii non modica clade affecti fuerint. Sed de neutro quidpiam in veteribus. Tanto minus ferendus Adelzreiter, qui etiam Moravis hoc anno amice Arnulpho utentibus, neſcio, quam cladem appingit. Verba illius ſunt: *Nondum annus abierat, quum ea virium acceſſione* (nempe Boemiæ) *præſidens* (Zuentibaldus) *rediit ad ingenium, & crimen perduellionis. Jam non obſcure lecto exercitu prodebat defectionem, cum Arnulfus copiis ſubitario delectu contractis movit in Moraviam. Nondum tunc Zuentibaldus eo numero ſe armaverat, ut ſui copiam facere auderet. Quare Arnulfus longe lateque effuſus in agros tantam univerſæ provinciæ vaſtitatem invexit, ut Zuentibaldo pax, data filio obſide, fuerit exoranda.* Ita nempe in transverſum injuriamque gentis Moravicæ detorti Annales Francofuldenſes: ut cum illi de legatis ab Arnulpho renovandæ cum Moravis pacis ergo miſſis loquuntur, hic ad perduellionem, & obſidem filium datum perperam trahantur. Certe ex iisdem Annalibus Francofuldenſibus liquet: Arnulfum poſt cladem a Nortmannis hoc anno acceptam omnem militem a limitibus Bajoariæ retraxiſſe, illoque bellum contra eosdem Nortmannos feliciſſimo exitu reſtauraſſe; quod manifeſto teſtimonio eſt: reſtituto in ſedem Ducalem Borzivogio, omnia in finibus Boemiæ & Moraviæ facta fuiſſe tranquilla. Qui vero tumultus ante revocatum in Ducatum Borzivogium in Boemia hoc anno fuerint, his verbis graphice deſcribit Chriſtannus: *At vero plebs præfata in nequitia ſua permanens quendam Ducem Zroymir nomine, cujus in latinum vertitur ſermonem, Rege pacem, qui apud Teutonicos profugus exulabat, gente ex ſua miſſis legatis, ad propria eum reducunt, ſibique Principem ſtatuunt. Verum quoniam veritas minime fallitur, quæ ait in Evangelio: omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cæleſtis eradicabitur; ipſa cooperunte diſſipatum eſt conſilium pravorum velociter. Nam isdem eorum electus Dux, licet ex eisdem genitus foret, diuturna tamen exulatio eum proprii privaverat labii eloquio. Quapropter a ſuis electoribus rejicitur, ſe ipſos primum accuſantibus, videlicet quod talem ſibi elegiſſent, cujus neque vocem, neque ſermonem noſſent haurire, quodque clamores aures ejus ignaras linguæ ſuæ penetrare non valerent; & quoniam Dei providentia diſponente ſupra memoratus Princeps Borzivoy plurimos amicorum inibi ſedens reliquerat, agitur eorum conſilio, ut animus furentium plebium erga benignum rectorem mitigaretur, atque adverſus invaſorem perfidum toto annisu inſtigaretur ad necem. Verum quoniam pars quam maxima perfidorum tyranno favebat, ineunt conſilium partibus ex utrisque, quo civitatem Metropo-*

Adelzreiter Annal. Boj. P. I. l. 12. p. 291.

Paſſio SS. Ludmill. & Wenc. Mſ.

lim, Pragam scilicet, egredientes in campo, quid sibi gerendum foret, perquirerent. Sed perfida pars perfidorum perpere agens, arma secum loricasque occulte in eundem campum deferens, piorum adversus partem signum occultum necis inter se condixit, scilicet ut si ibi, qui ex parte Principis Borzivoy erant, eis assentire nollent, quilibet eorum excelsa voce occultum in medio proclamaret signum, inquiens: Variemus, variemus nos! *Sicque jam loricis & galeis, quas absconditè tulerant, induti, universos sibi contradictores frameis necarent. Quod consilium eorum pessimum minime partem Borzivoy latuit; itaque & ipsi loricis sub tunicis indutì procedunt in campum pro definiendò statu Principis. Cumque parti Ztroymir non placuisset consultus partis Borzivoy, unus eorum vocem in altum elevans, proclamat:* Heja nostri! variemus nos! *Qua voce hausta & cognita pars Borzivoy, quæ loricata sub tunicis advenerat* bene *inquit* bene dixisti! ecce nunc diversis coloribus apparebis variatus. *Sicque ferro obtruncato cunctos ejus socios fugam inire coegerunt, eorumque falsum Principem patria expulerunt. Moraviam dehinc properantes, pristinum Ducem reducentes loco proprio restituunt.* Quæ pluribus adjectis in duos annos dispescuit Hagecius, ut ad annum 896. & 897. videbimus.

ANNUS 892.

Borzivojo nascitur filius Spitihnievus.

Hic annus lucem dedit Spitihnievo Borzivogi ex Ludmilla filio.(a) Ad cujus ortus lætitiam concelebrandam præter ceteram nobilitatem vocati quoque a Principe sunt Slaviborus socer, socrusque Lidoslaba. (b) Convivatum est diebus quinque continenter vario deliciarum genere, ferculorumque apparatu; quibus diebus accidit, ut epulanti Principi nunciaretur legatos a Swatopluco Moravorum Rege cum muneribus adesse. Admissi in triclinium, dolium veteris nobilisque vini produxerunt, quod Moravorum Rex Borzivojo amicitiæ causa mitteret, munus ad eum diem Bohemis incognitum. (c) Itaque propinata confestim peregrina pocula admirationi fuere universis. Remissis deinde

Primum vinum in Boemia

cum

cum multo auro argentoque legatis vinum merum ex eo tempore in Bohemia bibi cœpit. Ludmilla quoque indignum rata in madore hominum Krosinam suam sitire, cum amphoram marmoream jussu Borzivoji fabricatam ex ambrosiæ istius liquore per noctem bibendam simulacro propinasset, tantam repente pumicei cœli, atque ipso trimestri inexorabiles aquæ pluviæ dejecerunt vim, quanta & suscitandæ emortuæ segeti, & siti marcido gramini revocando satis superque fuit. Ea denique res in multitudinem continuo sparsa miram quantam & Ludmillæ existimationem, & Krosynæ reverentiam metumque apud rude vulgus peperit, cujus oratu hos a Jove impetratos imbres dictitabant. (d)

Offertur Krosinæ a Ludmilla.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXCII.

FORMOSI PAPÆ 3. - - - IMP. vacat.

BORZIVOGI *post Baptismum* 3.

(a) Borzivogio filium fuisse Spitigneum ex omnibus vitis vetustis SS. Ludmillæ ac Wenceslai & Cosma nostro testatum est. At unde hunc subtestum natalium annum depromserit Hagecius, quis conjiciat? certum enim est diem natalem Spitignei multo ante statuendum esse, quandoquidem is anno abhinc tertio scilicet 895. jam legitur interfuisse Comitiis Ratisbonæ celebratis, ut suo loco ostendemus. Ceterum Spitigneus varie ab Authoribus scribitur: omnium optime autem SPITGNEV scribi ostendunt superstites numi Spitignei II. suo loco referendi.

(b) Hæc Lidislava nemini ante Hagecium cognita.

(c) Magna incogitantia hæc scripsit Hagecius: nam quanquam disputare nolim vinum hoc ævo rarius fuisse Boemis, tamen ut Duci-

bus ipsis ac Principibus personis fuisset incognitum, nullus mihi persuadeo. Mercatores Francicos jam sub Carolo M. in intima Slavicarum regionum penetrasse Parte II. ostendimus. Nec infrequentes fuere legationes Italicæ, Constantinopolitanæ, Dalmaticæ, Franciceque, item bella in Germania, hodierna Hungaria & Italia gestæ, quæ haud tectum potum hunc genti nostræ relinquere potuerunt. Quare non satis mirari possum Balbinum in his cetera oculatum, cum tam facile Hagecio assensus est, imo ejus dicta confirmat; sic enim ille: *De vino Bohemis ad id tempus ignoto pura puta veritas est.* Quod quanquam de plantatis vineis admittere libeat, nequaquam tamen de vino ipso dicere fas sit. Imo triginta annis posterius tempore S. Wenceslai, jam genti nostræ usum fuisse vinearum, ex ejus vetusta vita legitur. Nec tamen cum Balbino dicere velim Melnicii primam vineam ab eo Sancto cultam, cum vita illius generatim loquatur uvas ab eo in Missæ sacrificium fuisse torculari submissus.

Balbin. Dec. I. l. 2. c. 19. & Orig. Guttenstein. c. 20. p. 81.

(*d*) Istud in nullo vitæ S. Ludmillæ scriptore, aut alio vetusto documento legeris.

PRÆTERMISSA.

I. Rebus nonnihil in Boemia pacatis nova belli flamma, eaque minime exspectata exarsit in Moravia, quam Arnulphus ipse succendit, ut postea videbimus, quanquam Germani scriptores passim perduellionis Suatoplucum criminentur. Ea de re jam agit Regino plerumque sua præter Chronologiæ ordinem acervare solitus ad annum 890. cum Ducatum Boemiæ Zuentibaldo donatum narrasset; cui subjungit: *Zuentebolh ex adjectione alterius regni vires non parvas sibi accessisse sentiens, fastu superbiæ inflatus contra Arnulphum rebellavit. Quod cum agnovisset Arnulphus, cum exercitu regnum Marahensium ingressus cuncta, qua extra urbes reperit, solotenus demolitus est.* Narrationem hanc pertinere ad annum præsentem docet nos Hermannus Contractus & Annales Francofuldenses. Prior vero sic habet: *Arnolfus Rex Pannonias adiens cum Zuentibaldum Ducem Marahensem iterum sibi rebellantem cognovisset, colloquio cum Brazlavcone Duce Pannoniæ ulterioris habito trifariam cum tribus exercitibus, Ungaris etiam auxiliatoribus nuper illas in partes adventantibus, per continuum mensem Marahensem devastat regionem, ipse etiam eodem tempore priscam cum Vulgaris renovat amicitiam.* Quod breviſſime complexum est Chronicon breve S. Galli Ar-

Regino ad An. 890.

Herm. Contr. apud Canis. ad h. a.

Apud Franc. Chesnium T.

Arnolphus Rex contra Marabenses pergebat. Quæ vero ea Zuentibaldi rebellio fuerit etiam produnt Annales Francofuldenses his verbis: *Rex* (Arnulfus) *de Francia cum victoria in Alamania curte regia Ulma honorifice natalem domini celebravit* (nempe anno finiente 891.) *Inde orientem proficiscitur, sperans sibi Zwentibaldum Ducem obvium habere. Sed ille more solito ad Regem venire renuit, fidem, & omnia ante promissa mentitus est. Inde Rex irato animo in Hengistfeldono cum Brazlavone colloquium habuit: ibi inter alia quærens tempus & locum, quomodo possit terram Maravorum intrare: consultum est enim, ut tribus exercitibus armatis regnum illud invaderet. Rex equidem assumtis secum Francis, Bajoariis, Alamanis mense Julio Maravam venit: ibi per IV. hebdomadas cum tanta multitudine, Ungaris etiam ibidem ad se cum expeditione venientibus, omnem illam regionem incendio devastandam versabatur.* En præcipuam causam enati erga Zuentibaldum odii, illatique belli, quod Arnulfus in Pannoniæ terminos proficiscens frustra speraret sibi obviam habiturum Zuentibaldum, idque rebellioni datum, quod vocatus venire renueret; scilicet credebat Arnulfus vasalligio sibi obnoxium Zuentibaldum ob concessam anno 884. in beneficium Pannoniam. Verum an non hic potius obtentus quidam Arnulfo fuerit, & occasio, ut tandem larvam deponeret, & quod hactenus nonnisi simulata erga Zuentibaldum usus sit amicitia, palam faceret, ostentant plura indicia. Dolebat nimirum ob concessos Transdanubianos Comitatus, dolebat ob amissam Pannoniam, quas provincias, ut vindicaret, minime piaculum ratus est omni collecto robore, & tribus delectis exercitibus Moraviam involare, imo ethnicam gentem eamque maxime efferam, Hungaros nempe nuper in Danubii regiones se insinuantes, non modo in Zuentibaldi, sed totius Germaniæ Principum exitium excire. Inflaverat etiam turgidum Arnulfi animum obtenta percelebris ad Chylam fluvium superiore anno contra Nortmannos victoria, ut, spe jam devorans Regnum Moraviæ, Zuentibaldum debellandum minime dubitaret. Et fortassis etiam vindictam sufflaminavit Formosi Papæ favor, quo in Zuentibaldum ferebatur. Nam quod is Widonem Romanorum Imperatorem agnosceret, Arnulfo non modicam bilem in nares ciebat. Quod autem sola dilatandi imperii cupiditas incitamento fuerit Arnulfo ad lacessendum Zuentibaldum, libet audire Luitprandum pene coævum Cremonensem Episcopum hominem alienigenam ita Arnulfi ambitionem exaggerantem: *Arnulfus interea earum, quæ sub Arcturo sunt, gentium Rex fortissimus, quum Zuentibaldum Maravanorum Ducem - - - sibi viriliter repugnantem debellare nequiret; depulsis his (proh dolor) munitissimis in-*

III. p. 466. *Annal. Fuld. ad h. a.*

Annal. Fuld. ad An. 891.

Flodoard. l. 4. c. 2.

Luitprand. l. 1. c. 5.

interpositionibus, quas vulgo cluſas *nominari prædiximus, Hungarorum gentem cupidam, audacem, omnipotentis Dei ignaram, ſcelerum omnium non inſciam, cædis & omnium rapinarum ſolummodo avidam in auxilium convocat, ſi tamen auxilium dici poteſt, quod paulo poſt eo moriente tum genti ſuæ, tum ceteris in meridie occaſumque degentibus nationibus grave periculum, imo excidium fuit. - - O cæcam Arnulfi Regis regnandi cupiditatem! o infelicem amarumque diem! unius homunculionis dejectio, ſit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribusque orbitates, virginibus corruptiones, ſacerdotibus populisque Dei captivitates, Eccleſiis deſolationes, terris inhabitatis ſolitudines cæca ambitio paravit?* Qui plura ejusmodi argumenta ſtylo in Arnulfum exerto a ſeveritate judicis æterni, a conſcientiæ remorſu, a charitatis Chriſtianæ læſione, vel ab ipſa humanitatis lege acervatim energeticeque repetit, quæ hic exſcribere longum eſſet. Faceſſat igitur Goldaſtus calamitati gentis noſtræ & Moravorum ubivis applaudens, dum conſilium iſtud Arnulfi probat, *aſtutumque* appellat, ob quod jam merito reprehenſus a Balbino ita ſcribente: *Vehementer Arnulphi conſilium aſtutum probat Goldaſtus. Sed quam Chriſtiane examinent Chriſtiani, & boni Politici.* Magis candide rem fatetur Adelzreiter ſcriptor Germanus: *Occulte faba cudebatur in Moravum, quem jam olim Boica Reges, ut fudem in oculo ferentes, oppreſſum voluiſſent.* Ceterum aſſentiri non poſſum Stranskio, Peſſinæ, Stredovskio aliisque tum noſtris tum exteris, qui idcirco Arnulfum amicitiam cum Zuentibaldo rupiſſe contendunt, quod is ad Conſtantinopolitanum Imperatorem magis reſpiceret, quam ad Germaniæ Reges, quodque illi fœdere junctus eſſet. Nam hoſtes non fuiſſe Græcos Arnulfo ejusque avo & patri, oſtendunt tot legationes Imperatorum Conſtantinopolitanorum ad eos miſſæ, nec documentum hactenus idoneum reperi vel in ipſo Porphyrogenito res Suatopluci ſparſim proſequente, eum fœdus cum Græcis iniiſſe, quod forſaſſis illi filiisque ſalvi eſſe potuiſſet.

Goldaſt. de Reg. Sclav. l. 2. c. 9.

Balbin. Dec 1. l. 3. p. 283.

Adelzreiter Annal. Boj. P. 1. l. 12. §. 42.

Annal. Fuld. ad h. a. Aſſeman. T. III. P. 2. c. 3. p. 260.

II. Perſequitur Annaliſta Franco-Fuldenſis: *Miſſos etiam ſuos* (Arnulfus) *inde ad Bulgarios & Regem eorum Ludomir* (Monet Aſſemanus legendum eſſe *Vladimir* & addendum *filium*, nempe *Simeonem* Vladimiri filium) *ad renovandam priſtinam pacem cum muneribus menſe Septembri transmiſit, & ne commeatus ſalis inde Moravanis daretur, expoſcit. Miſſi autem propter inſidias Zuentibaldi ducis terreſtre iter non valentes habere, de regno Bruzlavonis per fluvium Odogra usque ad Gulpam, dein per fluentes Savæ fluminis navigio in Bulgaria perducti. Ibi a Rege honorifice ſuſcepti, eadem via, qua*

re-

venerant, cum muneribus mense Majo (scilicet anni insequentis) *reversi sunt.* Non satis nempe erat Arnulfo totius Germaniæ vires evocasse, Hungarosque contra Zuentibaldum irritasse, nisi etiam Bulgaros in societatem studeret pellicere, atque id saltem perficeret, ut ne salem Bulgari, quem hactenus Moravi ab ipsis acceperant, in Moraviam evehendum permitterent. An vero recte scripserit Ekartus ita commentans: *Omne sal enim ex montanis Transylvaniæ sale fertilibus tum petendum fuit, nam in vicinis Moraviæ Polonia tum adhuc salis fodinæ non fuerunt,* multum dubito, constat enim ex supra relatis omnes pene ad Transylvaniam regiones imperium Suatopluci respexisse. Porro quod Arnulfus Bulgaros in societatem pellicere conatus sit, procul dubio ei spem non vanam obtruserat nuperna anno 882. Bulgarorum in regnum Zuentibaldi irruptio, a qua Bulgaros haud penitus ac integre Moravis conciliatos confidebat. Jam ex hoc Annalium Fuldesium loco clare eruere licet: Zuentibaldum nec hoc nec sequente anno usque ad Majum amisisse Pannoniam cisdanubianam, & verosimillime hujus anni bellum, ab Arnulfo & Hungaris illatum, gestum fuisse in septentrionali Danubij plaga, cum ad evitandas Zuentibaldi insidias tantum in meridiem, videlicet ad ipsum fluvium Gulpam, seu Colapim, deflectere coacti sint legati Bajoariæ. Est autem Gulpa seu Colapis fluvius etiam hodie notus, cujus fontes esse ad Alpes, miscerique Savo constat, ad ejus cum Savo confluentes sita est urbs Segesta, quæ & Siscia, hodie Sisek dicitur. Odogram Abbas Gotvicensis in sua Tabula Geographica veteris Germaniæ pene ad ostia Colapis fluminis reponit, medium nempe Savum inter & Colapim decurrentem, & Valvasor Odogram seu Odram supra Siscium se Colapi miscentem exprimit tabula sua. Igitur Arnulfus e sinistra Danubii ripa Moraviæ magnæ regiones aggressus est, & Zuentibaldum ob superioris anni pacis conditiones securum, minimeque de bello cogitantem imparatum invasit, eripuitque illi rursum comitatus inter fontes & ostia Rhegini atque Camb ante ad Werinharium & Engilschalcum pertinentes. Nam anno sequente legitur jam Arnulfus quasdam terras intra Camb sitas Cremisanensi monasterio confirmasse his verbis: *Quidquid Wilhelmus & Engilschalcus germani fratres Comites videlicet quondam strenui terminales tam ad Eberespurch ad Cambe sive ad Persiniacham, quamque in aliis Wajoariæ scilicet atque Sclavinie locis vel terminis habuerunt.* Ceterum anni hujus victoriam ab Arnulfo contra Zuentibaldum relatam magno supercilio jactant veteres, & copiosi sunt in recensendis pietatis operibus, quæ idcirco Arnulfus Deo Ecclesiæ

Ekart. Rer. Franc. l. 31. p. 727.

Cluver. Introd. Geogr. l. 3. c. 32. §. 1 & l. 4. c. 1. §. 4.

Chron. Carniol. l. 1. anno 442.

Apud Calles Annal. Austr. l. 3. p. 202.

In vita & miraculis S. Emmerami l. 1.

cleſiisque præſtiterit. Hos inter præcipuus & vetuſtiſſimus Arnulfus S. Emerami Præpoſitus narrat: Arnulphum, cum Zuentibaldo Moravo bellum movere pararet, ſe ſe peculiari S. Emerami patrocinio commendaſſe, ejusque ope victoriam percelebrem conſecutum. *Cum ergo* (inquit) *hujus* (S. Emerami) *patrocinium duris in negotiis & in præliis multis haberet expertum, manifeſtius hoc ſibi adeſſe ſenſit, quando Marahenſi bello interfuit* nempe Arnulfus. Refert deinde Moravos ipſos in congreſſus impetu vidiſſe acies Regis Arnulfi defenſari ab ignotis & pulcherrimis viris, qui, ut dignis revelatum fuit, ſancti erant, quorum patrocinio illac Arnulfus profecturus ſe commendaverat. Perſequitur: unum ex Moravis arrepto clypeo primarium ſignum legionibus prætuliſſe, & ſuos in pugnam eduxiſſe; cum vero audacter in Regem ipſum Arnulfum irrueret, ſenem canitie venerabilem, ſed habitu terribilem obviam illi veniſſe, & aperuiſſe ſe eſſe S. Emeramum. Injeciſſe ſimul umboni manum & hominem Moravum tam diu continuiſſe, dum ſocii, quos adduxerat, in fugam fuiſſent converſi. Hæc vero (ait author) poſtea pavefacta fuiſſe ab eodem ipſo Moravo, cui res iſta acciderat. Claudit denique: *Hinc Princeps glorioſus victoria tali oppida lætus Ratisbonam revertitur, ubi conſonis omnium in ea Eccleſiarum* (ſed non ſupererant Ratisbonæ, niſi duæ Eccleſiæ, nempe S. Emerami & S. Caſſiani, nam reliquæ omnes ſuperiore anno igne conſumtæ ſunt, ut narrant Annales Francofuldenſes) *campanis ſuſcipitur, ſimulque triumphus cum miraculo extollitur. Tunc ſapienti uſus conſilio per cunctas Noricæ monaſteria miſit gratifica munera. Speciali autem ſuo patrono Emerano pro gratiarum actione contulit totum palatii ornatum &c.* hactenus Arnulfus S. Emerami Præpoſitus. Non neſcio quidem plerosque paſſim hanc Arnulfi victoriam, ſupraque recenſitum miraculum ad annum ſequentem referre, ſed contra criſim Chronologicam: cum anno ſequente Arnulfus probe mulctatus ſit a Zuentibaldo, & recedens ex expeditione ſua, non Ratisbonam, ſed Otingam cum difficultate itineris propter inſidias poſitas reverſus ſit, ut loquuntur Annales Francofuldenſes. Porro an victoria Arnulfi hujus anni tantum plauſum mereatur, ut rem deſcribunt Annaliſtæ Francici, dubium eſt; magnam enim ſuſpicionem ſeu rei non plane feliciter geſtæ, ſeu conſilii interrupti ſuggerit tam feſtinus ipſa æſtate reditus, & non niſi per unum menſem in Moravia exercita hoſtilitas cum tribus numeroſis exercitibus. Procul dubio Suatoplucus feſtinanter oppoſitis copiis non tam victorem, quam impune graſſantem hoſtem in medio curſu ſiſtit. Quod ad Hungaros attinet, eos exercitibus Arnulphi

Annal. Fuld. ad An. 892.

Ad An. 893.

jun-

jandos fuisse minime autumo, nec enim leguntur uspiam, nec credibile est eos hoc jam anno ultra Moravam fluvium progressos; nisi Arnulphum in ea parte Pannoniæ, quæ intra Dravi & Savi ostia erat, cujusque Præfecturam Brazlavo Slavus habuerat, cum aliqua exercitus parte egisse dicamus, quæ transmisso Danubio clusas Hungaris patefecerit, cum coævi passim has clusas ab eo Hungaris hoc anno apertas querantur. Harum tantoopere nominatarum clusarum contra Hunnos Avaresque positarum originem tribuit Witichindus Corbejensis Carolo Magno ita loquens: *Victi autem* (nempe Hunni) *a Magno Carolo & trans Danubium pulsi, ac ingenti vallo circumfusi prohibiti sunt a consueta gentium depopulatione. Imperante autem Arnulfo destructum est opus, & via eis nocendi patefacta, eo quod iratus esset Imperator Centupulcho* (Suatopluco) *Regi Moravorum.* Ut ita verosimillime Hungari Suatopluci regiones longe ad Transylvaniam sepositas hoc anno invaserint, in quibus reprimendis, cum occuparetur Suatoplucus, Arnulpho campus apertus ad impune lacessendas terras superioris Regni Moravici. Quis vero exitus fuerit belli cum Hungaris, nihil proditum. Aut enim Suatoplucus feliciter repressit impetum, aut pecuniæ pensitatione invasionem redemit, quod utrumque Arnulfo causæ esse potuit, ad festinanter retrahendum militem suum. Id certum ex Constantino Porphyrogenito: Hungaros ante expeditionem contra Bulgaros, annumque 896. pedem in magnæ Moraviæ Regno firmum non fixisse, ut eo loco ostendemus; hinc inde per Pannoniam quosdam vagatos, victumque venatu & piscatu quæsivisse, ut tradit Annalista Metensis, ultro admiserim.

Witichind. Annal. l. 1. p. 635.

Annal. Metens. ad An. 889.

ANNUS 893.

Suatoplucus Rex Moraviæ primus omnium hujus gloriosissimi Regni Christianus Rex (a) a sancto Cyrillo, quem Croatæ Moravique Chrotam appellabant, (b) rudimenta fidei salvificæ edoctus, aquisque baptismalibus prolutus, Suatoplucus, inquam, seu virium potentia fretus, seu proferendi imperii cupiditate accensus bellum Arnulpho Cæsari, (c) rupta affinitatis necessitudine, (d) hoc anno indixit.

Suatoplucus indicit bellum Arnulpho.

Nam præter Moravicum regnum munitiſſimamque in eo urbem Welehrad rerum affluentia & ditionum multitudine prædives imperium ad ipſam Ruſſiam, (e) quam vectigalem tenuit, explicavit. Armorum cauſa Bavaria fuit provincia, eam ſibi, neſcio, quo jure vendicabat. (f) Cæſar contra uti Imperii Germanici partem meliore titulo retinebat. Hæc dis quum commeantibus ultro citroque legatis amice componi non poſſet, de Suatopluco in ordinem redigendo a Cæſare cogitatum fuit. Sed quo minus id illico hocque anno fieret, obſtitit, quod Cæſar ad opprimendas factiones Sergii Formoſique, acerrime de Papatu dimicantium, (g) Italiam neceſſario ſibi petendam putaret. (h) Suatoplucus interea ad frangendam formidoloſi Cæſaris potentiam amicitia cognatarum gentium, validioribusque armis ſe præmunivit.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXCIII.

FORMOSI PAPÆ 4. IMP. vacat.

BORZIVOGI *poſt Baptiſmum* 4.

(e) Regis titulum etiam Francici quique vetuſti ſcriptores Suatopluco tribuunt. Nuſpiam tamen legitimo documento proditum eſt eum coronatum fuiſſe. Imo a ſede Apoſtolica eum nunquam Regis ſed ſeu Comitis, ſeu Ducis titulo impertitum fuiſſe ex ſupra allatis teſtatum eſt. Mſſ. Annales Andreæ Danduli Venetiarum Ducis a Joanne Lucio laudati coronatum affirmant. Verba ſunt: *Urſus Participatius Dux* (Venetiarum) *factus eſt anno* 874. *Eodem tempore Conſtantinus natione Theſſalonicus, cui Papa CYRILLUS nomen impoſuit, vir Catholicus, divinisque ſcripturis eruditus, & in variis idiomatibus peritus Regem Bulgarorum cum gente ſua ad fidem convertit.* Hujus autem B. Cyrilli pra-

Joan. Luc. de Regno Dalm. & Croat. l. 2. c. 3.

prædicatione Sueropilis (is alibi Suentoplucus scriptus legitur) *Rex Dalmatiæ cum toto suo populo fidem Catholicam suscepit, & ab Adriano Cardinali legato Apostolicæ sedis assistentibus orthodoxis Episcopis & Apocrisariis Michaelis Constantinop. Imp. a quo regnum suum recognoscebat, in plano Dalmini coronatus est.* Verum multæ hæc in narratione hallucinationes: nam 1) S. Cyrillus jam anno 857. Romam transiit, nec ultra reversus. 2) Nomen Cyrillus non Impositum Constantino summus Pontifex, sed ipse ex revelatione assumsit. Quare rectius habet textus Slavicus a Marco Marulo latine redditus: Cyrillum a Papa Monachum ordinatum. 3) Dalmatæ multo ante Christi fide initiati sunt, ut jam P. II. ostendimus. 4) Ægerrime defendi potest Suatoplucum Dalmatiam tenuisse, aliis Ducibus teste Lucio huic regioni præsidentibus. Ego autem traditionem hanc corrupte ad Dandulum perveniisse autumo, eumque falsum a scriptoribus latinis, qui Mſ. vernaculum vetus Slavicum de Regno Slavorum, quod citat Lucius, in latium perperam transtulere. Illi enim passim nomen *Sueropili*, seu *Sucutopluci* substituunt, cum textus Slavicus ejusdem historiæ a Marco Marulo translatus habeat *Budimirum*. Sed fortassis Marulo legendum erat *Branimirum:* constat enim hunc a Joanne VIII. fuisse benedictum, ut legitur in illius epistola Num. 184. & rem narrat Baronius. Ceterum falsum etiam fuisse Hagecium cum Suatoplucum primum Moravorum Regem seu Ducem Christianum facit, supra producto Rastize seu Ratislao docuimus. *Baron. ad An.* 878. N. 14.

(*b*) *Grbæ* seu *Crbotæ* nomine indigitari hodie Cyrillum nullum est dubium. At in nullo veteri documento hujus nominis vestigium.

(*c*) Recte ad hunc locum noster P. Victorinus: *Hagecius secutus Germanos quosdam Chronographos: Arnulphum privata affectione aut errore Carolo Crasso substituentium.* At quid mirum in hoc peccasse Hagecium, quandoquidem anno superiore vel in ipso Ditmaro hunc errorem notavimus.

(*d*) Hæc ex Dalemilo de promta Hagecii verba erroris occasionem præbuisse Pirminio Gasparo, Cromero, Pessinæ, Stredovskio aliisque, ut Suatopluco, nescio, quam Arnulphi sororem in matrimonium datam affingerent, jam supra monuimus.

(*e*) Hoc de Russia Hagecius ex Pulkava nostro depromsit. Sed quam recte, alias advertimus.

(*f*) Si Hagecius intendit Bajoariæ transdanubianos Comitatus inter Rheginum & Camb fluvios, quos superiore anno verosimillime Suatopluco ereptos ostendimus, nolim repugnare de his vindicandis hoc anno animum fuisse Suatopluco. At vero præcipuam armorum causam fuisse invidentiam & cupiditatem Arnulphi paulo ante ex Luitprando manifestum fecimus.

(*g*) En Formosum inter & Sergium controversia tribus aut saltem duobus annis prius, statim post Stephani mortem accidit, ut adnotat Baronius. De illa ita Luitprandus: *Causa simultatis inter Formosum Papam & Romanos hæc fuit: Formosi prædecessore defuncto, Sergius quidam Romanæ Ecclesiæ diaconus erat, quem Romanorum pars quædam Papam sibi elegerat, quædam vero pars non infimo nominatum Formosum Portuensis civitatis Episcopum pro vera religione, divinarumque scripturarum & doctrinarum scientia Papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, ut Sergius Apostolorum Vicarius ordinari debuisset, ea, quæ Formosi partibus fovebat pars, cum non mediocri tumultu & injuria Sergium ab altari expulit, & Formosum Papam constituit.*

Baron. ad An. 891. N. 3.

Luitprand. l. 1. c. 7.

(*h*) Aliam ob causam Arnulphum hoc anno movisse ad Italiam testantur Annales Francofuldenses & Luitprandus. Sic vero priores: *Missi Formosi Apostolici cum epistolis & Primoribus Italici Regni ad Regem* (Arnulfum) *in Bajoaria advenerunt: enixe deprecantes, ut Italicum Regnum & res sancti Petri ad suas manus a malis Christianis eruendum adventaret: quod tunc maxime a Vidone Tyranno* (a quo jam averti ceperat Formosi animus) *affectatum est. Quos Rex apud urbem Regino honorifice recipiens, & cum muneribus postulata annuens, ubire permisit.* Luitprandus vero: *Berengarius ubi prospera inimico* (Widoni) *sibi adversa prospiceret, cum Zwendebaldo* (Arnulphi filio) *pariter Arnulphi Regis adiit potentiam: orans, ac pollicens, ut si ipsum adjuvaret, se totam Italiam, ut ante promiserat, ditioni ejus suppositurum. Qui tantæ promissionis gratia excitus, copiis collectis cominus Italiam adit. Cui Berengarius, ut promissionis suæ daret fidem credulitatis, arrabonem clypeum portat. Susceptus itaque a Veronensibus ad urbem proficiscitur Pergamum, quam anno sequenti obsidione cinxit.* Verum expeditionem hanc Arnulphi in Italiam factam fuisse post bellum hoc anno cum Suatopluco Moraviæ Duce gestum indubie colligitur ex Annalibus Francofuldensibus, qui legationem Italicam post bellum Moravicum narrant.

Annal. Fuld. ad h. a.

Luitprand. l. 1. c. 7.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Continuatum est hoc anno Arnulphi bellum adversus Suatoplucum, de quo Annales Francofuldenses: *Engilscalchus juvenili audacia vir, qui post rapta de concubina Regis* (Arnulphi) *filia, ad tempus se Moravos exul contulit, posthæc ad gratiam Regis non longum veniens Marchensis in oriente effectus est. Ibi audacter contra primores Bajoariæ in rebus sibi summis agens, judicio eorum, urbe Radaspona inscante palatium Regis prolapsus, & Regi præsentatus obcæcatus est. Hinc etiam & Wilhelmus filius patruelis ejus missos suos ad Zuentibaldum Ducem dirigens, reus majestatis habebatur, capite truncatus est. Frater quoque ejus cum Moravanis exul delitescens insidioso consilio Ducis* (procul dubio Zuentibaldi) *cum aliis quam plurimis interfectus est.* Brevissime ista Hermannus Contractus: *Engiscalcus Marchio Pannoniæ judicio Norricorum excæcatus, & patruelis ejus Wilhelmus decollatus est.* Annalista vero Francofuldensis persequitur: *Arrepto itaque Rex* (Arnulphus) *itinere iterum regnum Zuentibaldi Ducis ingreditur cum exercitu, maxima parte illius regionis exspoliata propter insidias positas magna cum difficultate itineris in Bojoaria ad Regiam curtem Otingam reversus est.* E quibus duo haurimus 1) Periculosum munus fuisse Marchensium seu Comitum, qui limites adversus Zuentibaldum procurabant, cum enim Comitatus illi præsertim Transdanubiani passim bellorum campus essent, atque, ut fortuna favebat, jam Francorum essent, jam ad Zuentibaldum reciderent; inde factum, ut tam Franci quam Moravi hos Marchenses sibi obnoxios cuperent. Dumque hi alterutri studia sua deferunt, pro æmulatione partium passim alterius offensam incurrere. Hinc jam supra Engilschalci & Wilhelmi sinistrum fatum processum, hinc hoc anno alterius Engilschalci & Wilhelmi casus emersit, hinc denique ob ejusmodi suspicionem frater apud Suatoplucum pœnas luit. 2) Discimus haud victoriosam hujus anni expeditionem fuisse Arnulphi adversus Zuentibaldum, quandoquidem is propter insidias magna cum difficultate ad Bajoariam reversus, victore enim exercitu septus bellidux, quid itineris insidias metuat, non video. Minus vere itaque scripsit Calvisius, dum ad hunc annum ait: *Arnulphus iterum in Moravia contra rebellem Zuentebaldum ducit, & adjuvantibus Ungaris Moraviam domat, & Ungaris loca ad Tibiscum fluvium habitanda concedit.* Quo errore lapsus etiam Brunnerus, Adelzreiter, Spangenbergius, Curæus, Husmannus, Elias Reusnerus, Goldastus, Pessina, Stredovskius aliique tum exteri tum nostri. Profecto veteres omnes, si Sigebertum Gemblacensem excipias, qui priorum & subse-

Ad h. a.

Apud Canis. ad h. a.

Calvisius in Chronolog. ad An. 893.

quentium annorum historias in hunc annum congessit, de victoria aliqua hoc anno ab Arnulpho contra Zuentibaldum obtenta silent, quin succinctissime seu expeditionem seu bellum annunciant, tacito eventu. Sic Hermannus Contractus: *Arnolfus Rex iterum Marahensem vastat regionem.* Hepidanus Monachus S. Galli. *Arnolfus contra Marahenses pergebat, & Agarenos* (hoc nomine impertiri solet Ungaros) *ubi recluſi erant, dimisit.* Scilicet jam anno superiore. Lambertus Schafnaburgensis, Chronicon Hildesheimense & Herveldense: *Anno* 893. *Prælium magnum factum est inter Bajoarios & Ungaros*, lege Moravos, ut passim historici emendant. Ut igitur nihil minus testatum sit, quam Zuentibaldum hoc anno cladem aliquam accepisse, quin ex difficili Arnulphi in Bajoariam reditu haud indubia argumentatio erui possit, Arnulphi exercitum pene lotum depexumque ex Moravia rediisse. Nolim cum Stredovskio nostro dicere: actum fuisse de toto Arnulphi exercitu, nisi proditorie aliqui Moravorum, quibus erat primæ ac honoratioris militiæ cura commissa Arnulfum de insidiis per occultos nuncios informassent. Ceterum cum Arnulphus paulo post copias suas in Italiam rogatu summi Pontificis & Berengarii contra Widonem eduxerit, haud temere asseruerimus, Armistitium Arnulphum inter & Zuentibaldum postea factum, quod anno sequente pax inter utramque partem consecuta. Minime itaque audiendus Pessina & cum eo Stredovskius, qui maxima verborum ambage hoc anno Arnulphi victorias recensent, non dubitantque asserere: Zuentibaldum his cladibus coactum pacem cum eo inire. Illud præprimis ea in prolixa utriusque narratione insolens, quod affirment S. Methudium ad conciliandam pacem missum, eo quidem ipso anno, quo is quinquagesimum seu jubilarem sui sacerdotii Welehradii celebrabat.

Apud Canis. ad b. a. In Annal. brevibus ad h. a.

Ad b. a.

Stredovsky l. 3. c. 12. p. 346.

II. Illud etiam enodandum, num Hungari hoc anno contra Zuentibaldum rursum arma prehenderint, ut ex Hepidano erui videtur, & clare id asseverat Calvisius. At vero Hepidanus de clusis ab Arnulpho Hungaris apertis loquitur, itaque de prima regni Zuentibaldici invasione, quam superiore anno factam ostendimus, ut igitur locus Hepidani etiam annum illum respiciat. Calvisium scriptorem recentiorem non moramur, is enim luculenter in eo falsus, quod loca ad Tibiscum fluvium Hungaris ab Arnulpho concessa dicat, in quæ locorum spatia Arnulpho penitus jus nullum erat. Porro cum hoc anno Bulgaros inter & Leonem orientis Imperatorem bellum gravissimum

in

in plures annos protactum exortum sit, invitatique præmiis fuerint Hungari ab orientis Imperatore contra Bulgaros, eorumque Regem Simeonem sua pertinacissime tuentem ad arma socia, ut Leo Grammaticus, Zonaras, aliique Græci in Leone sapiente narrant, Hungari vero hac præmiorum spe ac pollicitatione frustrari nollent, hinc necessum illis erat ab Arnulfi societate recedere, qui Bulgaris fœdere junctus erat, ut superiore anno vidimus; atque idcirco etiam Zuentibaldus Hungaros bello Bulgarico detentos non est nisi post cladem illorum anno 896. denuo hostes expertus. Minime itaque subscribere possum sententiæ Eruditissimi Viri Georgii Pray S J. qui de hujus & superioris anni eventu ita scribit: *Navata egregie Arnulpho opera hunc præ ceteris fructum ex ea expeditione retulere Hungari, quod eam Moraviæ partem, in quam armorum impressionem fecerunt, velut adictum sibi destinarunt.* Nam vivente Zuentibaldo I. seu patre nihil ereptum esse ab Hungaris pluribus veterum testimoniis proditum est. Luitprandus, quem plerique sequuti, Zuentibaldum cum Suatebogio filio, passim etiam Zuentipaldum appellari solitum perperam confudit, atque ex duobus unum fecit. Anno vero 896. ostendemus primum Hungaros a Bulgaris repulsos hostiliter invasisse & eripuisse terras quasdam Regni Moravici, imo usque ad annum 900. sua strenue contra eos tuitum fuisse Moimarum filium. Nec enim Porphyrogeniti locus a Viro Clarissimo citatus de expeditione Hungarorum contra Zuentibaldum, sed contra Bulgaros accipiendus est, qui vindictam sumturi cum Patzinacitis eorum terras a tergo vastarunt, ut ad annum 896. dicemus.

Annal. Hun. P. 3. t. 1. p. 328

Luitprand. l. 1. c. 5.

ANNUS 894.

Moravorum Rex missis literis nunciisque Polonorum Ducem Semovitum, itemque Boharinum Russum, aliosque Slavonici nominis regulos, sed imprimis Borzivogium Ducem Boemorum ad se invitavit. Convivia, quæ majestatem regis decerent, summis sumtibus, exquisitissimoque ferculorum numero apparata, tum convivæ Principes positis sedibus, quisque pro dignitatis suæ loco, assidere

Suatopluens Borzivogium ad convivium invitat.

dere menſæ juſſi. Solus Dux Boemiæ induto ſtorea pavimento, ſtratisque ſupra mappis humi locatus. (a) Sublatis menſis Borzivogius ex Suatopluco quærit: quo valeret hoc contumeliæ genus ſibi in Regis palatio irrogatum? cui ex tempore reſpondit „Rex minime contumeliæ genus, ſed „honoris prærogativam appellaveris: is enim accubandi ri„tus omnibus ethnicis gentibus communis uſitatusque. „Nec vero te Deos colentem a veraque religione alienum „aliud decebat. (b) Quodſi regias menſas, accubitumque „meum expetis, parem te mihi fide ac religione eſſe opor„tet. Ecquid lucri (controvertit Borzivogius) commodi„que mihi obventurum eſt, ſi ad ſacra veſtra acceſſero? „metuo magnoopere ejurato Deorum culto vindictam illo„rum irritandam. „

Ægre ferit ſe humi locatum.

Hæc Borzivogii verba maximam ſpem regi dedere operæ & conſilii non omnino perditi; confeſtim enim & clanculum adſtantibus miniſtris nutu ſignificavit Cyrillo Epiſcopo vocato opus eſſe. (c) Nam per id tempus Welehradii non modo Regum, ſed & Epiſcoporum ſedes erat. Cyrillum itaque regiam ingreſſum, ſtatimque juſſum conſidere ſic Borzivogio adſtanti locutum accepimus: „Quid eſt in„clyte hoſpes Boheme, quod regiis te excluſum menſis, „relegatumque ad ſtoream doleas? Quin tu, ſi ſapis, plo„res magis, quod miſere contumelioſeque ſub idolorum „imperio mancipii inſtar ſervias, & niſi hanc ſalutis op„portunitatem celeriter arripis, præpotentis Dei judicio „propediem in imo tartaro inter immundiſſimos ſpiritus,

S. Cyrillus Borzivogio perſuadet fidem Chriſtianam.

„ig-

„ ignesque triste sane cœnaculum invenias. „ Hæc dicentem Antistitem interpellans Borzivogius: „ Quid, inquit, „ a me fieri optas Præsulum optime, ut ne præpotentem „ illum Deum tuum hostem experiar, quid ut ab ejus vin„ dicta atque ignibus sempiternis immunis sim? „ Tum Cyrillus arrepta prædicandæ veritatis occasione, quam erat sacra facundia potens, infit: „ Initiare fili salvifica fide JEsu „ Christi Dei immortalis, submitte collum ejus levi jugo, „ amplectere legem Christianam, ejura idola tua, quibus „ nonnisi larvas infernales tegi persuasissimum habe. „ At caduca & temporanea lucra ex religione aucupans cœca Borzivogii voluntas, haud se concipere, animoque assequi significabat, quæ emolumenta domui suæ ex susceptis Christi sacris speranda essent, maxime cum nemo majorum suorum cum summa gloria & felicitate demortuorum hoc ritu unquam fuisset imbutus?

Tum vero exerta in Prophetæ morem voce divinus Antistes: „ Hæc tibi per me spondet Borzivogi Deus ille „ supremus cœli terræque fabricator, ille, qui æterna lege „ solis, lunæ, stellarumque cursum circumscripsit, qui te „ ceteraque omnia hujus orbis verbo fecit, nutuque guber„ nat: si renuncias simulacris perditorum Deorum tuorum, „ scito te futurum dominum dominorum, Principumque „ tuorum, hostium tuorum genua vel ad conspectum tuum „ trepidabunt, tergaque vertent. Posteritas tua non mi„ nus incrementum capiet, quam flumen concurrentibus „ undique rivis augeri solet. Vide hoc pulcherrimum am- *S. Cyrilli vaticinium.*

„ plissimumque regnum, quantum quantum est, nepotum „ tuorum erit. „ (d)

Hæc cum dixisset vir Dei spiritu plenus, „ quid mo„ ræ, inquit, Borzivogius, ut baptismi aquis abluar? Cre„ de, (persequitur Cyrillus) corde puro & pleno in Deum „ Patrem omnipotentem, in JEsum Christum filium ejus „ unigenitum, qui pro salute hominum vitam posuit, & a „ morte resurrexit glorioſus. Crede in Spiritum S. Illu„ minatorem cordium fidelium. „ Ad quæ verba ille comitesque sui veræ religionis amore æstuantes pedibus Antistitis advoluti quammox sacris fontibus admoveri, Christoque jungi cum pietate postulavere. (e) Nec moratus est ardentia vota Præsul, præcepitque, ut sancte vigilias per noctem agentes Deum deprecarentur, ejusque gratia dignos se redderent. Lucescente die, quæ erat Divo Joanni Baptistæ sacra, (f) deductum regio apparatu in princeps templum Borzivogium Rex Suatoplucus sponsor e sacro fonte suscepit, ceteri Moraviæ proceres ceteros triginta ex ejus comitatu extulere. (g) Postridie baptismi Cyrillus inter sacra Missarum solemnia disertissime ad neophytos pro concione dixit. Rex vero magnifice rursum instructo convivio Borzivogium reliquis Principibus prælatum proxime lateri suo ad mensam assidere fecit, omnibusque & singulis ex ejus comitatu majus ceteris impendi officium præcepit.

Borzivogius baptizatur cum 30. comitibus.

Confectis omnibus, quorum causa Borzivogius ad Suatoplucum venerat, negotiis, cum nonnullos adhuc post baptismum dies perceptione doctrinæ Christianæ exegisset, am-

plis-

pliſſimis donatus muneribus inter divini Præſulis compreca- *Redit in Bohemiam.*
tiones & vota Welehradium deſeruit. (h) Comes illi itineris datus Kaich fidei vitæque melioris magiſter, ſacerdos ut apprime pius, ita egregie rerum divinarum cognitione eruditus, (i) quin Suatoplucus ipſe cum aulæ ſuæ grege abeuntem Ducem honoris cauſa usque in limites Bohemiæ, urbemque Zuittaviam deduxit. (k) Inde Borzivogius Hradecium ditionis ſuæ caſtrum deflexit, atque excitando templo memoriæ S. Clementis Papæ Martyris manus admovit; *Reginæ Hradecii primum templum condit.*
id hodieque in ea urbe perſtat choro in Arcticum reſpiciente, (l) in quo Kaych Chriſtiano ritu litavit; fuitque id templum, idque ſacrificium inter illas gentes poſt hominum memoriam primum. (m) Wiſſehradum cum rediiſſet Borzivogius Chriſtianum ſe ſe multis lætitiæ indiciis venditavit, atque Ludmillæ conjugi ſuæ, tum filiis tenellis Spitihneo ac Wratislao Chriſti nomen annunciavit. Dolebat vero maxime Ludmilla ſe domi relictam felicitatis hujus partem non tuliſſe, religionemque, quæ vitam æternam pareret, ab Epiſcopi ore non didiciſſe. At vero infernales furiæ præſciæ, quid ex hac Principis ad Chriſtum acceſſione detrimenti capturæ eſſent, omnem Czechicum populum Borzivogio implacabiliter infeſtum reddidere, qui inſanientium ritu in Wiſſehradum turmatim confluentes proterve religionis mutationem exprobrabant. „ Quid, ingeminabant, egiſti mi„ ſer? eccur a patrio majorumque tuorum ritu deſciviſti? „ quis tibi animus tam intemperans, tam imprudens erat, ut „ ſectæ novæ nusquam inter nos auditæ nomen dares? „ *Redit Wiſſehradum.* *Fiunt ei Bohemi infeſti.*

Nec deerant seditioni inflammatores ducesque ad exacuendos plebis animos eousque impia urgentes consilia, dum communi omnium sententia Borzivogius solio deturbaretur, Boemiaque extorris fieret. (n)

Exigitur throno & patria.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXCIV.

FORMOSI PAPÆ 5. - - - IMP. vacat.

BORZIVOGI *post Baptismum* 5. TUTONIS *Epis. Rat.* 1.

(a) Non satis meditate hæc effinxit Hagecius, qui solum Borzivogium ad stoream & pavimentum deposuit: nam si admittamus etiam Russiæ Principem Boharinum (Chronologis quidem Russorum incognitum) jam Christianum fuisse, cum de Russorum conversione se jactet Photius Patriarcha Constantinopolitanus circa annum 863. attamen Semovitus ad eandem pertinebat stoream, cum certum & clarum sit ex historiis, Polonos Duces cum gente longe posterius, scilicet post septuaginta, & quod excedit, primum annos per Daubravkam Boleslai Sævi Boemorum Ducis filiam ad Christi fidem vocatos. Christannus noster, e quo posteriores omnes historiam hanc hausere (sed utinam narrata illius fideliter transcripsissent, nec figmentis suis vitiassent) nihil de Boharino Russo, nihil de Semovito loquitur. Verba illius sunt: *Quodam tempore* (Borzivojus) *negotii sui, populique sibi commissi causa Ducem suum vel Regem Zuatopluke Moravie adiit, a quo benigne suscipitur, & ad convivium pariter cum reliquis adsciscitur. Verum sessionis ei locus inter Christicolas minime conceditur, sed ritu paganorum ante mensam pavimento jubetur insidere.* Confer jam Hagecii orationem, & vide, qua rerum ambage hæc paucula verba amplificaverit, conjecturisque farciverit. Boharini certe Russiæ Principis invitationem ad convivium non alio fundamento depromsit, quam quod in Pulkava legerit: Suatopluco etiam Russiam fuisse vectigalem. Stredovskio vero convivarum non satis erat in Boharino & Semovito, nisi quoque, néscio, quos: Slavatam, Gundakerum, Engilscalcum, Wilhelmumque adtexeret.

Baron. ad An. 865.

Vita SS. Ludmill & Wenceſl.

Stredovsky l. 2. c. 10.

(b) Verosimilius atque certius scribit Christannus: S. Methudium Borzivogio condolentem hanc humi sessionem exprobrasse. Verba sunt:

sunt: Va! quod tu talis tantusque haud erubescis a principalibus repelli sedibus, cum & ipse in fascibus ducatum obtinens, sed magis cupias ob nefandam idolorum culturam cum subulcis umo tenus incubare. Scilicet ea adhuc tum vigebat severitas disciplinæ Ecclesiasticæ, ut pagani a commercio, atque cumprimis Christianorum conviviis arcerentur. Quare separato a Suatopluco loco Borzivogius exceptus ferculisque refectus. Quod is vero humi locatus sit, procul dubio adhuc mos etiam in gente nostra viguit, duravitque ad ipsa usque suscepta Christiana sacra, ut juxta ritum orientalium gentium (unde gens nostra quoque originem traxit) humi super tapetibus sederetur, de quo jam egimus P. II. ad annum 721. Habemus autem plura etiam inter Slavos exempla, gentiles etsi Principes a Christianorum mensis remotos. Sic de Ingone Slavico Karinthiæ Duce scribit Anonymus vetustus: Ingo *vere servos credentes secum vocavit ad mensam, & eos, qui eis dominabantur infideles, foris quasi canes sedere fecit, ponentes ante illos panem & carnem, & fusca vasa cum vino, ut sic sumerent victus. Servis autem staupis deauratis propinare jussit: tunc interrogantes primi deforis dixerunt; cur id facis nobis sic? at ille: non estis digni non ablutis corporibus cum sacro fonte renatis communicare, sed foris domum, ut canes sumere victum.* Verum contra contendit clarissimus Assemannus non ob ritum Christianum, sed quod Slavis Principibus usitatum non esset servos eadem mensa excipere, Borzivogium ad pavimentum fuisse locatum. Verba illius, quæ eruditionem historiæ Slavicæ complectuntur, afferre libet: *Non hæc*, inquit, *sed alia causa fuit, quam ii scriptores, quum nollent narrare Bohemiæ ducatum ab Arnulpho quondam fuisse Moraviæ Regi concessum atque subjectum, videntur mihi dissimulasse. In more quippe Slavorum positum erat, ut subditi cum domino ad mensam non sederent, sed domino sedente, illi in terra manducarent. Accipe certum documentum ex epistola S. Nicolai Papæ ad consulta Bulgarorum. Quærunt Bulgari cap. 42. de consuetudine edendi apud Regem: pontifex autem sic eis respondet: „ Asseritis, quod Rex „ vester, quum ad manducandum in sedili, sicut mos est, ad mensam sederit, ne„ mo ad convescendum etiam, neque uxor ejus cum eo discumbat, vobis procul „ in sellis residentibus, & in terra manducantibus, & idcirco quid vobis hinc „ præcipiamus, nosse desideratis. Unde nos, quia non contra fidem, quod agi„ tur, est; licet bonos mores satis impugnet, non tam præcipientes, quam sua„ dentes hortamur, ut ad Christianæ religionis cultores Principes attendatis, & „ humilitatis memores, eorum considerantes fastigium, deponatis ex vobis omne „ ad nihil utile supercilium.* „ Cui eruditæ objectioni opponimus supra recensitum Ingonis Carinthiæ Ducis exemplum, opponimus asserta ve-

De Convers. Bojoar. & Carentan.

Asseman. Kalend. univ. Eccles. T. IV. P. I. c. 3. p. 146.

tuſti noſtri ſcriptoris Chriſtianni, omniumque veterum, qui vitam S. Ludmillæ ſcripſere unanimiter aſſerentium Borzivogium menſa Suatopluci remotum, quod Chriſti ſacris initiatus non eſſet. Bulgariæ Regis ſupercilium, qui ipſum Orientis Imperatorem ob annuum pendi ſolitum tributum ſervum ſuum eſſe jactitabat, non eſt ad omnes Slavicos Principes traducendum. Nec cauſa fuiſſet S. Methudio Borzivogium ob hanc humi ſeſſionem arguendi, eumque ad ſacrum baptiſmi lavacrum invitandi, ſi id omnibus Suatopluci ſubordinatis Principibus commune fuiſſet, ut humi ſejunctim ab ejus menſa manducarent. Et quanquam non negem Borzivogium imperium Suatopluci comiter reſpexiſſe, non tamen is ſervorum numero cenſeri poterat, Dux quippe ſui juris, & cetera ſupremæ poteſtatis, ut ſuperioribus annis oſtendimus.

(c) Cyrillum jam anno 867. Romam conceſſiſſe, ac inde nunquam rediiſſe ad eum annum invictis argumentis oſtendimus. Quia jam anno 871. fuiſſe demortuum ex ibidem allatis manifeſtum eſt. Nemini vero admirationem non parere poteſt Hagecius, qui cum Dalemilum, Pulkavam, Silvium, Dubravium aliosque ſua ætate ſuperiores, præ manibus habuerit, ab eorum tamen relatis receſſerit, omnia S. Cyrillo attribuendo, quæ illi vere recteque S. Methudio adſcripſere, Quamobrem etiam merito a Balbino carpitur.

Balbin. Epit. l. 1. c. 10. p. 80.

(d) Verba vaticinii non quidem S. Cyrilli ſed Methudii ex Chriſtianno noſtro ſunt: *Dominus dominorum tuorum efficieris: cunctique hoſtes tui ſubjicientur ditioni tuæ, & progenies tua quotidie augmentabitur velut fluvius maximus, in quo diverſorum confluunt fluenta rivulorum.* Blauberiani codex breviſſime id complectitur: *Prædicens ei ore prophetico, ſi baptizaretur; quod ipſe & ſui ſucceſſores potentiores omnibus Principibus & regibus fierent.* Ad quem locum adjungit noſter P. Victorinus: *Oraculum, quo Cyrillus* (imo Methudius) *Borzivojo Chriſtianam religionem ſuſcipere cunctanti teſtatus eſt Moraviæ regnum in Bohemiam transferendum, publica totius Imperii Romani auctoritate impletum eſſe patebit infra anno* 1086. Balbinus præterea narrat eodem vaticinio S. Methudium *omnia futura & omnem poſteritatis ſeriem* Borzivogio prædixiſſe, ſtirpem vero illius ſic immenſum poſtea diffuſam, ut non modo ex ea per quadringentos amplius annos omnes Bohemiæ Principes ac Reges proceſſerint, ſed etiam nullus hodie in Europa Rex aut antiqui nominis Princeps reperiri poſſit, qui

Vita SS. Ludmill. & Wenc. Acta SS. ad 9. Martii §. 3. n. 20.

Balbin. Dec. 1. l. 1. c. 2.

Idem Dec. 2. l. 1. c. 4. & in

for-

fœmineæ stirpis deductione non Borzivogii & uxoris Ludmillæ sanguinem nascens acceperit. Quod peculiaribus Genealogicis tabellis conatur ostendere. *Orig. Guttenstein.*

(e) Borzivogii baptismum pertinere ad annum 890. ibidem productis pluribus argumentis ostendimus, quem cum Christannus noster diserte dicat sub Suatopluco Rege Moraviæ & S. Methudio sacramentum conferente accidisse, eliditur merito epocha Balbini, Pessinæ, Hammerschmidii, Stredovskii aliorumque, qui Cosmam emendare volentes, eam sub Rasticis seu Ratislai imperio jam defixerunt. Nec me movet posterioris fulmen pro anno 864. ita detonantis: *Valde mirum est: cur grandem illum errorem toties a præclaris Chronologistis Herculea clava decarminatum quidam defacto scriptores pertinaciter sequantur? Dolendum sane, quod contenti solis authoritatibus aliorum, historicam veritatem Chronologicis rationibus vindicatam sequi proterve renuant.* Quin viderint Stredovsky sectatores, ne protervia hæc in authorem seque recidat. Nihil enim magis veritati Chronologicis rationibus vindicatæ adversum, quam anno 864. Borzivogium baptizatum fuisse. *Balbin Epit. l. 1. c. 2. Pessina Phos. sept. Rad. 3. p. 119. Stredovsky l. 2. c. 10. Hammerschmid. Glor. Prag. p. 13. & 363.*

(f) Unde hæc persuasio de vigilia S. Joannis Bapt. apud posteriores exorta sit, & quam minime fundata sit, jam ad annum 890. præoccupavimus, ubi simul sententiam nostram de dominica, quam cum aliis adstruit Balbinus, exposuimus. *Balbin. Epit. l. 1. c. 10. p. 80.*

(g) Triginta numero fuisse, qui cum Borzivogio sacro fonte abluti sint, etiam memorat Christannus. Dalemilus de solo Borzivogio mentionem facit, eumque primum inter Czechos deputat. Sic enim versificat: *Dalemil. hist. Bolesl. c. 23.*

Ten Welehradie krztil Czecha prweho.
Borziwoge Knieze Czeskeho.

Id est: Iste, nempe S. Methudius baptizavit Welehradii primum Czechum Borzivogium Ducem Czechorum. Verum plures alios ante Borzivogium Czechos, & Duces ipsorum XIV. baptizatos fuisse alibi docuimus, ita ut procul dubio Borzivogius nonnisi inter Wissehradenses seu Pragenses eosque supremos Bohemiæ Duces primus censeri possit. Difficultatem tamen non minimam nobis offundunt documenta etiam ipso Christanno vetustiora: num Borzivogio hæc prærogativa debeat, num non potius filio illius Spitignæo? Vita enim S. Wen-

Wenceslai antiquissima jussu Ottonis II. Imperatoris scripta, quam ex Codice antiquo membranaceo Bibliothecæ Metropolitanæ excerpsi, & nusquam antea lucem aspexit, hanc prærogativam Spitigneo vindicat, sic vero ibi: *Plaga aquilonalis ceteris inimicior ac fide tardior nostre præstat intentioni, quam ipsa sacri prævenatis eucharistiæ ad Christiane cultum professionis, quamvis sera, tam beata conversione dignata est instituere. Quemodo quidem ab ipsis terre incolis Bohemia regioni vocabulum sonat impositum, cui jam regnante felicis memoriæ præclarissimo Rege Henrico, quidam gentis illius progenie clarior, ac potentia in cives eminentior, Spitigneum nomine, Principatus regimen sub Regis dominatu impendens, divini cultus dulci voto attactus, sacri fontis misterio regenerari non parum anhelans, baptismo mundatur.* Id etiam asserit altera vita ejusdem sancti pervetus ex eo ipso Mf. Codice Metrop. depromta: *Crescente per orbem universum Katholice religionis incremento, Germanie in partibus gens quedam ab ipsis terre incolis Bohemia vocitata, prophana ac superstitiosa idola respiciens Cristi gratia illuminatur, nec non sacro baptismo fontis mundatur. De qua etiam quidam gentis ipsius progenie clarior ac potencia in cives eminencior Spitigneus nomine oriundus exstitit, qui divini cultus dulci voto attactus, novoque studio fervens &c.* Sigebertus Gemblacensis scribit: *Ziptinæus Dux Boemiæ ad Christi fidem conversus juste & religiose in Boemia principatur.* Eundem Spitignæum tacito Borzivogio primum proferunt multi annales Germanorum sat vetusti. Non nescio quidem doctissimum Assemanum paucis Sigeberti testimonium evertere, dum ait: *Sigebertus de rebus Bohemicis parum edoctum se ostendit.* At Sigeberto vetustiora documenta & ipso Ottonis II. tempore paulo post S. Wenceslai martyrium scripta censuram hanc minime ferre possunt. Quare malim dicere multas fuisse causas, cur Ducum & gentis nostræ conversio serius innotuerit exteris, adeo ut Spitigneus primus creditus sit illis sacro fonte tinctus. Nam 1. conversio Borzivogii facta est per Methudium Slavorum Episcopum, cui quam exosi fuerint Germani, ex superioribus testatum est, qui ne nomen illius uspiam, si Anonymum de conversione Bojorum, & Carantanorum excipias, prodiderint, taceo, ut de gestis illius quidpiam protulissent. 2. Borzivogius ob metum gentilium Bohemorum potissimum solitariam, privatamque vitam egit, nec multos e gente sua socios religionis habuit, tum, ut ex omnibus clarum fit, haud diu a suscepto baptismo superstes fuisse videtur. 3. Constat paulo post ejuratam ab eo ritum ethnicum infuisse vastationem non modo Moraviæ sed & Bojoariæ vicinarumque regionum per Hungaros, quæ pene omnes memorias, quæ de gestis

Mf. Bibl. Metrop.

Ad An. 921.

Assemani. T. IV. P. 1. c. 3. p. 256.

Dei-

Ducum noſtrorum ſuperfuerunt, peſſumdedere. Quæ cauſæ obſtitiſſe videntur, utne quidem ad Porphyrogenitum notitia pertingeret, gentem noſtram ad Chriſtum fuiſſe converſam. Nam ille multo poſterius circa annum 950. ſcribens inquit: *Magna autem Chrobatia, quæ etiam Alba cognominatur* (per quam eum Bohemiam intellexiſſe multis argumentis jam P. II. oſtendimus) *in hodiernum usque diem ſine baptiſmo eſt, quemadmodum & finitimi Servii.* Id eſt Srbi ſeu Sorabi. *Porphyrog. de Admin. imp.*

(*b*) Primus omnium, qui hæc Welehradii acta fuiſſe ſcribat, eſt Dalemilus. Nam priores omnes cum vetuſtis vitis SS. Ludmillæ & Wenceslai id generatim de Moravia loquuntur. *Dalemil. c. 23.*

(*i*) Chriſtannus inquit: *Multis locupletatum* (Borzivogium) *donis ad propria redire conceſſit, tribuens ei venerabilis vitæ ſacerdotem nomine Caych.* Weleslavinus eundem eſſe putat, qui poſtea ab eodem Chriſtanno vocatur *Paulus presbyter*, quique S. Ludmillæ Capellanus fuiſſe dicitur, cui aſſentitur Balbinus ita ſcribens: *Wenceslaus quidem in Ludmillæ avia ſinu, atque in diſciplinis Pauli ſacerdotis Chriſtiani (quem S. Methudius in Bohemiam Welehradii miſerat) ſanctiſſime ad omnem virtutem educatus.* Et ibidem in margine adjicit: *Paulus Kaicha primus in Boh. ſacerdos. Errant, qui ex uno duos faciunt.* Idem ante Balbinum ſenſit Vener. Chanovsky. At vero vita S. Wenceslai Num. III. ex eodem rariſſimo ſupra laudato Codice Metropolitano deſumta, alium nomine facit magiſtrum literarum S. Wenceslai: *Presbyterum* (inquit) *nomine Uneyo.* Cujus itaque, ſi prænomen fuit *Paulus*, alium eſſe oportuit a Caich cum Borzivogio in Bohemiam a S. Methudio miſſo. *Balbin. Epit. l. 1. c. 1. Veſtig. Boh. Pic. p. 116.*

(*k*) Hæc adjecta ſunt ab Hagecio: Zwittavia vero etiam hodie eſt oppidum in limitibus Bohemiæ & Moraviæ, duobus milliaribus Litomiſſio diſtitum. Nominatum olim ob Prioratum Canonicorum Regularium Præmonſtratenſium, qui Litomiſſio exacti, iſthic ſedem fixere.

(*l*) Verba Chriſtanni ſunt: *Qui* (nempe Borzivogius cum 30. comitibus) *reverſi in ſua, in caſtello, cui vocabulum inerat Gradec, ſupradictum ſacerdotem ſtatuunt.* Magna inter hiſtoricos noſtros concertatio, quod nam iſtud caſtrum *Gradec* fuerit? Hageeius, ut hoc loco videre eſt, putat eſſe hodiernum Reginæ-Hradecium, in qua urbe hodiedum oſten-

ostenditur sacellum S. Clementis, quem sequitur Venerabilis Chanovs-
ky, Balbinus, Stredovskius, noster P. Victorinus, & Berghauerus, qui
posterior ita commentatur: *Ad hanc sacram aedem, quæ ad Septentrionem*
versa est, post plura sæcula RR. PP. Ordinis S. Dominici habuere cœnobium, ut
ex libris erectionum constat, & Hussiadum turbis, quorum Regino-Hradecium
perpetuus erat nidus; hoc S. Dominici habitaculum exustum, & a senatu Huss-
tico in curiam conversum fuit, ut defacto cernitur. Ideo versus curiam ante
nuperam adhuc restaurationem e muro pergula prominebat, qua Patribus e cœno-
bio aditus interior patebat. Hanc sacram Capellam (quæ merito inter sacrosancta
Bœmiæ loca numeranda est) post multiplices tam olim Hussitarum, quam recen-
tius Saccorum in armamentarium eam vertentium, profanationes & ruinas e
cineribus anno 1715. suis ac Patronorum sumtibus levavit Illustrissimus ac Reveren-
dissimus DD. Joannes Adamus Comes Wratislaw Episcopus Regina-Hradecensis &c.

Balbin. Epit. p. 421, & Dec. 1 l. 4. Chanovsky p. 116. Stredovsky l. 2. c. 10. Berghauer in Proto Mar. tr. Pœnit. in Notis ad c. 4 p. 172.

Pessina contra contendit Gradec illud castellum fuisse, quod imminebat Litomislio, tueturque illum Crugerius ita scribens: *Litomislii porro ca-*
stit in Cathedralem sedem & Ecclesiam monasterium Litomislicnse Canonicorum
ordinis Præmonstratensis: cui parochialis subjecta fuit S. Clementis, quæ Ecclesia
attestante senatu sub A. C. 1414. juxta traditionem majorum fuit prima in Be-
hemia. Et postea: *Reginæ-Hradecii juxta Hagecum hactenus stabat sub turri*
sacellum, quod primas sibi arrogavit: sed dignum quoque est, ut juxta eruderas-
tas chartas a Reverendissimo D. Pessina potius Litomislio hæc prærogativa attri-
buatur. At neutra sententia locum verum defixit. Nam supralaudata antiquissima vita S. Ludmillæ Bibliothecæ S. J. Num. veteri 469. e qua passim sua mutuavit Christannus, instruit nos, ubi castellum hoc Gradec steterit, & quodnam sit; elucidat enim Christanni verba dum ait: *Quique reversi ad sua in castellum, cui vocabulum erat Gradec supra Multaviam,*
statuunt ibi sacerdotem, fundantes Ecclesiam in honorem Beati Clementis. Verum nec Regino-Hradecium nec Litomislium *supra Multaviam* situm esse nemini Geographiæ nostræ gnaro ignotum est. Erravit vero etiam Berghauer, cum ordinis Prædicatorum Ecclesiam in urbe Hradecii existitisse atque S. Clementi sacram fuisse scribit, nam RR. PP. S. Dominici habuere Ecclesiam sub titulo B. V. Mariæ non quidem in urbe sed suburbio, ut in libris erectionum videre est. Ecclesia itidem monialium ejusdem ordinis fuit in suburbio, & S. Georgii titulum præsefe-rebat. Traditio autem, quam ex Pessina profert Crugerius pro Litomislio, cedere debet vetusto documento vitæ S. Ludmillæ, ut taceam credibile haud esse unicum sacerdotem Kaich ex Moravia assumtum seu Litomislii seu Hradecii statutum fuisse loco tot milliaribus remoto

Pessina Phosph. sept. Rad 3. p. 119. Cruger. ad 4. Novemb.

Idem ad 23. Novemb.

Balbin. Dec. 1. l. 5. T. X. E. 6. & H. 2. item T. XIII. c. 6. T. VIII. c. 10.

ab

ab arce Wiſſehradenſi, quæ peſſim ſedes Borzivogii erat. Non aliud itaque hoc caſtellum erat ſupra Multaviam, quam id quod uno & medio milliari infra Pragam ſitum erat, olimque Ducibus noſtris ſeceſſui & voluptuario fuiſſe aſſeritur, paſſim nomen Levi-Gradez, ut plerique exiſtimant, ferens, quod ſupra ſiniſtram ripam fluvii Moldavæ conditum eſſet. Caſtellum hoc dein poſt duo triave ſæcula ſeu emptione ſeu donatione devolutum eſt ad ditiones Parthenonis Pragenſis S. Georgii, habenturque clariſſimæ illius memoriæ circa annum 1233. in diplomate Ottocari Regis & in Bulla Gregoii IX. In quo olim ſtetiſſe ſacellum S. Clementis, quod hodie ſupereſt, res eſt indubitata. Sic enim vel ipſe Peſſina: *Caſtelli hujus rudera hodieque ſpectantur, in quorum medio templum S. Clementis ſtat adhuc integrum more veteri in forma rotunda exſtructum. Quod caſtellum erat Borzivogio imprimis familiare inſtar alicujus privati ſacelli.* Id Anna Mechtildis Schœnveiſiana Abbatiſſa S. Georgii anno 1684. reſtaurari fecit, quod aqua Gregoriana Reverendiſſimus D. Bilek a Bilenberg Decanus Metrop. Eccleſ. & Officialis reconciliavit, ut loquitur Hammerſchmid. *Hammerſchm. in hiſt. Mon. S. Georgii. Peſſina Rad. 3. p. 120.* *Hammerſchm. hiſt. Monaſt. S. Georgii.*

(*m*) Ægre ſuſtineri poteſt, id templum ſeu ſacrificium primum fuiſſe, quandoquidem jam annos abhinc pene 50. Bohemorum XIV. Duces baptizatos fuiſſe conſtat.

(*n*) Chriſtannus noſter compendio inquit: *Surgunt adverſus eum uno animo eademque ſententia, fidsque eum a finibus proturbare conantur, ſeu etiam vitam auferre moliuntur.*

PRÆTERMISSA.

I. Omnes pene hiſtorici, facem præferente Coſma noſtro, bellum hoc anno annunciant Suatopluicum inter & Arnulphum. E bello cladem Suatopluci fecit Æneas Silvius. Silvium ſecuti Kranzius & Aventinus, hos innumera pene turba, quos inter potiſſimi, qui non modo tributarium factum Zuentibaldum certo adſtruunt, ſed lamentabilem etiam illam univerſæ Moraviæ everſionem accidiſſe perſuaſum habent. Mihi vero hactenus documentum legitimum in manus non pervenit; quo iſtud Arnulfum inter & Zuentibaldum hoc anno geſtum bellum poſteritati tranſcriptum legiſſem. Invenio quidem in ſupplemento Annalium Francofuldenſium nuper a Doctiſſimo Kollario vulga- *Coſmas l. 1. ad h. a.* *Æn. Silv. c. 13.* *Hanſiz. Germ. ſacræ T. I. p. 166. Aſſeman. T. III. P. 2. c. 3. p. 269.* *Analect. Vindob. T. I. p. 526*

gato ad præsentem annum sequentia narrari: *Avari, qui dicuntur Ungari, in his temporibus ultra Danubium peragranies multa miserabilia perpetravere; nam homines & vetulas matronas penitus occidendo, juvenculas tantum ut jumenta pro libidine exercenda secum trahentes totam Pannoniam usque ad internecionem deleverunt.* Verum in his nulla Arnulphi, nulla Zuentibaldi aut Moraviæ mentio, & accipienda sunt de ulteriore Pannonia, quam tenebant Bulgari. Nam ex Græcis scriptoribus manifestum est his annis Hungaros fœderatos Imperatori Orientis cruentum contra Bulgaros bellum gessisse. Ut taceam verba hujus supplementi *in his temporibus*, sat clare innuere authorem non de solius hujus anni, sed præcedentium, subsequentiumque annorum fatis & eventu loqui. Nam non infrequens est hujus ætatis Scriptoribus, ut nonnunquam res suas improprio loco adnotent, imo plurium annorum gesta compendio acervent. Respiciunt autem verba hæc supplementi verosimillime annum 896, quo Continuator Fuldensis Freherianus hanc Pannoniæ ulterioris per Hungaros vastationem narrat, nempe cum Græcorum dolo navibus per Danubium transmissi sunt. *Gentem*, inquit Continuator, *Bulgarorum ingressi maximam partem cedendo nesi tradiderunt.* Tam improprio loco etiam narrata sunt verba Sigeberti Gemblacensis, qui cum anno superiore narrasset Zuentibaldo Ducatum Bohemiæ ab Arnulpho concessum (quod tamen jam annis tribus ante accidit) subjungit: *Zuentibaldo* (Arnulphus) *per adjectionem potentiæ materiam contra se rebellandi dedit, ad quem debellandum cum non sufficeret, gentem Hungarorum Deo inimicam regno immisit, eorumque auxilio Zuendibaldum devicit & tributarium fecit.* Quæ verba permodum compendii retulit ex Luitprando Gemblacensis, atque cum Luitprandus notis Chronologicis careat, minus recte anno superiori illigavit. Luitprandus vero postquam l. 1. c. 5. copiose excitam ab Arnulpho contra Zuentibaldum Hungarorum invasionem exaggerasset, permodum epiphonematis subdit: *Quid igitur? Zuentebaldus vincitur, subjugatur, fit tributarius, sed domino solus.* Quæ verba pene conformia sunt relatis Sigeberti Gemblacensis. Innuimus autem jam anno superiore hallucinatum Luitprandum, qui Zuentebaldum patrem cum filio Zuentebaldo confuderit, atque ex duobus unum fecerit, (cujusmodi plurium errorum eum arguit Pagius) qui posterior omnino non quidem potentiæ Arnulphi, sed Hungarorum cedere coactus, interitum magni illius Regni Moravici expertus est. At verò Zuentebaldus pater anno superiore haud obscuram ab Arnulpho retulit victoriam, ut etiam sentit Kranzius, hoc anno autem post armorum in-

Sig. Gembl. ad An. 893.

Pagius in Critic. Baron. ad an. 895. & 896.

Kranz. Vand. l. 2.

interfuisse cum eo pacem iniit, nec unquam Arnulphi factus tributarius, quin glorioſus hoc anno (regno adhuc Moraviæ integro & florente) mortuus, ut poſtea ex Porphyrogenito oſtendemus. Neque enim poſt Arnulphi mortem filio Ludovico ejus filio Moravos adhuc ſubjectos aut tributarios fuiſſe clarum eſt ex epiſtola Epiſcoporum Norici & Bojoariæ ad Joannem ſummum Pontificem, qua illi multo magis queruntur, ſubjectionem, quam olim tulerat Moravia, Franciæ Regibus eſſe ereptam, & minantur: Moravos *nolentes volentesve* ſub jugum priſtinum mittendos. Verba epiſtolæ ſunt: *Venerunt - - - - Epiſcopi in terram Sclavorum, qui Marari dicuntur, quæ regibus noſtris, & populo noſtro, nobis quoque cum habitatoribus ſuis ſubacta fuerat tam in cultu Chriſtianæ religionis, quam in tributo ſubſtantiæ ſæcularis - - - - usque dum inceſſanti corda eorum diabolo Chriſtianitatem abhorrere & omnem juſtitiam detrectare, bellaque laceſſere, & obſiſtere ſæviſſime cæperunt.* Hic Epiſcopi Bojoariæ collineant primum ad adventum SS. Cyrilli & Methudii, eorumque doctrinam, quæ eis tantum exoſa fuit, ut Moravos etiam Chriſtianitatem abhorrere criminentur coram ſummo Pontifice. Secundo reſpiciunt ad diviſionem regnorum factam a Ludovico Germaniæ Rege, poſtquam præcipue Moravi omni jugo Francico ſe ſe exemere, imo eos cruentiſſimis bellis laceſſivere. Proſequuntur dein Epiſcopi in eadem epiſtola: *Quia quando Chriſtianitas illis cœpit vilescere, & inſuper tributum ſenioribus noſtris regibus & principibus eorum ſolvere reſpuerunt, belloque reſiſtere, & gentem noſtram cœperunt laceſſere, orta eſt ſeditio inter illos* (Hic Epiſcopi Bajoariæ intelligunt ſeditionem Moraviçam anno 870. quo dejecto Raſtize ſeditioneque orta inter Moravos ſe ſubjecit Zuentibaldus cum omni populo, unde principium omnis ſubjectionis erga Reges Francicos profluxit) *& quoniam armis ſibi eos defenderunt, & in ſervitium redegerunt* (nempe Zuentibaldum contra Raſtizis factionem adjuvantes) *idcirco jure proprio tributarios habere debuerunt & debent, & ſive velint ſive nolint, regum noſtro ſubacti erunt.* Et Hatto Archiepiſcopus Moguntinus in ejusmodi querela ad eundem Papam: *Quoniam veſtra admonitio illos* (Moravos) *non correxerit, volunt, nolunt, Francorum Principibus colla ſubmittent, & credimus abſque effuſione ſanguinis & mutua cæde ex utraque parte nunquam poſſe bene contingere.* E quibus manifeſtum ſit Zuentibaldici regni principio Moraviam quidem fuiſſe Francis ſubjectam & tributariam, ſed paulo poſt vindicatam, neque ſub Arnulphio aut filii ejus imperio fuiſſe denuo ſub jugum miſſam. Everſo vero regni Moravici, quæ poſterius accidit, non tam Francis, quam

Gevoldus in addit. Hundii T. I. p. 30.

Idem ibid. p. 32.

seditioni inter filios Zuentibaldi exortæ, & Ungaris tum tota vi non modo in Moraviam sed totam Germaniam incumbentibus, ut refert Constantinus Porphyrogenitus, tribuenda est. Ut verum quidem sit Arnulphum anno 892. Hungaris in auxilium vocatis viam ostendisse ad lacessendam Moraviam, & ut Luitprandus scribit: *Hungari interim observato exitu, contemplatique regionem, cordibus malum, quod postmodum in propatulo apparuit, machinabantur.* At excidium Moraviæ tam post Zuentibaldi, quam Arnulphi mortem primum contigit.

Luitprand. l. 1. c. 5.

Quod autem ad anni hujus historiam indubitate pertinet, illud est, quod memorat supra laudatum supplementum Annalium Francofuldensium: *Pax tempore autumni inter Bojoarios & Maravos compacta est.* Nempe post evitatas superiore anno in reditu suo e Moraviæ vastatione insidias, cum Arnulphus omnem exercitum ad Formosi Papæ & Berengarii preces in Italiam transtulisset, haud incredibile est eum armistitium cum Zuentibaldo fecisse, quod dein præsente anno in pacem publicam coaluit, eo maxime, cum Arnulphus etiam hoc anno cum exercitu suo egerit in Lombardia, ut narrat Regino. Pacis autem cum Zuentibaldo initæ meminit etiam Luitprandus his verbis: *Devicto namque Zuentebaldo Maravanorum Duce Arnulfus pace habita regno potitur.* Quamquam in eo hallucinatus, ut supra ex Episcoporum Bajoariæ & Hattonis Moguntini Archiepiscopi literis ostendimus, cum Zuentibaldum ab Arnulpho devictum scribit. Pax ista commemoratur etiam a Reginone, quanquam anno improprio scilicet 890. quo plura Zuentibaldi gesta acervat: *Ad ultimum* (inquit) *ne cetera fructifera arbores radicitus exciderentur Zuendebolch pacem posuit, & dato filio obside hanc pacem sero promeruit.* Qui in eo etiam falsus cum filium Zuentibaldum obsidem datum scribit. Nam narrat Constantinus Porphyrogenitus omnes tres filios Suatopluci morti iuterfuisse, quæ hoc anno accidit, ut mox videbimus. Porro cum pax inita sit *tempore autumni*, ut refert supplementum; constetque ex Luitprando & Reginone hanc pacem adhuc vivente Suatopluco fuisse factam, testatum habemus: Suatoplucum ante autumnum mortuum non fuisse, secus quam senserit Clarissimus Assemanus. De quo jam:

Kollarii Analect. Vindob. T. I. p. 526.

Regino ad An. 894. Luitprand. l. 1. c. 5.

Regino ad An. 890.

Assemon. T. III P. 2. c. 3. p. 268.

II. Suatoplucum hoc anno fatis cessisse docent nos plures vetustissimi Annales: Potissimi sunt Francofuldenses ex supplemento Codicis Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis a doctissimo Kollario publicati: *Zuentibaldus Dux Maravorum, & vagina totius perfidiæ, cum omnes regiones sibi*

Analect. Vindob. T. I.

sibi affines dolo & astutia perturbando, humanum sanguinem sitiens, circumiret, ultimum hortando suos, ne pacis amatores, sed potius inimici domesticis persisterent, diem ultimum clausit infeliciter. Regino vero: *Circa hæc etiam tempora Zuentibolch Rex Marahensium Sclavorum, vir inter suos prudentissimus, & ingenio callidissimus diem clausit extremum.* Quæ etiam verba in suos Annales exscripsit Annalista Metensis. Vocabulum autem *infeliciter*, quod supplementum Annalium Francofuldensium postremum refert, verosimillime posterioribus quibusque Scriptoribus, etiam nostris, occasionem præbuit, ut Zuentibaldum bello cæsum scriberent: Thuroczius fugientem ex prælio Danubii aquis haustum scribit. Stranskius noster, atque cum eo plerique patrii, ait: *Rex* (Suatoplucus) *hostibus neutiquam viribus par, prælio ad Bonipontem* (*locus ostenditur in Ungaria*) *infeliciter commisso, vel inter suos cecidit, vel ut plures perhibent, fuga elapsus inter Soberis montis Anachoretas vitæ tempus reliquum exegit.* Nisi malimus dicere: inde invaluisse opinionem de cæso belli Zuentibaldo, quod historiarum veterum ignari Zuentibaldum Arnulfi filium belli cæsum pro nostro Zuentibaldo perperam acceperint, quo errore etiam lapsum fuisse Hagecium ad annum 900. ostendemus. Num Zuentibaldus Anachoreticam vitam susceperit, postea inquiremus, nunc id infirmare par est, eum in prælio cecidisse. Et quidem vox *infeliciter* supplementi Francofuldensis non indigitat violentam aliquam mortem, qua penitus abstinuit Regino & Annalista Metensis simpliciter scribentes: *diem clausit extremum.* Est vero hæc phrasis non inusitata Scriptoribus cum de hostium morte loquuntur, & profecto verba ipsa priora supplementi haud innuunt Zuentibaldum belli mortuum, quandoquidem ibidem dicitur eum omnes regiones sibi affines circumivisse & postremo suos exhortatum, ne pacis amatores sed potius inimici persisterent. Sed his præjactis certum habemus ex Constantino Porphyrogenito Zuentibaldum extra prælium mortuum, qui quam prudentiam viventi adscripsit Regino, eandem commendat in moriente. Verba illius sunt: *Moraviæ Princeps Sphendoplocus fortis, terribilisque populis finitimis fuit, filiosque habuit tres, & fatis concedens regionem suam in tres partes divisit, filiisque singulis suam portionem tradidit. Maximum natu Principem Magnum faciens, reliquos vero duos sub ejus potestate constituens. Hortatus vero est eos, ne inter se mutuo dirimerentur hoc exemplo: Virgis tribus allatis, ubi colligasset eas, primogenito confringendas tradidit, cumque ille id facere nequiret, secunda in manum dedit, & mox tertio: Deinde dissolutas singulatim divisit tribus, qui acceptas frangere jussi, sine ullo id negotio confestim*

Regino ad h. a.

Annal. Meten. ad h. a.

Thuroczi. P. 2. c. 24. Stransky Reipl. Boj. c. 7. §. 2.

Constan. Porphyr. de admin. imp. c. 42.

sium fecerunt. Quo facto, exemplo per occasionem hanc arrepto, ita eos admonuisse dixit: si in concordia & amore manseritis conjuncti, nunquam vos hostes vestri superabunt, neque captivos abducent, si vero per contentionem ambitionemque Principatuum in tres partes dividetis maximo fratri obedire recusantes, & a vobis ipsis vastabimini, & a finitimis hostibus funditus delebimini. Quæ verba gravissimi vicinissimique iis temporibus Historici omnem porro dubitationem tollunt Zuentibaldum minime violenta aliqua morte & in prælio occubuisse. Neminemque futurum autumo, qui Aventini narrationem non inter fabulas rejecturus sit, dum eum ait tristitia & ægritudine ob filium datum obsidem contabuisse. Sed jam excutiendum, num Monachus factus sit?

Aventin. Annal. Bojor. l. 4. p. 364.

Cosmas l. 1.

III. Cosmas noster Princeps historiæ Czechicæ, cum hoc anno narrasset baptismum Borzivogii Ducis, subjungit: *Eodem anno Zuatoplich Rex Moraviæ (sicut vulgo dicitur) in medio exercitu suorum delituit, & nusquam comparuit. Sed revera dum in se ipsum reversus, cum recognovisset, quod contra Dominum suum Imperatorem & compatrem Arnulphum injuste & quasi immemor beneficii arma movisset, qui sibi non solum Boemiam, verum etiam alias regiones hinc usque ad fluvium Odram, & inde versus Ungariam usque ad flumen Gron subjugarat; pœnitentia ductus mediæ noctis per opaca nemina silente ascendit equum, & transiens sua exstra fugit ad locum in latere montis Zober situm, ubi olim tres Heremitæ inter magnam & inaccessibilem hominibus silvam ejus ope & auxilio ædificaverunt Ecclesiam. Quo ubi pervenit, ipsius silvæ abdita in loco equum interfecit, & gladium suum humi condidit, & ut succedente die ad Heremitas accessit, quis sit illis ignorantibus; est tonsuratus, & Heremitico habitu indutus, & quamdiu vixit omnibus incognitus mansit, nisi cum jam mori cognovisset, monachis semetipsum, qui sit, innotuit, & statim obiit.*

Ad An. 893.

Similia pene Cosmæ refert compendio Annalista Saxo, qui postquam verba Reginonis de obitu Suatopluci recensuisset, subjungit: *Non desunt scripta* (procul dubio ad Cosmam nostrum respiciens) *quæ de ipso testantur, quod rebellionis suæ pœnitentia ductus spreto sæculo patriam reliquerit, ac divinis se obsequiis subjiciens in cœnu religiosorum vitæ reliquum egerit.* Narrationem hanc itaque ex Cosma mutatis subinde paucillis rebus exscripsere pene omnes tum patrii tum exteri, qui de Suatopluci obitu scripsere. At vero animadvertendus in his relatis rursum candor & veritas, toties a me laudata, Cosmæ scribentis, qui hanc historiam narraturus præmittit: *sicut vulgo dicitur.* Scilicet ut lectorem doceret, se eam non hausisse ex legitimo aliquo documento aut Chronicis, sed ex vulgi sar-

sermonibus seu traditione, quæ quorumvis temporum cursu pervolgari, corrumpique soleant, nemini in historicis versato ignotum. Ego autem hujus corruptæ traditionis triplex principium statuo: seu Suatobogius filius Zuentibaldi, etiam nonnunquam Zuentibaldus appellari solitus is est, quem hic Cosmæ traditio monachum depingit, ut passim etiam Viri quique graves sentiunt, & de quo suo loco agemus, seu in hac traditione vestigium est anni 871. quo ex Annalibus Francofuldensibus retulimus Zuentibaldum a Carolomanno clanculum captum, ideoque Moravos existimantes Ducem suum periisse, ad electionem alterius & quidem Sacerdotali munere insigniti processisse; seu certe traditio obliteravit nomen, & Michaeli Bulgariæ Regi (qui æque Slavorum, sed ulterioris Pannoniæ Rex seu Dux fuit Christianus, contemporaneusque) substituit Zuentibaldum. De hoc Michaele quid narrent Annales Metenses ad annum 868. loco non suo, audiamus: *Non post multum tempus* (Michael, ante Trebellius dictus Bulgarorum Rex) *Divina inspiratione commonitus regnum terrenum dimisit, ut in cœlis æternaliter regnaret cum Christo. Et ordinato in loco suo in Regem majori filio suo, comam capitis deposuit, habitumque sanctæ conversationis suscepto Monachus effectus est.* Quæ similima sunt iis, quæ passim de Suatopluco narrant Scriptores nostri. At Suatoplucum extra Monachatum mortuum fuisse, credo satisfeci lectori supra ex Fragmento Annalium Francofuldensium, Reginone, Annalibus Metensibus, & Constantino Porphyrogenito. Porro quanquam apud veteres nusquam proditum sit, qua ætate, quove loco mortuus aut sepultus sit Zuentibaldus, tamen posteriores in his elucidandis confidentiores inventi. Presbyter Diocleas nobis non modo locum demumque sepulturæ, sed etiam annos & menses imperii transcribit: *Regnavit præterea Rex sanctissimus* (Suetopelek) *XL. annos, menses IV.* (Stredovskius ait egisse sexagesimum septimum ætatis annum) *genuitque filios & filias, & XVII. die intrante mense Martio mortuus est, sepultusque in Ecclesia sanctæ Mariæ in civitate Diocletana, honorifice & cum magnis exequiis. Tunc congregantes se populi lamentaverunt illum flentes.* Sed jam supra innuimus Slavicum textum historiæ *regni Slavorum* a Marco Marulo versum loco *Suetopelek* habere nomen *Budemir* seu *Branemir*; ut verosimillime hæc ad Branemirum Dalmatiæ Ducem a Joanne VIII. benedictum pertineant, cujus nomini perperam Diocleas substituit *Suetopelek*. Æneas Silvius ait: *Is* (Suatobogius filius) *ab Eremitis edoctus de fortuna patris, quem occidisse in prælio existimaverat, corpus ejus ex eremo defossum Volegradum retulit, atque in sepulchris majorum condidit.* Dubravius: *A quibus*

Buccellinus in Menolog. ad V. Idus Martii.

Annal. Metenſ. ad An. 868. Chron. Saxon. ad An. 841.

Diocleas de regno Slav.

Æn. Silv. c. 13.

Dubrav. l. 4.

(Eremitis) *etiam Nitriæ in Pannonia conditus fuisse dicitur. Ita donec apparuerat conditorium hoc elogium insculptum habuisse fertur: Regem Moraviæ Suatoplucum in medio regni sui sepultum jacere.* Stredovskius vero postquam narrasset Suatoplucum morbis & senio confectum inter manus S. Methodii decessisse, subjungit: *Sancte igitur Suatopluco Welehradii mortuo ejus cadaver ornamentis Regiis involutum ritu Christiano, regeque gloriosa digna solemnitate in Welehradensi Beatissimæ Virginis Mariæ metropolitana inter Adelheidæ Reginæ, & Mogemiri filii totiusque populi lamenta est reconditum, sancto Methudio ejus manibus parentante.* Hæc historicorum posteriorum anthylogia quid aliud ostentat, quam vetus documentum illis defuisse, secus in tot sententias nusquam scinderentur. Tam a fide veterum alienum est, quod eodem loco ex Hirsimenzelio refert Stredovskius: Suatoplucum cum nimbo pictum repertum, & olim beatis adnumeratum fuisse.

Stredovsky l. 3. c. 12.

IV. Ad annum hunc seu priorem verosimillime pertinet, quod Eruditissimus Hansizius ex Catalogo Cremisanensi de Wichingo Episcopo Nitriensi, postea Pataviensi recenset: *Hic Laureacensem Ecclesiam pressit, volens provinciam dividere, & auxilio Suentebaldi Regis Moravorum in Sclavia metropolim suscitare.* Scio quidem mox laudatum Hansizium, cum Clarissimo Viro Assemano hanc Metropolis resuscitationem a Wichingo attentatam longe serius (nempe anno 898. dum is Pataviensem Episcopatum esset assecutus) reponere: sed ea opinio tolerari minime potest; non enim dubium authorem Cremisanensis Catalogi intellexisse hoc a Wichingo ante mortem Zuentibaldi fuisse attentatum. Nam ait id factum *cum auxilio Suentibaldi* Regis Moravorum, quem hoc anno fuisse demortuum supra invictis argumentis ostendimus. Nec controveri potest hic *Suentibaldi* nomine intelligi filium ejus Zuentibaldum. Nam isthic appellatur *Rex Suentibaldus*, quem titulum nemo filiorum tulit ab exteris Scriptoribus, constat enim ex supra allatis Porphyrogeniti dictis Zuentibaldum alterumque fratrem sub potestate primogeniti (qui fuit Moymarus) fuisse. Tum palam est eo anno scilicet 898. quo Wichingus in sedem Pataviensem promotus est, incepisse jam dissidia inter hos duos fratres, & Zuentibaldum a Moymiro fratre captum, carceri inclusum, postea a Bavaris vindicatum exulem apud eos egisse; ut eo tempore junior Zuentibaldus minime par fuerit auxilio ferendo Wichingo ad suscitandam metropolim in *Sclavia*. Sic vero perperam hanc vocem reddit Catalogus Cremisanensis, cum ex-

Hansiz. T. I. p. 166.

Item ibid. p. 171.

Assem. T. III. P. 1. c. 3. p. 162.

punc-

puncta litera *e* legendum sit *Sclavia*, quo nomine sæpissime Scriptores Germani, ut Superioribus annis vidimus, Moraviæ Regnum ipsamque Pannoniam a Slavis passim habitatam, imo regiones omnes in Aquilonem vergentes intelligunt; ut monstri simile videri debeat, dum nonnulli authores cum scriptore vitæ S. Maximi Archiep. Laureac. & Martyris vocem hanc *Sclavia* pro *Iglavia* Moraviæ urbe explicant. Scilicet his superioribus annis plane accidit, quod Zuentibaldus Regnum Moraviæ etiam cis Danubium per hodiernam Austriam & superiorem Pannoniam, cujus magna pars spectabat olim ad Archi-Episcopatum Laureacensem, protenderit. Qua occasione usus Wichingus (reverso procul dubio Roman aut plane mortuo S. Methudio) haud ignarus jurium antiquorum extinctæ Ecclesiæ Metropolitanæ Laureacensis, metropolim in Slavia resuscitare est meditatus. Nam plures his partibus hujus Archiepiscopatus olim fuisse sedes Suffraganeas jam P. II. ex Bulla Eugenii Papæ legimus. Hunc tamen Wichingi conatum fefellit seu mors Zuentibaldi, quæ hoc anno contigit, seu vastæ spes & promissiones Arnulphi, qui meliorem Episcopatum, ipsumque Cancellariatum suprenum pollicebatur, quem ab eo præsente jam anno gestum fuisse mox videbimus. Ceterum auxilium, quod ad resuscitandam sedem Metropoliticam in *Sclavia* tulit Wichingo Zuentibaldus, id postea filius Moymarus impendit Joanni, adeo ut anno 900. Joannes IX. Papa ad illius preces Archiepiscopum cum Episcopis miserit, qui sedem Metropoliticam tresque suffraganeatus instituerent. De quo agemus ad dictum annum. Jam vero ostendendum Wichingum hoc ipso anno Cancellariatum gessisse: Non nescio Eruditissimos Viros Hansizium & Assemanum vi repertorum diplomatum Cancellariatus Wichingi initium ad annum sequentem rejecisse. Ar mihi in opere Diplomatico Miræi videre contigit diploma Arnulphi Regis hoc ipso anno 894. VIII. Idus Junii datum Ecclesiæ Cameracensi, in quo hæc subscripta leguntur: *Wichingus Cancellarius ad vicem Theotmari Archi-Capellani.* Quæ nullum dubium relinquunt, eum jam hoc anno Cancellarii munus gessisse. Causa vero, ob quam Wichingus Nitriensem suum Episcopatum deseruit, nuspiam in veteribus prodita: recentiores quæpiam ariolantur. Aventinus rebellionem Suatebogi adstruit ita scribens: *Cum Suatebogius Imperatori rebellat, Wichingus ad Imperatorem confugit.* Hansizius causam in vastationem Moraviæ & Episcopatus sui per Hungaros factum, refundit. Verba ejus sunt: *Gessit* (Wichingus) *eam provinciam ad obitum usque Zuentibaldi id est annum 894. ubi novis bo-*

Hier. Pez. T. I. p. 34.

Hansiz. Germ. sacræ T. I. p. 169. Asseman. T. III P. 1. c. 3. p. 163. Miræus in Op. diplom. 2. Supplem. c. 13.

Aventin. Annal. Boj. l. 4. Hansiz. T. I. p. 168.

ſibus Hungaris Moraviam & Pannoniam inundantibus, locumque Nitravenſem occupantibus ad Arnulfum Regem ſe contulit, a quo cuſtodiæ ſacri ſigilli & ſcriniorum præfectus locum etiam Præpoſiti Patavienſis, & ſpem ſucceſſionis in gradum Engelmari Epiſcopi occupavit. Quod argumentatur ex ſupra relato Num. I. Annalium Francofuldenſium loco, quo Hungarorum ultra Danubium barbaries hoc anno deſcribitur. Sed jam ibidem oſtendimus narrationem hanc accipiendam eſſe de ulteriore Pannonia, quam incolebant Bulgari. Nec enim Epiſcopi Bajoariæ in ſua querela poſterius data alterius vaſtationis Pannoniæ meminerunt, quam a Zuentibaldo factæ, atque ſi Hungari jam hoc anno usque Nitriam pervaſerunt, omnesque ditiones infra hunc Epiſcopatum ſurripuerunt Moravis, qui igitur anno demum 900. quatuor Epiſcopatus in reſidua Moraviæ exigua parte erigendos eſſe ſeu poſtulaſſet Dux Moymarus, ſeu aſſentiri potuiſſet Joannes IX. Papa? quomodo Zuentibaldi filii tantum reſiſtere potuiſſent Arnulpho, ut neque ei tributum penderent, quemadmodum legitur in eadem epiſtola? Quomodo denique hi filii non modo laceſſere Bojoarios, ſed etiam ipſos Bohemos tantopere premere potuiſſent, ut ex querela Boemorum poſterius legetur, ſi potiſſimæ terræ eis ab Ungaris jam fuere ereptæ? Veroſimillimum igitur videtur: Wichingum munere Cancellariatus & ſpe pinguioris Epiſcopatus ab Arnulpho allectum, ut molimen de erigenda in Sclavia Metropoli præcideretur, quod in magnum præjudicium ſedis Patavienſis & Juvavienſis vergebat. Jam vero.

V. Ex his indubie eruitur S. Methudium ante annum hunc ſeu Romam reverſum, ſeu plane mortuum fuiſſe, de cujus quidem mortis anno nuſpiam apud veteres veſtigium ſuppetit, ita ut veriſſimè ſcripſerit Pagius: *Incertum quo Chriſti anno S. Methudius Slavorum Apoſtolus ſpiritum Deo reddiderit.* Poſtrema hujus ſancti habetur memoria apud auctorem vitæ SS. Cyrilli & Methudii, cum dicitur ab eo Borzivogius ſacro fonte ablutus, quod anno 890. accidiſſe ſupra oſtendimus. Hagecius quidem noſter eum ad annum usque 910. ſuperſtitem fuiſſe ſcribit, hocque ipſo anno Romam conceſſiſſe memorat, atque ibidem reliquum vitæ tempus exegiſſe, quem calculum pene omnes hiſtorici noſtri ſecuti ſunt. Stredovskius plane, neſcio, quo fonte adjicit, eum nonagenarium defunctum. Verum incredibile eſt vivente S. Methudio, aut in Moravia commorante Wichingum attentaturum fuiſſe ſuſcitationem Metropolis in Sclavia, & Zuentibaldi regno

Pagius ad h. N. 18.

Acta SS. ad 9. Martii §. 14.

Hagec. ad An. 910.

Stredovsky l. 4. c. 8.

gno, quandoquidem illi Joannes VIII. in epiſtola ad Suatoplucum anno 880. data omnium Provinciarum, quæ Zuentibaldo ſubjectæ ſunt, curam cum Archiepiſcopatus privilegio conceſſit, ipſumque Wichingum ei ſubdidit, ut in omnibus eſſet obediens, ſicut ſancti canones docent, quemadmodum loquitur laudata epiſtola. Ante annum vero 900. certo mortuum fuiſſe convincit penitus novi Archiepiſcopi Joannis a ſede Pontificia impoſitio, ut ad eum annum viſuri ſumus. Quemadmodum autem annus obitus ſui, ita etiam ipſe locus authoribus varius eſt: Eminentiſſimus Cardinalis Baronius in Annotationibus ad Martyrologium Rom. ad IX. Martii eum Romæ mortuum fuiſſe non dubitat. Sic vero ille: *Porro iidem* (nempe SS. Cyrillus & Methudius) *Romæ morientes miraculis clari ſepulti ſunt, quorum ſacras reliquias nuper ſub altari in ejusdem Eccleſia* (S. Clementis) *ſacello pervetuſto repertas accepi.* Additque Henſchenius ex Octavio Pancirolo de theſauris abſconditis Almæ urbis in dicta Eccleſia S. Clementis ejus corpus cum corpore S. Clementis aſſervari. Quæ reſpondent verbis Pulkavæ noſtri & Anonymi apud Menkenium: *In eadem etiam Eccleſia S. Clementis ipſe* (S. Cyrillus) *cum fratre ſuo S. Methudio ſepultus eſt.* Adſtipulatur his etiam Joannis VIII. epiſtola ad annum 880. a nobis relata, in qua Pontifex declarat S. Methudium voluntatem habuiſſe Romam revertendi. Ibi enim: *Tamen cum Deo duce reverſus fueris &c.* Faceſſat igitur Aventinus, cum eum Olomucii tumulatum ait. Verba illius ſunt: Methudius *factione Juvavenſium myſtarum pulſus* (nempe ex Pannonia) *in Moraviam aufugit. Ubi humatus eſt in urbe, quæ nunc caput Moravorum cenſetur, vulgo Olmuntz, hoc eſt Julii mons appellari ſolet.* Magis paradoxa eſt Sarnicii Poloni ſententia, qui S. Methudium a Suatobogio ſupplicio adfectum adſtruit, ſic enim fabulatur: *Atque hic eſt ille Suatobogius, qui Methodium Slavorum primorum Apoſtolum ſupplicio affecerat. Et ob id Diis & hominibus inviſus in uvia & ſilvas conceſſerat.*

In Comment. prævio n 37. ad 9. Martii. Pulkava Mſ. Menken. ſcriptor. Germ. T. III.

Aventin. Annal. Boj. l. 4. p. 259.

Sarnic. Annal. Polon. l. 5. c. 7.

VI. Anno hoc præterea contigit in Epiſcopalem ſedem Ratisbonenſem collocari Tutonem, quem virum ſanctum ex Monacho S. Emerami in hunc Epiſcopatum evectum ait Buccellinus. Non deſunt quidem, inter quos & ipſe Buccelinus, qui Embrichoni anno 891. demortuo Tutonem ſucceſſiſſe volunt, et perperam. Nam Embrichonem inter & Tutonem fuiſſe Aſpertum prodit Arnolfus ſæculi XI. ineuntis ſcriptor in Dialogo, quo hanc Epiſcoporum Ratisbonenſium texit ſeriem: *Aſperto ſucceſſit vir magnæ manſuetudinis & pie-*

Buccell. Germ. ſacra P. I. p. 44

Apud Canisian. tiq. lect. T. II.

pictatis nomine Tuto clarus ingenio. Is habuit successores Isangrinum, Guntharium, & Michaelem, post hos rexit hanc Ecclesiam beatus Wolfgangus.

Quod vero Tuto hoc anno factus sit Episcopus Ratisbonensis testatur Anonymi Chronicon breve apud Mabillonium, & confirmat diploma ab Hundio citatum, in quo annus Domini 902. Tutonis Episcopi octavus asseritur: *Actum in Straubinga Curte Regia anno Domini DCCCCII. regni vero pueri Ludovici II. Tutonis autem Episcopi VIII.* Denique diplomata Codicis Ratisbonensis apud Bernardum Pezium passim ejus memorias occipiunt ab anno sequente 895. usque 814. *Præfuit* autem, ut inquit supra laudatus Arnolfus *a septimo anno imperii Arnulfi, usque ad duodecimum regni Henrici Saxonis* id est: ad annum 830. seu ut alii annos Henrici computant 831. Quæ Chronologia nobis stabilienda fuit, quod ex ea S. Wenceslai Ducis Bohemiæ gesta elucidanda sint. Pertinet vero hic Tuto ad historiam regni Bohemiæ tum, quod ab anno 845. quo XIV. Duces Boemorum Ratisbonæ baptismo initiati sunt, Ratisbonenses Episcopi jurisdictionem in Bohemiam exercere soliti, tum maxime quod ex historia nostra certum sit eum ipsum ejusmodi jurisdictionis actus seu per se ipsum in consecratione Ecclesiæ S. Viti, seu per Chorepiscopum suum in dedicatione templi S. Georgii exercuisse. Et quanquam status hic Ecclesiæ nonnihil alteratus fuerit anno 890. quo S. Methudius perducto ad Baptisinum Borzivogio presbyterum Kaich aliosque Clericos ad Boemiam misit, ipseque S. Ludmillam cum pluribus aliis sacro fonte tinxit, nec non alia Episcopalia munia, si posterioribus fides adhibenda, exercuit; tamen hæc ætatem S. Methudii (cujus jurisdictioni omnes Suatopluco subjectæ regiones a Joanne VIII. Papa concessæ fuere) non superaverunt, adeo, ut eo demortuo omne jus & potestas in rebus Ecclesiæ ad Tutonem reciderit. Nec est incredibile id anno sequente factum, quo facta Boemos inter & Moravos scissione se se Boemi contra Moravos Bojoariis Franciscque sociarunt, ut ad hunc annum narrabimus. Ceterum cum certum indubitatumque habeamus ex veterrimis vitæ SS. Ludmillæ ac Weneeslai scriptoribus hunc Tutonem Ratisbonensem Episcopum simul fuisse Boemiæ Præsulem, ejus Præsulatus annos ab anno præsente numerare occipimus, idque porro in successione Episcoporum Ratisbonensium prosecuturi, dum ad erectionem Episcopatus nostri nostrorumque Episcoporum Chronologicam supputationem pertingamus; quo novo Chronologiæ adminiculo multam lucem historiæ Bohemæ nos allaturos speramus.

Mabillon. sæc. V. p. 111.

Hund. in Metr. Salisb. T. I. p. 128.

AN-

ANNUS 895.

Dux Borzivojus cedere tempori ratus ſuorum miniſtrorum nonnullos, quos fidiſſimos ſciebat, ſeorſum vocavit in ſecretiorem locum, eisque conſilium prodidit deſerendæ Boemiæ, tranſeundique in Moraviam. Vocato Slaviboro ſocero uxorem Ludmillam nepotesque commendat, mox aſſumto viæ comite Kaycha præbytero ad Suatoplucum profugit; (a) ibi Regi Moravorum atque Epiſcopo, quæ ſe fata premerent, queribunda voce aperuit. Et paratus erat dolens humanas vices Suatoplucus injuriam armis vindicare, exercitumque Boemiæ immittere, qui refractaria capita vel vi legem Chriſti ferre cogeret. (b) At obſtitit Principis optimi animus nil, niſi manſuetudinem pacemque ſpirans, atque omnem fiduciam in cœli miſericordiam reponens. Boemi vero fugato Duce ſuo, non ſecus ac emiſſæ caveis, vinculisque ſolutæ feræ, quem venerentur metuerentque non habentes, pro libidine verſabant omnia: Proculcatæ itaque cum juſtitia leges, vicinorum direptiones, latrocinia, nocturnæque cædes in rempublicam invaſere. Erant tamen non pauci auctoritate & prudentia præſtantes, qui hanc plebis licentiam execrabantur, atque hunc ſeu alterum Ducem perditis rebus ſumme neceſſarium cauſabantur. Sed non erat ullo remedio emollienda projecta in omne malum gentilis populi voluntas, quæ ſurſum deorſum præter æquitatis legumque ordinem omnia miſceat.

Borzivogius fugit exul ad Moraviam.

Turbatus Reipublicæ Bohemæ ſtatus.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXCV.

FORMOSI PAPÆ 6. - - - IMP. vacat.

SPITIGNÆI 1. TUTONIS *Ep. Rat.* 2.

Vita SS. Ludmill. & Wenc. (a) Christannus noster inquit: *Surgunt adversus eum uno animo eademque sententia, suisque eum finibus proturbare conantur, seu etiam vitam auferre moliuntur. Quo agnito Princeps se se ab eis removit, rursusque Regem Zwatopulck seu Pontificem Methudium Moraviæ repetivit, a quibus carissime, & ut decebat, suscipitur, aliquantulumque apud eos degens perfectius doctrinam Christi nanciscitur.* An vero Borzivogius primum concesserit Hradecium, atque, cum ibi non satis in tuto esset, Brunam, ubi nunc degebat Suatoplucus, transierit, ut cum Pessina sentit Hammerschmid, nihil in veteribus proditum. Hæc vero Hagecii relata pertinere ad annos 890. & 891. jam supra ostendimus.

Pessina Rad. 3. p. 121. Hammerschmid. Glor. Prag. p. 13.

(b) Quanquam in historiis nihil proditum sit, ut ad annum 891. innuimus, Suatoplucum Borzivogio contra seditiosos suppetias tulisse, at ex Arnulfi & Arnonis Wirzeburgensis Episcopi expeditione ibidem sat testatum fecimus Suatoplucum etiam armis causam Borzivogii protexisse.

PRÆTERMISSA.

I. Mortuo superiore anno Suatopluco, & regno in tres filios divisa ea lege, ut duo minores sub primogeniti potestate essent, pacem uno annó duravisse scribit Constantinus Porphyrogenitus. Nec vero de hujus anni bello aliquo Moravico mentionem faciunt Annales Francici, nisi quod Albericus Monachus Trium Fontium ex Ottone Frisingensi referat: Arnolfum in Bajoaria ad compescendos Sclavos moratum, quæ tamen seu de annis superioribus accipienda, seu tuteminis ergo facta sunt, neque in belli flammas erupere. Copiose enim hujus anni labores & itinera Arnulphi prosequitur supplementum Annalium Francofuldensium & Regino: qui primum narrant exauctorato Erigildicone Marchensi Bajoariorum substitutum ab Arnulpho Luitpoldum nepotem suum, Hildegardem filiam Ludovici Regis Francorum in quandam insulam relegatam. Tiburi synodum celebratam, tum regale placitum Wormatiæ habitum, inde motum in curtem Regiam

Constant. Porphyr. de adm. imp. c. 41. ad h. a.

Annalecta Vindob. T. I. Regino ad h. a.

giam Salz, conventum rursum mense Julio coactum Ratisbonæ, & dein mense Septembri cum exercitu profectum ad Italiam. At vero omnes scriptores nostri patrii exterique nonnisi duos filios Mogemirum & Suatobogium, aliter etiam Zuentibaldum præsertim a Germanis Italisque scriptoribus appellatum, Suatopluco tribuunt: nec tamen Porphyrogenito tanta accuratione gesta Suatopluci scribenti deroganda fides, quin manutenendum: Zuentibaldum omnino tres filios reliquisse, quanquam tertii nomen nobis a veteribus proditum non sit. Nisi fortassis dicere libeat alium fuisse Suatobogium, alium Zuentibaldum filium, indeque ortum, ut unum eundemque fuisse creditum fuerit, quod historiæ nonnisi duorum mentionem fecerint. Aut nisi *Gotifredum* filium Suatopluci fuisse dicamus, quem Dandulus Venetiarum Dux Moraviæ Ducem facit, atque circa annum 910. occisum tradit his verbis: *Dum* (Hungari) *Carinthiam invadunt, ultra castrum Leopater, Moraviæ Dux Gotifredus, Duxque Heberardus cum Aquilegiensi Patriarcha illis occurrunt. In eo prælio uterque Dux occiditur, Patriarcha verò fuga salvatus est.* Tam tectum est, quæ hæc divisio Regni Moravici fuerit, & quam partitionem terrarum unusquisque filiorum acceperit. Porro Mogemirum (qui a Rasticis præcessore, primoque nobis cognito Moraviæ Duce nomen acceperat) fuisse primogenitum extra dubium est: quod ex gestis annorum subsequentium confirmabitur, & liquet ex epistola Episcoporum Bojoariæ ad Joannem IX. Papam, qua ab ejus nomine omnes Moravi *Moymarii* appellantur, quasi Moymari clientes & subditi. Attamen Presbyter Diocleas primas tribuit Suatopluco, qui in re sectatores habet Pessinam & Stredovskium. Postquam enim Suatopluci patris sepulturam narrasset, subjungit: *Et in eadem Ecclesia* (sanctæ Mariæ) *clamaverunt filium ejus Suatoplicum Regem, ibique consecratus & coronatus ab Archiepiscopis & Episcopis. Ex eadem die mos adolevit, ut consecrarentur, & eligerentur in eadem Ecclesia omnes Reges hujus terræ.* Similia pene scribit Stredovskius, qui præsente Arnulpho coronatum scribit a S. Methudio in Ecclesia Welehradensi. At præterquam purum putumque figmentum sit de coronatione, jam crebro supra monuimus Diocleatem perperam Budimiro seu Branimiro, quod nomen habet vetus textus Slavicus, substituisse Suatoplucum; ut ita hæc procul dubio intelligenda sint de Branimiri filiis & posteris, inter quos ne quidem *Suetopelek* reperio. Nam privilegia a Joanne Lucio prolata anno 879. referunt Ducem Sedecslavum. Anno 880. Branimirum. 890. Brazlavonem. 920. Michaelem, quæ clare arguunt Suatoplucum patrem filiumve ad historiam Dalmatarum haud pertinere. Veteres itaque hi-

Annal. Francofuld. ad h. a.

Dandulus edit. Muratt. p. 199.

Gevold. addit. Hundii T. I.

Diocleas de Regno Slav.

Stredovsky l. 4 c. 1.

storias sectanti haud satisfacturus est Pessina & cum eo Stredovskius amplificatione sua, qui de consultatione, quis horum duorum filiorum regno Moravico præficiendus esset, mira nusquamque audita cumulant. Nec scio, qua authoritate tum Suatopluci patris tum filii Moymiri famæ & existimationi derogare potuerint, dum hunc ante legitimas nuptias natum fuisse dictitaverunt. Magis injuriose agit Aventinus, qui ne Moravis seu liberam electionem, seu legitimam successionem in Ducatu concederet, ita scribit: *Moemarus & Suatebegus ab Arnulpho Moravis imponuntur.* Istudne seu Continuator Annalium Francofuldensium, seu Regino, seu Annalista Metensis præteriissent, qui mortis Zuentibaldi sat prolixam mentionem fecere?

Pessina Mor. Morav l. 2. c. 7. p. 207. Stredovsky l. 4. c. 1.

Aventin. Annal. Boj. l. 4. p. 282.

II. Quanquam inita superiore anno cum Zuentibaldo pax hoc ipso etiam anno obtinuerit, tamen ejus mors non secus in Imperio Arnulphi, atque rebuspublicis Slavicis mutationes quasdam attulit. *Engildico* enim (inquit supplementum Vindobonense toties laudatum) *Marchensis Bajoariorum honoribus privatus est, in cujus locum Luitboldus nepos Regis subrogatus est.* Scilicet expertus ille fatum idem, quod superiores penc omnes Comites terminales, ut cum in suspicionem infidelitatis collusionisque cum Moravis deveniret, munere suo exutus sit. Slavicæ vero respublicæ, quæ, ut superioribus annis ostendimus, nexu quodam inter se vinctæ erant, atque Suatopluci imperium respiciebant, jam hoc demortuo dissolvi videbantur. Quare post tantum temporis intervallum rursum hoc anno leguntur Obodritorum legati cum muneribus ad Arnulphum accessisse. Sic enim idem supplementum: *Legati Obodritorum Curte Regia Salz munera secum deferentes ad Regem pacifica optantes pervenerunt. Quos Rex ut audivit, sine mora postulata annuens, & abire permisit.* Magis periculosa nomini & imperio Slavico moliebantur Bohemi, qui se se a Suatopluci filiis scindentes societatem novam cum Francis hoc anno pacti sunt. Causam autem hujus novi molimnis defectionisque a Moravis haud aliam suspicari licet, quam justo majorem authoritatem, quam subinde Suatoplucus in vicinas Respublicas Slavicas usurpabat, quod haud obscure innuunt hinc atque illinc Annales Francici, & prodit Constant. Porphyrogenitus dum, ait: *populis finitimis terribilis fuit.* Metuebant nempe Boemorum Duces, ne hereditarium fieret jus illud, quod ipsi aliique vicini Slavici populi ultro Suatopluco detulere, & ut ostenderent filiis ejus simile quodpiam imperium minime competere, se se Arnulpho sociarunt. Locum summe memorabilem scriptores rerum Gallicarum & Francicarum, tum annis

Analect. Vindob. T. I.

Ibid.

Constant. Porphyr. c. 41.

non-

nonnisi tribus abhinc ex codice vetustissimo Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis protulere Analecta Vindobonensia T. I. in quibus ea lacuna Annalium Francofuldensium, quam summo historiæ damno hactenus in omnibus editionibus deprehendimus, felicissime suppletur. In hoc fragmento, quod hactenus latuit, insignis gentis nostræ memoria, eo præcipue maxime facienda, quod Duces duos filios Borzivogii *Spitigneum* & *Wratislaum* proferat; eum hucusque in Francicis Scriptoribus ne unum quidem Bohemiæ Ducem deprehendere licuerit, qui historiis nostris patriis responderet. Verba vero fragmenti sunt: *Mediante mense Julio habitum est urbe Radisbona generale conventum. Ibi de Sclavonia omnes Duces Boemanicorum, quos Zuentibaldus Dux a consortio & potestate Bajoaricæ gentis per vim dudum divellenda detraxerat, quorum primores erant Spitignevo, Vuitizla* (lege Vratizla) *ad regem venientes, & honorifice ab eo receptos, per manus, prout mos est regiæ potestati, reconciliatos se subdiderunt.* Haud aliter vero se subdiderunt (ut verba ejusmodi crebro expiicat Jordanus de Archi-Pincernatu) quam ut comiter venerarentur Francicum imperium, auxilium & operam armis atque commeatibus ad tutandum illud addicerent, ipsi tamen quoque hostibus ingruentibus spem & præsidium in Arnulpho reperirent, quod paulo post Bohemos non fefellit, cum a Suatopluci filiis premerentur. Jam

Analect. Vindob. T. I. p. 527.

III. Ex hoc luculentissimo loco hanc Chronologicam crisim formare licet: cum isthic dicatur omnes Duces Boemanicorum Ratisbonæ in generali conventu comparuisse, interque illos primores fuisse Spitigneum & Wratislaum filios Borzivogii, haud indubia argumentatio capitur: Borzivogium patrem seu jam fuisse mortuum, seu, ut nostri posteriores asseverant, abdicato Ducatu secessum suum Tetinii amplexum. Nec enim credibile: Continuatorem Annalium Francofuldensium præteriturum fuisse, si Borzivogius adhuc ad clavum sedisset, indigitare, eum tanquam Principem horum Ducum abfuisse, cum dicat *omnes Duces Boemanicorum* comparuisse, aut saltem Spitigneum & Wratislaum non absolute *primores*, sed primi principisque Ducis filios appellaturum fuisse. Successisse itaque Borzivogio videntur hi duo filii divisis ditionibus, quemadmodum antea id factum vidimus, & postea visuri sumus in S. Wenceslao & Boleslao fratre aliisque. Primogenito tamen semper ea prærogativa competebat, ut Princeps audiret, atque sub ejus potestate secundo genitus constitutus esset, non secus atque anno superiore ex Porphyrogenito legimus ejusmodi normam a

Suatopluco Duce Moraviæ inter tres filios ſuos inſtitutam, & in gentem noſtra poſterius, præſertim cum Moravia acceſſiſſet, receptam fuiſſe. Nec obſtat veterum auctoritas, qui paſſim ſcribunt Wratislaum fratri Spirigneo in Ducatu Bohemiæ ſucceſſiſſe, id enim de principe ſede, & univerſæ Boemiæ adminiſtratione accipiendum, quam mortuo ſine liberis Spitigneo poſtea conſecutus eſt Wratislaus. Quæ vero hæc Bohemiæ partitio fuerit, & quæ ditiones Wratislao, vivente fratre ſuo Spitigneo, obtigerint, nihil compertum. Niſi dicamus illum eandem Boleslavienſem regionem tenuiſſe, quam dein eo mortuo accepit filio-

Balbin. Epit. l. 1. c. 2. p. 4. rum alter Boleslaus, cum vetuſta traditio ſit, imo Balbinus ad perveteres temporum Annales ſe revocet: Boleslavienſem SS. Cyrilli & Methudii Eccleſiam a Wratislao fuiſſe fundatam & conditam adjecto quatuor ſacerdotum Collegio, quos inter Bohuslaus Præpoſiti, Wſſemilus Decani munus geſſerit. Jam hoc Chronologiæ quoad Duces noſtros principio habito ordinabimus impoſterum Ducum noſtrorum annos, eumque annum primum Spitignei ſtatuemus; non quod lectori perſuaſum velimus, ut certo credat Spitigneum hoc anno primum regnare cepiſſe, ſed quod hactenus nullum idoneum legitimumque documentum repererimus, ut certum aliquid circa Chronologiam primorum Ducum noſtrorum ſtatueremus, quorum nequidem nomina uſpiam apud veteres exteros prodita ſunt. Primi vero ſcriptores noſtri patrii, quanquam nomina & ſeriem eorum adferant, ubivis Chronologia abſtinent, primusque omnium repertus Hagecius, qui ſæculo XVI. tanquam geſtorum anni e tripode Delphico ſibi eſſent proditi, omnia in Chronologiam diſpeſcuit; ſed quanto temporum vitio & anachronysmis haud indubie benevolus lector ex ſuperioribus noſtris annis collatisque coævis monumentis perſpexerit. Quare rurſum monemus æquum lectorem, ne annos eos, quos hactenus Ducibus noſtris præfiximus, certos, aut computum noſtrum eſſe exiſtimet, calculus is eſt Hagecii, quem non tam ſequi, quam præfigere libuit, dum meliora nanciſcamur. Ab anno 890. cepimus ſupputare annos a Borzivogii baptiſmo, quod is calculus calculo Hagecii multo verior nobis videretur, ob quam eandem rationem annorum ſupputationem in Ducibus noſtris eam jam ſequemur, quam Chronicorum veterum, aliorumque monumentorum indicia perſuadebunt. Optantes, ut ſi quæ adhuc latent hiſtoriæ patriæ veteres reliquiæ, ex iis tandem aliquando ea ſuppleantur reformenturque, in quibus ne certiſſimum abſolutiſſimumque hactenus definire fas eſſet, documentorum idoneorum defectus obſtitit.

AN-

ANNUS 896.

Cellum obducere visa est Boemorum gentilium contumacia pro aris & focis suis vitam ponere parata. Congressi subinde seniores populi id sacrum sanctumque sibi fore statuerunt, quemvis potius, quam Borzivogium passuros dominum Ducemque. Suadebant nonnulli majorum suorum exemplo arcendum rursus ab aratro Principem, alii contra per nuncios revocandum censebant ex Bavaria Stuogmirum filium Hrutæ, fratrem Sukoslai, quem nuper captum Hostivitus in Noricum ejecerat. Eaque tandem sententia inter multam disceptationem prævaluit, maxime quod Stuogmirus (a) e Bilinensium Principum sanguine, ex Bila Kassaque per Kossalium prognatus, cognatione Wissehradensem domum attingeret. (b) Igitur ad Bavariam missi cum per interpretes Bavaros nequicquam de exule quæstionibus fatigassent, oblatum tandem agnitumque Pragam cum solemnitate deducentes summæ rerum præfecerunt, Principemque salutarunt. (c) Non ille solum Stuogmiri sed etiam Stilfridi nomine inter nostros celebrabatur, nam inter Noricos adhuc versatus hoc teutonicum nomen germana interpretatione indeptus est, quod varium postea etiam in gente nostra obtinuit. At vero plebs, qua nihil mutabilius, illico indigne ferre: quod Princeps suus per interpretes appellandus, idem & audiendus esset. Nam tredecim annorum intervallo, quibus exul inter germanos vixerat, patriam lin-

Stuogmirus Borzivogio surrogatur.

guam vitio memoriæ Czechorumque conſuetudinis defectu plane perdiderat. Cum igitur nec in petendis, nec definiendis judiciis modus, tutamenque certum Bohemis eſſet, inſuetis talium communicationum riſui primum, mox etiam cunctis odio & indignationi eſſe cœpit. Decem enim noctiniſi menſes Princeps hic (paſſim per ſatyras mutus appellari ſolitus) toleratus. Nec minus Stuogmirum ipſum tædebat a ſuis non intelligi, aut ſua cum eis communicandi fas eſſe, ut faſces ſibi graves accidere ſentiret. Erant hæc ſagacioribus, ac iis præſertim, qui Borzivojo revocando ſtudebant, præſentiſſimum argumentum ad exuendum principalibus inſigniis Stuogmirum, qui paſſim ſimilibus hortamentis plebem ſollicitabant: „ Permirum cives! deturbatum a vobis „ Ducatu fuiſſe Borzivojum, quod Chriſto nomen dederit, „ certumne animo veſtro polliceri poteſtis Stuogmirum tam„ diu inter Chriſtianos verſatum non eidem nomini devotum „ a Bavaris? non vos latet ſuſtuliſſe eos nomen patrium „ ſubſtituiſſeque germanum, an, quod majus erat paſſuros „ fuiſſe creditis, ut ritu noſtro, pridem huic genti inviſo, „ ab ipſis diſcreparet? nobis certe non minus lavacro Chri„ ſtianorum tinctus videtur Stuogmirus, quam exul Borzi„ vojus, quod jam ille per tredecim annos profeſſus perti„ nacius tuebitur, quam vobis metuere fas ſit a Borzivojo, „ quem non ignoratis paucorum dierum nonniſi doctrinam „ nuperrime apud Suatoplucum hauſiſſe. (d) In ſcyllam in„ cidiſtis charybdin vitaturi. Periculum enim vero ſum„ mum eſt, ut ne Pſeudo-Dux hic lingua & moribus Ger-

„ ma-

„ manus, cum patriam linguam rursum combiberit, Germa-
„ norum suorum præsidio paulo post omnes Czechos ad eam-
„ dem superstitionem cogat, qua ille tam pertinaciter est
„ imbutus. „ (e) Ea ad movendum plane accommodata oratio tantum perculit plebis sententiam, ut seniorum procerumque potestati relinquerent, quidvis de tumultuarie creato hoc Duce statuendi. Itaque per interpretem Stuogmiiro significatum, ut in Bavariam sibi haud inclementem rediret, quod ille minime iniquo accepit animo. Reductus ergo in Noricum non sine debitæ observantiæ testimoniis; tresque auri & decem argenti marcæ ei in præmium gestæ Ducalis personæ una datæ. (f)

Ejus superbreve imperium.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXCVI.

STEPHANI VI. PAPÆ 1. ARNULPHI IMP. 1. SPITIGNÆI 2. TUTONIS *Ep. Ret.* 3.

(e) Christannus vocat *Ztroymir*. Codex Ms. Cœnobii Budecensis *Zreimir*. Prior dicit Slavice hoc nomen interpretari *rege pacem*. Quod omnino *Ztroymir* prisca significatione connotat, alter explicat per *judica pacem*, quod tamen Slavice non *Zreimir* sed *Zudimir* significat. Porro non incognitum etiam aliis Slavis erat hoc cognomentum: Anonymus enim de conversione Bojoar. & Carent. etiam quempiam Zhtroymir inter Duces Carentanorum refert. *Acta SS. ad 9 Martii.*

(f) Balbinus integram genealogicam arborem hujus Ztroymiri texuit, scilicet innixus relatis Hayecii. Ex eadem denique stirpe Kaphirzios nobilissimam olim inter nos gentem prodiisse statuit, quam recte vereque, Genealogiarum scrutatoribus expendendum relinquimus. Id certissimum est apud veteres ante Hagecium & Dubravium nusquam proditum esse Bilinensis stirpis Ztroymirum fuisse, quod vel ipsum *Balbin. Epit. l. 1. c. 10.*

ipsum nomen a posterioribus in vitam S. Ludmillæ intrusum est. Antiquissima enim hujus sanctæ vita, quæ habetur in Codice Bibliothecæ Clementinæ S. J. caret hoc nomine, sic enim illa brevissime: *At vero præfata membra dyaboli quendam alium judicem sibi elegerunt.*

Vita SS. Lud. & Wenc.

(c) Compendio rem absolvit omnem Christannus: *At vero plebs præfata in nequicia sua permanens quendam Ducem Ztroymir nomine, cujus in latinum vertitur sermonem:* rege pacem. *Qui apud Teutonicos profugus exulabat, gente ex sua missis legatis ad propria eum reducunt, sibique Principem statuunt.*

Sarnic. Annal. Polon. l. 5. c. 7.

(d) Nescio, quid in mentem venerit Sarnicio, qui hoc tempore quendam Thasillum nec nostris, nec exteris historiis cognitum nobis Regem affingit: Sic vero ille: *Bohemici etiam regni conversio facta est sub illud tempus in Thasillo Rege.*

(e) Christannus nihil prorsum memorat, ideo exauctoratum fuisse Ztroymirum, quod Christo nomen dedisset. Hagecium tamen Status Bohemiæ in sua deductione anno 1620. contra Ferdinandum II. data secuti sunt. At conferre libet verba Christanni, ut, quantum hæc amplificaverit Hagecius palam fiat: *Idem eorum electus Dux*, inquit, *licet ex eisdem genitus foret, diuturna tamen exulatio eum proprii privaverat labii eloquio. Quapropter a suis electoribus rejicitur se ipsos primum accusantibus, videlicet, quod talem sibi elegissent, cujus neque vocem neque sermonem nossent haurire, quodque clamores aurei ejus ignaras lingua sua penetrare non valerent.*

(f) Seriem narrationis invertit Hagecius, cum Stroymirum ante ethnicorum Bohemorum cladem, quam in sequentem annum rejicit, Ducatu & regione exactum scribit. Christannus enim cum omnibus aliis S. Ludmillæ vitis cladem hanc præmittunt. Ceterum indubie hauritur tam ex Christanno, quam aliis vetustioribus monumentis Borzivogii baptismum, exauctorationem, Ztroymiri electionem; expulsionem, rursumque Borzivogii receptionem intra spatium semi alterius, summum duorum annorum fuisse gesta, quæ tamen Hagecius per quinque annorum cursum dispescuit. Nempe, quod res ipsa prodit, rerum narrandarum inopia pressus, hæc gesta per quinque annos distraxit.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Ad hunc annum tandem pertinet, quod ex fragmento Analectorum Vindobonenſium ad annum 894. de tranſitu Ungarorum ultra Danubium, Pannoniæque vaſtatione improprio loco narrata jam eo anno præoccupavimus. Nam cum anno ſuperiore Hungari Græcorum fœderati non modica clade affecti fuiſſent (quod his verbis idem ſupplementum narrat: *Avari terminos Bulgarorum invadentes ab ipſis præventi ſunt, & magna pars eorum exercitus interfecta eſt*) atque Græci ipſi ubivis pene inferiores evaderent, adeo ut Bulgari ad portam usque Conſtantinopolitanam perrumperent, Græci aſtutia uſi naves expediunt ad Avaros, *ac eos in regnum Bulgarorum ultra Danubium transponunt. Illi ſic transpoſiti manu cum valida gentem Bulgarorum ingreſſi maximam partem cedendo neci tradiderunt. Hoc audientes poſiti in expeditione Bulgari cum omni feſtinatione primum deliberare ſe ab infeſto hoſte recurrunt, conſertoque illico prælio victi ſunt, iterum pari tenore recuperare nitentes ſecundo caruere victoria.* Dein narrat author Bulgaros petiiſſe conſilium a vetulo ſuo Rege Michaele, qui tum in cœnobio Monachum indutus erat, cujus ſuaſu, poſt triduanum jejunium, pœnitentiamque actam, cruentam victoriam (viginti millibus ſuorum amiſſis) fuiſſe adeptos. Eadem narrat Hermannus Contractus luculento compendio. Sed reliqua jam, quæ maxime ad Regni Moravici hiſtoriam pertinent, ex Conſtantino Porphyrogenito ſuppleamus. Narrat is itaque, cum Avari in hac contra Bulgaros expeditione fuiſſent, eveniſſe ipſis plane idem, quod Bulgaris, alibi expeditione occupatis, fecere. Nam Patzinacitæ Avarorum terras ingreſſi familias ipſorum perdiderunt, regionem vaſtarunt, eosque expulerunt, qui ad regionis cuſtodiam domi relicti erant. *Reverſi Turci* (id eſt Hungari a Bulgaris victi) *regionem ſuam deſertam vaſtatamque invenientes, in ea terra, quam hodiernum usque diem incolunt ſedes poſuerunt, in ea nimirum regione, quam a fluminibus cognominatam eſſe ſupra diximus.* Ut vero regionis iſtius ſitus expediatur, nominat inter fluvios: *Timeſum, Tutem, Mareſum, Criſum, & Titzam.* Inter hos fluvios tres hodie adhuc cogniti, & mutata paululum voce nomen retinent: *Timeſus* ſeu *Temiſus* Temeswar præterlabitur, atque ad Panzova infra Belegradum Danubio miſcetur. *Mareſus* & *Mariſus* ſeu *Maruſius* vulgo *Meriſch* trans Segedunum Tiſſæ miſcetur. *Titza* ſeu *Tiſſa*, *Tibiſcus* e ſeptentrione prolabens nonnihil ſupra Belegradum Danubio ſe jungit. *Tutes* & *Criſus* mihi incogniti, veroſimillime autem ad terras Transdanubianas ſpec-

Analect. Vindob. T. I. p. 526.

Ibid. ad An. 895. p. 527.

Annal. Francor. Illſfuld. ad h. a.

Apud Conſt. ad h. a.

Conſtant. Porphyr. c. 40.

Idem ibid.

ſpectant. E quibus jam eruitur Hungaros ante hanc expeditionem Bulgaricam terras quasdam ultra hos fluvios coluiſſe, ac hoc primum anno accidiſſe, ut cum eos a Patzinacitis vaſtatos deprehenderent, atque victi per Zuentibaldi regnum ſeu Magnam Moraviam tranſirent, iſthic ſedes delegerint, gratis an ingratiis filiorum Zuentibaldi? non reperio, quod definiam; cum tamen Epiſcopi Bajoariæ in ſua querela ad Joannem IX. ad annum 900. id inter cetera accuſationis capita referant: *Ipſi* (Moravi) *Ungarorum non modicam multitudinem ad ſe ſuſceperunt, & more eorum capita ſuorum pſeudo-Chriſtianorum penitus detenderunt, & ſuper nos Chriſtianos immiſerunt*, argumentatio haud vana capi poteſt: filios Zuentibaldi permiſiſſe, ut Hungari hoc anno inter dictos fluvios habitare occiperent, ſcilicet mixtim cum Slavis, reliquiisque veterum Hunnorum, atque ceterum pacifice colerent terram. Qua in re comperio adſtipulari ſententiæ meæ Thuroczium, ad quem procul dubio traditio integra incorruptaque pertigerit, dum ait: Ducem Moraviæ primum de Ungarorum adventu gaviſum, quod exiſtimaret eos venire tanquam ruſticos, qui terram ſuam colerent. Quare cum poſtea Hungari ex Italia rediere, leguntur prius laceſſiviſſe Arnulfum, quam Zuentibaldi filios, & regnum Moraviæ filiis Suatopluci jam inhabitantibus Ungaris usquequaque florens perſtitiſſe, eruitur ex eo, quod annis etiam quatuor poſterius Moymarus Moravorum Dux iſthic Metropoliticam ſedem & plures ſuffraganeatus erigere meditatus ſit. Quod autem jam aliqui etiam Hungarorum in ripa dextra Danubii transque hoc flumen anno hoc poſſeſſiones accepiſſe videantur, meritoque ſuſpicati ſupra fuerimus fluvios *Tutem* & *Criſum* a Porphyrogenito commemoratos ad hanc meridionalem plagam pertinere, argumentum ſumimus ex Annalibus Franconofuldenſibus, qui dicunt: *Stipantibus denique iiſdem in partibus inter ſe conflictibus* (nempe inter Bulgaros & Hungaros) *Imperator Pannoniam cum urbe Paludarum tuendam Brazlavoni duci ſuo in id tempus commendavit.* Quam urbem Paludarum paſſim pro Moſeburgo haberi, ſitamque fuiſſe trans Danubium conſtat, quo loco denique Brazlavonis iſtius poſſeſſiones fuere, ut vel hæ jam periculo direptionis eſſent expoſitæ.

Gievold. in addit. Hund. T. I. p. 31.

Thurocz. P. II. Chron. c. 3.

Annal. Fuld. ad h. a.

Adelzreiter Annal. Boj. P. 1. l. 12. p. 299.

Quod vero hæc regni Moravici per Hungaros invaſio occupatioque hoc anno acciderit, confirmat Porphyrogenitus his verbis: *Poſt hujus autem Sphendoploci mortem anno uno in pace exacto, orta deinde diſſidia & bello civili invadentes Turcæ* (id eſt Hungari) *funditus eos exſtirparunt, regionemque eorum occuparunt, quam in hodiernum diem usque incolunt.* Non qui-

Conſtant. Porphyr. c. 41.

quidem, ut dicamus Moravos jam hoc anno funditus ab Hungaris exstirpatos, aut universum Moraviæ regnum ab iis occupatum, sed quod annus hic principium malorum atque excidii fuerit, quo nempe filii Suatopluci inter se dissidentes bellum civile occeperunt, & quo, occupata regni parte, Ungaris via aperta est ad tam formidandum regnum evertendum. Porro quanquam de orto dissidio & bello civili hoc anno inter filios Suatopluci nihil habeamus enucleatum in scriptoribus, quodnam illud fuerit, & quam ob causam enatum, vix tamen dubium jam præsente anno scintillas quasdam utrinque obortas, quæ demum duobus annis posterius, ut narrant Annales Fancofuldenses, in publicas belli flammas erupere. Et profecto jam simultas quædam Moravos inter & Boemos anno superiore cepit, quæ hoc & sequente anno ad arma & vim spectabat, non enim solum anno lapso Boemi se Arnulfo sociarunt, sed impendente etiam auxilia contra Moravos postularunt. Quod dissidium inter gentem ejusdem ritus & linguæ merito a Constantino Porphyrogenito civile bellum appellari potuit. Hallucinantur igitur omnes, qui Regni Moravici invasionem, occupationemque jam hoc anno imo duobus retro ultra Nitriam urbem contigisse prætendunt, imo plane excidium Regni Moravici, quod nonnisi post Arnulfi mortem accidit, huic anno adscribunt.

Annal. Fuld. ad An. 898.

Idem ad An. 897.

II. Anno superiore Arnulphus a Formoso Papa in Italiam vocatus anno currente Romam, quam Ageltrudis vidua Widonis tenuerat, clausitque, cepit, ibidemque ab eodem summo Pontifice secundum morem Antecessorum suorum imperiali consecratione percepta CÆSAR & AUGUSTUS appellatus est. Ut copiose hæc narrant Annales Francofuldenses. Atque id ante diem quartum mensis Aprilis emortualem Formosi Papæ accidisse multis probat eruditissimus Pagius. Assemanus causam potissimam vocati ad coronam Arnulphi arguitatur, quod jam multo prius adversus Carolum Calvum Formosus partes Ludovici avi tuitus sit. At principio Pontificatus sui Formosum magis Widoni quam Arnulpho faviſſe, jam multo ante docuimus. Non diu autem post coronationem hanc superfuit Formosus, nam Continuator Francofuldensis memorat eum die Paschæ, qui eo anno in diem quartum Aprilis inciderat, obiisse. Mors hujus Pontificis nobis merito commemoranda, quod universim de gentis Slavicæ conversione plurimum meritus sit, nam quantum in perducendis ad Christum Bulgaris desudaverit, plenæ sunt historiæ Ecclesiasticæ. Liceat hic

Ad h. a.

Pagius ad h. a. n. IV. Assemanus. T. II. P. 1. c. 5. p. 223.

fragmentum carminis, quod de eo cecinit Frodoardus pervetustus historicus, & Poeta, apponere:

Bulgariæ genti fidei qui semina sparsit
Delubra destruxit, populum cœlestibus armis
Instruxit, tolerans discrimina plurima - -

Mabillon. sæc. III. in Append. Act. SS. Bened.

Et Auxilius apud eundem Mabillonium: *Is est profecto ille, qui in omni vita sua tantæ gravitatis forma exstitit, ut vinum non biberet, carnis gustum nesciret, fœmineæ copulæ expers, octogenarius virgineum suum corpus, hominem exuens, terræ commendaret. Iste etiam gentes Vulgarorum, vitam sanctitatis prædicatione confirmans, ut verus Apostolicus ad fidem adduxit.* Et quanquam documenta non suppetant, eum quidpiam ad Bohemorum conversionem, quæ sub illius Pontificatu contigit, contulisse, attamen notitia illa, quam cum Suatopluco Moraviæ Duce aliisque Slavicis vicinis populis contraxit, haud dubitare licet, ejus sollicitudinem hoc in negotio quoque fuisse intentissimam.

Libro super causa & negotio Formosi. P.

ANNUS 897.

Borzivoji itaque exauctorationem permagna animorum scissio consecuta est. Quorundam enim lamenta erant: Boemam gentem ab hominum memoria nunquam tamdiu sen Principe, seu Judice fuisse orbatam, querebantur Czechos errare instar apium regulo suo nudatarum, præsagiebantque animo hunc afflictum reipublicæ statum haud longiorem ætatem laturum, quin festinanter omnem longe lateque regionem in summum discrimen deturbet. Omnium igitur una mens una sententia erat, concilium in castro Wissehrad cogendum, ibidemque singulorum judicia de novo eligendo Principe (a) esse exploranda. Et erat isthic ut geniorum, ita sententiarum mira scissio. Nec tamen eos oblivio Borzivoji cepit, quanquam Christo nomen

Comitia de novo eligendo Duce.

men dediſſe ignoſceretur; ejus enim beneficus manſuetusque animus memoriam exagitabat, ut plurimi ejus virtutes prædicarent. Sed nec defuere etiam Borzivojo hoſtes, in quorum gratia aucupanda, inflectendaque voluntate Slavibo-rus (b) cum factione ſua nullum non movit lapidem, cujus id unum ſtudium erat, generum ab exilio vindicandi. Poſt multas variasque diſceptationes magno animorum certamine itum eſt in ſententiam: ut poſtera luce patentibus campis congreſſus fiat, mutuoque alloquio poſitis odiis populo detur Princeps communibus ſuffragiis. At vero partes illæ populi, quæ Borzivoji dominationem faſtidiebant, collatis capitibus clanculum conjuravere: ferro interimendos eos eſſe omnes iisdem in campis, qui pro Borzivoji reditu ſuffragia daturi eſſent. Atque ut ſcelus lateret, felicemque nanciſceretur exitum, conventum eſt: occultis ſub pallio lo-ricis enſibusque rite inſtructi ut adeſſent ſinguli, id etiam pro ſigno datum impetus, ut cum factionis caput Hromilus exclamaret: Variemus nos, Variemus. (c) Præter moram omnes ſtrictis enſibus in adverſam partem irruerent, præterque veniam neci darent. Hæc quantumvis clam, ſummoque ſilentio agerentur, non latuere tamen Borzivoji fautores & amicos: igitur & illi majori armorum apparatu togis palliisque tecto comparuere, ad excipiendos dandosque ictus rite accincti. Jam inalbeſcente die partium ſtudia pervicacius in campo, quam pridie in comitio inter ſe diſſident, nec ultra probris contumeliisque parcitur, cum Hromilus, vires creſcere parti adverſæ videns, ſignum invadendi dat altum

Prælium inter comitia.

finis inclamans: Variemus nos, variemus. Hæc dicentem, explicandoque ex toga ferro occupatum adortus nonnemo ex Borzivoji factione homo haud ignavus. „ Jam ego fa- „ ciam, inquit, Hromile! ut sanguine tuo varius fis; „ hominemque e vestigio obtruncat. Tum vero Borzivojani ingenti clamore mucrones stringunt, confertique impetum faciunt in adversarios novitate tam insperati eventus attonitos. Cæduntur resistentes, in silvas alii, alii Pragam præcipiti fuga aguntur, (*d*) ceteri armis traditis in revocationem Borzivoji jurant.

Vincit factio Borzivoji.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXCVII.
ROMANI PAPÆ 1. ARNULPHI IMPER. 2.
SPITIGNÆI 3. TUTONIS *Epis. Rat.* 4.

(*a*) Nihil Christannus de Wissehrado, sed statim ad campos deliberandi causa progressos docet. Sic enim scribit: *Verum quoniam pars quam maxima perfidorum tyranno* (Ztroymiro) *favebat, ineunt consilium partibus ex utrisque, quo civitatem Metropolim Pragam scilicet egredientes in campo, quid sibi gerendum foret, perquirerent.* Scilicet more pene omnibus Slavis usitato, electio & inauguratio Ducum nonnisi in campis fiebat.

(*b*) Borzivogianæ factionis passim Slavibor benigna quadam interpretatione asseritur, quod constet generum fuisse; at Christannus cum aliis veteribus documentis hoc indicio caret.

(*c*) Hæc tesseræ seditiosæ verba desumta sunt ex Christanno, qui ait: unus eorum vocem in altum elevans proclamat: *Eja nostri variemus nos!* nomen autem Hromili debemus Hagecio, qui primus id protulit.

(*d*) Hæc pene omnia ex Christanno hausta, qui breviter rem narrat: *Qua voce* (Variemus nos) *hausta & cognita pars Borzivoji, quæ lori-*

cata

cata sub tunicis advenerat, bene, inquit, bene dixisti! ecce nunc diversis coloribus apparebis variatus. Sicque ferro obtruncato cunctos ejus socios fugam inire coegerunt, eorumque falsum Principem patria pepulerunt.

PRÆTERMISSA.

I. Quanquam Boemi a Moravorum societate descivérint, imo domestica seditio, ut mox videbitur, inter hanc utramque gentem enata sit, attamen hactenus filii Suatopluci non modo sua viriliter contra Arnulphum Hungarosque tuli sunt, sed etiam supercilium adversus Francos attollere imperioseque agere visi. Nam legatos ad Arnulphum misisse leguntur, ut ne exules seu transfugæ eorum reciperentur. Quæ Continuator Annalium Francofuldensium hac oratione complectitur: *Cæsar* (Arnulphus) *vero cum curte regia Otingæ Natalem Domini celebraret, advenientibus ibidem ad eum Maravorum missis, qui pro pace custodienda, ne exules eorum profugi reciperentur, ab Imperatore flagitant, quos Rex, ut audivit, absolvit, & sine mora abire jussit.* Annal. Fuld. ad h. a. Quæ posteriora verba haud dubie indigitant legationem hanc cum stomacho fuisse acceptam ab Arnulpho, qui ut mox videbitur jam partibus Boemorum favebat. Nam subjungunt iidem Annales: *His ita expeditis contigit, ut gentis Bebemiturum Duces ad Imperatorem Arnulfum, qui tunc temporis civitate Radaspona moratus est, advenerunt, offerentes ei munera regia, & sua suorumque fidelium suffragia contra eorum inimicos Marahabitas scilicet postulantes, a quibus sæpe, ut ipsi testificati sunt, durissime comprimebantur. Quos ergo Duces Rex Imperator gratanter suscipiens, verbaque consolationis ex pectoribus abundantius inseruit, & lætabundos donoque honoratos patriam in suam abire permisit, totumque illius anni tempus autumnale finitimis in locis Aquilonuribus Danubii, Ymbrisque* (id est Rhegini) *fluminis se se sustentavit. Hæc etiam in ratione: si supradicta genti necessitas auxilii sui imminerat, paratus cum suis fidelibus existeret.* Ibid. ad h. a. Brevissime rem absolvit Hermannus Contractus: *Bohemanni contra Marahenses ab Arnolfo Imperatore auxilium petunt.* Hem! ex superioris anni simultate Bohemos inter & Moravos jam hoc anno belli flammas erupisse, adeo ut cum Boemi omni potentia filiorum Suatopluci, qui vastissimum regnum tenebant, premerentur, Arnulphi auxilium implorare cogerentur. Scilicet procul dubio Moymarus jura, quæ pater Suatoplucus in Bohemiam acquisivisse visus, manutenere, sibique hereditaria vindicare conatus, quibus acerrime obstitere Bohemi merito metuentes, ne libertate sua amissa perpetuo obnoxii fiant Regno Moravico. Ex iisdem præ-

co-

terea Annalibus teſtatum habemus: eos Bajoariæ Comitatus, qui inter Regini fontes & oſtia ſita fuere, rurſum Arnulpho paruiſſe, cum in his Aquilonaribus partibus per integrum autumnum verſatus, Moravorum motus aucupatus ſit. Comparent denique rurſum annua Boemorum munera, quæ Boemi alias Romanis Imperatoribus deferre ſoliti; niſi dicere malimus ideo hoc anno oblata, ut iis noviter coronatum Romanorum Imperatorem venerarentur. Nam & Sorabi idem feciſſe hoc anno leguntur: *Quo peracto* (generali conventu in Triburia) *ad curtem, quæ dicitur Salz, pervenit; advenientibus ibi ad eum cum muneribus Soraborum miſſis, quos, ut audivit, abſolvit & abire permiſit.* Nihil vero Annales Francofuldenſes memorant de querelis Soraborum contra Moravos, quas hac legatione fuiſſe depoſitas minus recte narrat Adelzreiter.

Ibid. ad h. a.

Adelzreiter Annal. Boj. P. I. l. 12. p. 300.

ANNUS 898.

Menſe Martio rurſum indicta in caſtro Wiſſehrad comitia, quibus tandem decretum: mittendam eſſe Welehradum legationem, quæ exulem Borzivojum in avitas ſedes reducat. Ille vero rerum inſcius, quæ in Bohemia agerentur, legatisque adhuc in itinere conſtitutis, ſuſceptis pro reditu votis Deo ſe coram Epiſcopo & Rege palam obſtrinxit: daturum operam, ut e legibus Chriſtianis religioſiſſime vivat, honorique Divæ Mariæ Virginis ædem condat, ſi rebus integris incolumi ſibi receptus in Boemiam datus fuerit. Non poterat non igitur animus piiſſimi Principis admiratione percelli, cum paulo poſt emiſſum hoc votum accedentes ad ſe Boemos videret, legationisque capita audiret. Nec mora, vocem hanc monentis Dei ratus, itineri ſe ſe accingit inter gratiſſimi animi ſignificationes. Una porro ejus ad Suatoplucum erat inſtans humi-

Borzivojus revocatur.

lia-

lisque postulatio, ut Episcopum comitem adjungeret, (a) cujus opera conjux sua Christianæ doctrinæ præceptis institueretur, ipsoque salvifico baptismi fonte tingeretur. Cui petitioni cum præter moram Suatoplucus lubens volensque subscriberet, confestim iter Wissehradium susceptum est, ubi summa celebritate populi, majore etiam lætitia uxoris suæ Ludmillæ exceptus. (b) Tertio die transiit ad principale prædium suum, quod voluptatis ergo intra muros Pragenses olim Dux Krzezomyslus sibi successoribusque in occidentem solem condi fecerat. (c) Ante prædii istius (quod nonnulli lætam, alii septam curiam seu sepimentum, quod lignea prealta sepe cinctum esset, vocabant) majorem januam Borzivojus damnatus voti ædem Divæ Mariæ, Almæ filii Dei Matris in cœlos assumtæ honori moliri cœpit. (d) *Ecclesiam in Teyn condit.* Interea Ludmilla variis iisque miris agitabatur insomniis: visa sibi nempe audire præcipientem vocem, ut caput sacris submittat undis, magnis idcirco a Christo cumulandam beneficiis, quod stimulo erat, ut quanta quanta ad percipiendum hoc divinum mysterium æstuaret. (e) Borzivojus postea crescentem fabricam templi uni suorum procerum committens, ut saluti conjugis liberorumque quantocyus consultum iret, accepto una Episcopo Bissovium, id est Melnicium profectus est. Hic Ludmilla spiritu divino acta procidit ad genua Episcopi, baptismo lavari flagitans. Nec mora voti compos facta est (f) cum filiis Spitihniewo & Wratislao multisque aliis. (g) *Ludmilla baptizatur cum filiis.* Incredibilis vero tum pietas erat Bohemis neophytis, quibus inter cetera divini ve-

ritate verbi nihil ſuavius pretioſiusque videbatur. Certatim currebatur ad comprehendendas latinas literas (b) Budecium gymnaſium nobile Chriſtianæ juventutis, (i) & literatorum, Clericorumque numerus his initiis non præter admirationem quotidie majus incrementum capiebat.

Budecii gymnaſium latinitatis.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXCVIII.

JOANNIS IX. PAPÆ 1. ARNULPHI IMP. 3. SPITIGNÆI 4. TUTONIS *Ep. Rat.* 5.

(a) Is Epiſcopus, ut ſequentibus annis videbitur, perpetuo fuit Hagecio *Cyrillus*. Quam perperam autem, alibi crebro monuimus. Imo veteres omnes altum ſilent poſt revocatum Borzivojum in Ducatum vel ipſum S. Methudium comitem viæ in Boemiam datum. Quam præterea Hagecius Chronologiam pro libidine tractaverit, patet hic ex memoria Suatopluci, quem annis abhinc quatuor jam fatis ceſſiſſe, nemo dubitabit.

(b) Chriſtanni pauca verba ſunt: *Moraviam deinde properantes priſtinum Ducem reducentes loco proprio reſtituunt.*

(c) De hujus prædii ſtructura egimus jam Parte II. ad annum 836. p. 528.

(d) Ad hunc locum noſter P. Victorinus: „ Primum illud Pragenſe templum, ſeu verius, quod plerique alii ſcriptores aſſerunt, ſacellum Teynenſi templo adſitum, hodie ſupereſt, illudque ipſum eſſe creditur, quod conditorio rerum Eccleſiæ adnexum eſt. Illam vero Baſilicam Teynenſem, quam hodie conſpicimus, opulenti ex imperio mercatores Germanicis potiſſimum impenſis (prout memorabitur ad an. 1407.) magnifice erexerunt, fundatis ad eam dotatisque 27. ſacellanis, duobusque verbi divini præconibus; qui Germanico juxta & Bohemico idiomate legem Dei populo expficarent. Plura de his Prodromus Pragenſis Gloriæ c. 5. „ Hactenus noſter P. Victorinus. Chriſtanni

Gregor. 23. Mart. & 15. Aug.

fine

sine omni Chronologia, locique designatione loquentis verba sunt: *Quoniam vero isdem Princeps* (Borzivogius) *Moraviæ degens omnipotenti Deo votum voverat, videlicet: quodsi cum dominus ad propria cum honore reduceret, Basilicam in honore Beatæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ adificaret, reversus sine mora votum suum implere studuit in ipsa civitate Pragensi.* Ubi nullum indicium facit, ubinam Pragæ hæc condita fuerit Ecclesia. Primum autem Dalemilum reperio, qui locum nonnihil dilucidat: *Dalemil. hist. Boleslav. c. 23.*

Swate Marzie na Praze
S welkych wrat y hned na draze.

(e) Horum nulla vetus vita S. Ludmillæ, quarum quinque, imo sex in manibus habeo, meminit.

(f) Christannus noster nec de loco, ubi nempe, nec a quo baptizata sit, mentionem facit. Vita vero S. Ludmillæ Bibliothecæ Clementinæ baptizatam ait a S. Methudio, sed ante Borzivogii exilium, sic enim habet: *Veniens vero in brevi tempore* (scilicet post constructum S. Clementis sacellum in Gradez) *præfatus Methudius Bohemiam, sanctam Ludmillam baptizavit cum multis.* Quacum etiam facit Pulkava. Contra vita SS. Cyrilli & Methudii ex MS. Blasburano ab Henschenio vulgata baptizatam ait a presbyteris, quos secum assumsit Borzivogius ex Moravia. Ibi enim: *Sacerdotibus secum receptis* (Borzivogius) *Boemiam revertitur, & uxorem suam S. Ludmillam cum multitudine gentis Boemicæ curavit baptizari.* Pessina, nescio, quo fonte hos sacerdotes de nomine refert: *Joannem, Paulum, Letomilum, Gaxardum, Hostivedum, Prostivojum*, cum solum *Kaych* in veteribus proditum habeamus, a quo quidem etiam Ludmillam aquis baptismalibus tinctam fuisse scribit Marignola sæculi XIV. historicus, a nobis hoc ipso adhuc anno inter Monumenta nostra inedita publicandus. *Pulkavæ Mss. Acta SS. ad 9. Martii n. 14. Pessina Rad. 3. p. 165. Marignolæ Ms.*

(g) De baptizatis hoc tempore Borzivoji filiis nec aliqua vita vetustior S. Ludmillæ, nec aliud ex antiquitate documentum mentionem facit, quod vero id posteriores passim narrent, haud alia causa est, quam quod illi Spitigneum & Wratislaum sub Borzivogii baptismum pueros tenera ætate, qui ex parentum nutu penderent, fuisse crediderint. At ex dictis ad annum 895. certum est eos tum jam satis adultam ætatem habuisse, cum in placito Imperatoris Ratisbonæ com-

Mſ. Bibl. Metrop.

parverint. Fidem igitur potius Authori vitæ S. Wenceslai, qui Ottonis II. Imperatoris juſſu eam ſcripſit, tribuere malim, qui multo poſt, nempe ſub Henrico Aucupe primum, Spitigneum baptizatum ſcribit. Verba illius ſunt: *Regnante felicis memoriæ præclariſſimo Rege Henrico quidam gentis illius progenie clarior ac potentia in cives eminentior Spitigneus nomine principatus regimen ſub Regis dominatu impendens divini cultus dulci voto a tactus ſacri fontis myſterio regenerari non parum anhelans baptiſmo mundatur.* Idem prorſus narrat alter vitæ ejusdem ſcriptor in pervetuſto membranaceo Codice Bibliothecæ Metropolitanæ. Nec abludit ab his Sigebertus Gemblacenſis, qui ſub hoc ipſo Henrici Aucupis imperio refert: *Zpitnæus Dux Boemiæ ad Chriſti fidem converſus juſte & religioſe in Boemia principatur.* Nempe ſuperiorum ſæculorum ſcriptoribus noſtris, non tam ex authoritate veterum quam conjecturis ſcribere collibuit: ſic Dubravius novum filium Borzivogio nomine Boleslaum apponit ab eodem S. Cyrillo, ut Hagecius ſentit, baptizatum. Sic Paulo Puczalka placuit ad Hagecii Spitignæum & Wratislaum etiam adjicere, neſcio, quam Ludomiram filiam, Slaviborum S. Ludmillæ patrem, Lidoslavam matrem, Hauſek fratrem aliosque de proceribus, cujus conjecturæ poſten nactus ſectatorem Stredovskium,

Sigebert. ad An. 921.

Dubrav. l 4. Pnczalka in Navi Eccleſ. ad An. 876.

Stredovsky l 3, c 1.

Dubrav. l. 4.

(*b*) Minus recte cum Dubravio ſenſit Hagecius, dum S. Cyrillo ejusque temporibus latinarum literarum perceptionem inter Bohemos adſcribit. Vidimus ſupra, quosnam ille cum fratre Methudio characteres invenerit, docueritque, & quantum ob id odium ambo apud latinos presbyteros incurrerint, ut etiam Romæ apud ſummum Pontificem accuſarentur. Et quanquam dubitare non liceat S. Cyrillum & Methudium, ut veterum authoritas perhibet, gnaros fuiſſe latinæ linguæ, tamen obſtinatio quædam inter Slavicos populos patrio idiomati omnia deferentes eo perpulit hos ſanctos Apoſtolos, ut vel inviti ipſos ritus Eccleſiæ hoc ſermone peragere cogerentur. Sic enim S. Cyrillus ob id accuſatus Romæ ſe purgat coram purpuratis Patribus: *Si enim quiviſſem ullo modo ſubvenire populo illi, ut ceteris nationibus lingua latina vel græca, omni modo id non præſumpſiſſem; ſed cernens populum duræ cervicis fore, & omnino idiotas, & ignaros viarum Dei, ſolum hoc ingenium omnipotente cordi meo inſpirante comperi, per quod etiam multos illi acquiſivi.* Scilicet ut hodie etiam vulgus noſtrum ſermonis ſui eſt tenaciſſimum, peregrinasque linguas faſtidit, ita comparata olim erat vetus Czechia, ut, poſtquam præſertim indultu ſummorum Pontificum ſermonis Sla-

Chriſtanus. in Vita SS. Ludmill. & Vene. & Vita SS. Cyrilli & Methudii ad 9. Martii.

vici

vici usus in sacris permissus fuit, pro patrio idiomate tanquam pro soeis & aris decertaverit. Scripsit ea de re peculiarem dissertationem doctissimus Balbinus noster nunquam antea editam, qua ante oculos ponit omnes seditiones bellaque, quæ per sæcula hujus causa exorta sunt. Si igitur a S. Methudio (nam S. Cyrillum nunquam venisse ad Boemiam certum est) apud nos apertæ scholæ, literæque traditæ, haud aliæ fuere quam Slavicæ, quæ pleno jure regnabant usque ad erectionem Episcopatus Pragensis, ut alibi præmonuimus. Quanquam dubium non sit Slavicas scholas etiam posterius hinc atque illinc magno in usu fuisse. Nam tradit antiquissima vita S. Procopii ordiente adhuc sæculo XI. Wissehradi *famosum studium linguæ Slavonicæ viguisse, ubi S. Procopius sub Magistro Theologiæ cottidie egregios carpebat fructus.* Imo S. Procopium hunc Slavicum ritum in conditum a se cœnobium Sazaviense induxisse, conservatumque fuisse usque ad Vitum Abbatem, docet Monachus Sazaviensis. At vero quales illi characteres fuerint, quos S. Methudius in Boemiam invexit, nuspiam proditum, nam documentum nullum seu a præsente seu sequente sæculo hactenus in lucem protractum. Stranskius quidem Ruthenicos characteres fuisse asseverat, sic enim ille: *In hac de excolendo patrio sermone diligentia plusquam multa fuit inter Bojemos veteres literarum negligentia, & qui aliquantulum in iis ponebant operæ, alios quam Ruthenos characteres ignorabant.* Stranskium sequitur Balbinus, qui ait in vetustis quibusdam Bibliothecis libros ejusmodi scripturæ genere exaratos reperiri, sed optandum est, ut loca hæc Balbinus indicasset. Nos jam Parte II. ad an. 717. monuimus duplex superesse Alphabetum Slavicum: alterum Bubuizam & Bukvizam seu Hieronymianum, alterum Kiurilizam seu Cyrillianum appellatum, quod utrumque cum characteribus tam Russorum, quam Serviorum, quam Dalmatarum Anselmus Pandurius in notis ad Constantinum Porphyrogenitum in publicum emisit. Protulit ea etiam Valvasor in Carniolia sua, ex quo tabulas suas adornavit Stredovskius, quæ cum item Bohorizius in Horis suis succisivis proferat, alibique sæpe excusa sint, supervacaneum censuimus ea recusa hic apponere.

Vita S. Procop. Ms.

Emendationes Cosmæ ex Cod. Dresdensi apud Monken. T III Stransky Reipubl. Boj. c. 4. §. 2.

Balbin. Epit. l. 1. c. 10. p. 77.

(i) De Budecii erectis scholis ethnicis jam egimus P. II. ad an. 678. ubi innuimus, si quæ tamen hic scholæ sub id tempus excitatæ fuere, haud absimiles fuisse a Gallorum Druidarum, adeo ut sine literis artes quæque ac cumprimis magia naturalis doceretur, edisceretur-que. Jam vero cum Hagecio posteriores omnes sub S. Methudii

tempora isthic ab eo scholas apertas scribunt: quæ tamen haud aliis fundamento asserta suspicor, quam quod Christannus isthic S. Wenceslaum literis eruditum fuisse tradat, adeo ut incertum adhuc sit, an jam a Borzivogio, an Spitigneo, aut Wratislao hæ scholæ Budecii apertæ sint. Stredovskius plane, nescio, quem *Nicetum* Budecensis Academiæ Doctorem hac ætate floruisse contendit. Sed quam confidenter præterea de hujus gymnasii & Pragensis celebritate commentetur audire libet: *Huic Budecensi Academiæ & Pragensi Gymnasio Methudius Doctores Professoresque bonarum artium e Græcia plane evocatos præfecit. Erat in scholis hic spectaculum subinde longe pulcherrimum videre, quando principia eruditionis humanæ memorabili modestia sacerdotes tenera ætati instillabant. At ipse Archiepiscopus, horum nimirum antesignanus virga doctorali vel cantum dirigeret in templis, vel pensa exigeret a discipulis in scholis.*

Stredovsky l. 2. c. 2. p. 92.

PRÆTERMISSA.

I. Tandem privata illa odia inter Svatopluci filios in cruentissimum bellum erupere, quæ ad hunc annum narrant Annales Fuldenses his verbis: *Postea vero anno Incarnationis Domini DCCCXCVIII. inter duos fratres gentis Marahensium Moymirum videlicet ac Zuentebolchum, eorumque populum dissensio atque discordia gravissima exorta est, ita etiam, ut si uterque alterum suis viribus insequi, atque comprehendere valeret, capitalem subiret sententiam. Tunc vero Rex Imperator ita sciens Marchiones suos Luitboldum scilicet & Arbonem Comitem una cum ceteris fidelibus suis parti* (nempe Zuentebolchi, ut ex sequentis anni historia patebit) *quæ ad se fugam ac confugium habuit, auxilium ad earum liberationem protectionemque Bavarios suos primates transmisit, at illi more* (sed verosimillime legendum: *in ore*) *gladii, ignaqua, prout poterant, inimicos suos humiliaverunt, & devastando necaverunt.* Recte autem Annalista scribit: *Prout poterant.* Nam flammam hanc nequaquam inter fratres sopitam fuisse docent iidem Annales, dum hieme rursum expeditionem contra Moymirum missam fatentur. *Iterum autem expeditione ordinata tempore hiemali Bavarorum Principes eum suis fines Marahabitarum fortiter atque hostiliter invaserunt, & manu valida loca illorum desertantes prædamque colligentes, domumque revertentes, habentes ea - - -* Ubi truncatus textus est in omnibus hactenus prostantibus editionibus Annalium Francofuldensium. Utramque hanc expeditionem brevibus complectitur Hermannus Contractus: *Discordia inter fratres Zuentebaldum & Mormarum Marahenses Duces facta. Luitpaldus Marchio*

Annal. Fuld. ad h. a.

Ibid.

chis cum aliis Marahenses impium rebelles vastat. Item: *Bajoarii fines Marahensium hyeme vastant.* Sed neque hac posteriore expeditione pax inter fratres conciliata: nam anno sequente Zuentobolchum a Moymiro fratre carceri mancipatum, liberatumque a Bajoariis legemus, ut ita discordia inter fratres hac Arnulphi interpositione magis magisque aucta fuerit, cujus tamen nec in Moravicis nec nostris veterioribus scriptoribus ullam mentionem deprehendimus. Toties vero laudatus Annalista Francofuldensis etiam nobis inflammatores hujus inter fratres enati odii prodit: *Istius*, inquit, *ergo dissensionis & disruptæ pacis inter supra nominatos fratres Arbo Comes, & Jharico* (Isanrico) *filio suo instigante instructor, delatorque, atque proditor esse convincitur, & ob hanc causam præfectura sua ad tempus caruit, quam non multo post accepit.* Est vero idem Arbo Comes, cujus causa pater Zuentibaldus cum Carolo & Arnulpho jam multo prius bellum gessit. Isanricus filius quasdam terras cisdanubianas ad Mutaram hodie Mautern tenuit, ut ex anno sequente patebit. Quod autem, & in quo genere dissidium illud fuerit, quod inter fratres Moraviæ Duces hi duo sufflaminarunt, quis vel conjectura assequatur? Id ex rebus postea narrandis proditur: Isanricum Moymiri senioris partes fuisse sectatum, quare anno proximo obsessus ab Arnulpho; cui cum fuga elapsus esset, inque Moravia apud Moymirum præsidium quæsivisset, ab eo non modo in terras suas restitutus est, sed ea etiam Pannoniæ superioris pars a Regno Bajoariæ avulsa posthac Isantici Præfecturæ, Moymiri vero dominatui cessit. Non recte igitur, mea quidem sententia, scripsit Adelzreiter: ideo hoc anno impune in Moravia grassatum Boicum exercitum, quod ei par non esset Moymirus, munimentisque clausus sui copiam facere non auderet. Nam ostendit is paulo post nec animum nec arma sibi deesse. Verosimillime autem distractæ fuere Moymiri copiæ in terminis inferioris Pannoniæ ob Hungarorum metum, qui jam hoc anno transmisso Danubio per Bulgarorum Græcorumque terras hodiernam scilicet Sclavoniam, Bosniam, Dalmatiam, Croatiam & Morlachiam longe lateque vagati sunt Italiam meditantes.

Ibid.

Adelzreiter Annal. Boj. P. 1. l. 12. p. 300.

II. Anno præsente jam Wichingum, Moraviæ paulo ante Nitriensemque Episcopum, præsedisse Ecclesiæ Pataviensi luculenter ostendunt Gevoldus, Pezius, & Hansizius ex prolato Arnulphi diplomate, quod datum est: *Quinto Idus Septembris Anno Inc. Dom. DCCCXCVIII. Indict. I. anno XI. Regis Arnolfi, Imperii autem ejus III. Actum Reganisburgk*

Re-

Regio Palatio. Et quo Arnulphus sedis Pataviensis Episcopo Wichioni possessiones omnes atque immunitates, quæ quondam huic Ecclesiæ per Ottilonem ejusque filium Tassilonem Duces, dein per Carolum & Ludovicum Imp. datæ sunt, novo decreto confirmat. Continuator quidem Annalium Francofuldensium Wichini in sedem Pataviensem promotionem primum refert post narrata anni 899. At isthic author uno quasi spiritu & contextu tam illius in sedem Pataviensem evectionem, quam exauctorationem Richardique substitutionem narrat. Ita ut exauctoratio quidem ad annum sequentem recte pertineat, promotio vero anno præsenti illiganda sit. Quibus respondent ea, quæ Hansizius & Assemanus de Engilmari Episcopi Patavinsis, qui Præcessor erat Wichingi, morte statuunt. Nam eum anni 897. die postremo id est pridie Kalendas Januarii fatis cessisse scribunt. Verba autem Continuatoris Annalium Francofuldensium hæc sunt: *Engilmarus Patavinsis Episcopus obiit, in cujus locum Wichingus quidam Alamannus contra institutum patrum prius Marahunensis ab Apostolico* (nempe Joanne VIII.) *destinatus Episcopus Rege concedente successit.* Hansizius scribit ejus industriam Ecclesiæ Patavinsi permagni fuisse propter Arnulphi gratiam, at tanto magis offensum sibi habuerat Theodmarum Archiepiscopum Salisburgensem, tum quod contra Cleri Patavinsis suffragium ab Arnulpho intrusus esset, tum fortassis etiam propter vetus odium, quod adhuc in Moravia degens Metropolim in Sclavia erigere meditatus sit. Ceterum quod ad anni hujus historiam adhuc pertinere videtur non omittendum: Arnulphi Imperialem unctionem hoc anno rescissam fuisse a Joanne IX. Papa. Decretum enim sextum Concilii Romæ celebrati ita habet: *Unctionem sacri chrismatis in spiritualem filium nostrum, dominum videlicet Lambertum excellentissimum Imperatorem etiam, perpetua stabilitate dignitatibus decoratam, firmam & in æternum stabilitam esse, sancto suffragante spiritu decernimus. Illam vero barbaricam, quæ per surreptionem exorta est, omnimode abdicamus.* Per quæ ultima verba nonnisi unctionem Imperialem Arnulphi a Formoso Papa peractam intelligi posse, jam passim cum Sigonio & Rubeo sentiunt Critici.

Hansiz. ibid. p. 167. Assemanus T. III. c. 3. p. 162.

Ibid. p. 169.

Sigon. de Regno Ital. l. 6 Rubeus Hist. l. 5.

AN-

ANNUS 899.

Borzivogius sive cœlesti viso, seu jussu (quod illico Episcopo manifestare non distulerat) ædiculam sanctis Apostolis Petro & Paulo super quodam colle Pragam inter & Wissehradum hoc anno condi præcepit; locus postea vulgo in Zderas dictus. (a) Alterum sacellum jussit in Wissehrad erigi, quod honori S. Clementis dicatum est. (b) Nam idem Episcopus clam ex Moravia secum attulerat, atque hic loci deposuerat corpus S. Clementis Papæ & Martyris, quod non præter miraculum in medio maris repertum ante secum in Moraviam transuexerat. (c)

Sacellum in Zderas condi-tur.

Alterum in Wissehrad.

Idem quoque annus rei frumentariæ ubertate felicissimus omnia ea, quæ ad victum hominum pecorumque pabula faciebant, largissime profundebat, (d) adeo ut insolens ea fertilitas Tyronibus Christianæ religionis miraculo esset, tantamque omnis generis annonæ vim nonnisi nuper susceptis Christianis sacris in acceptis referrent. Fuit ea soli fertilitas non paucis stimulo, ut, cum hæc præmia cœlis missa esse crederent ob damnatos idolorum cultus, nomen suum Christianorum catalogo inseri gauderent. Verum angustis adhuc hic salvificæ fidei zelus claudebatur finibus, non enim mœnia urbis Pragenæ superabat. Namque in ceteris Bohemiæ provinciis ethnicus cultus cum deploranda contumacia regnabat. (e)

Ubertas omnis generis annonæ.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCXCIX.

JOANNIS IX. PAPÆ 2. ARNULPHI IMP. 2.

SPITIGNÆI 5. TUTONIS *Ep. Rat.* 6.

Mſ. P. Victorini ad h. a.

(*a*) Hunc montem primitus Hauska dictum fuiſſe ſcribit P. Victorinus noſter ex aliorum mente. At pervenere in manus meas veruſta documenta jam multo ante fundatos iſthic Canonicos S. ſepulchri hunc collem Zderas fuiſſe appellatum, fundatorem vero prorſus alium produnt diplomata a me ex hujus Inclytæ Canoniæ Archivo deſcripta, ut Zderaſius ille Hagecianus vix quidem locum in hiſtoria noſtra ſibi vendicare poſſit.

Hagecius ad An. 1090.

(*b*) Hæc veroſimillime Hagecius nonniſi ex conjectura aliqua ex Chriſtanno noſtro deſumta ſcripſit. Nam is Borzivogium hoc elogio donat: *Hic primus fundator locorum Sanctorum.* Præter Eccleſiam autem B. V. Mariæ Pragæ erectam Chriſtannus nullam aliam de nomine refert a Borzivogio fuiſſe conditam.

(*c*) Id jam anno 867. adeoque tribus & viginti annis citius, quam Borzivogius ad Chriſtum fuiſſet converſus, Romam fuiſſe delatum ad eum annum oſtendimus. Hujus quidem erroris author eſt Pulkava, quem magis intricavit Hagecius, cum S. Methudio S. Cyrillum ſubſtituit. Verba vero Pulkavæ, quem etiam exſcripſit Anonymus apud Menkenium, ſunt: *Et demum cum de Moravia recederet* (S. Methudius) *ivit Boemiam corpus S. Clementis ſecum portans: quod quidem S. corpus in caſtro Wiſſegraden in Eccleſia B. Clementis per triennium conſecravit.* Sed veroſimillime, ſi ex traditione aut veteribus chartis hæc depromſit Pulkava, non de corpore ipſo, ſed quibusdam ſacris reliquiis Divi Clementis accipienda ſunt, & procul dubio de mandibula cum tribus dentibus, quam ad ſua tempora inter reliquias Eccleſiæ Metropolitanæ Pragenſis aſſervatam fuiſſe ſuo adhuc tempore ſcribit Peſſina. Hanc ſeu ipſe S. Methudius attulerit, ſeu ab ipſo dono oblata fuerit Duci Boemiæ Borzivogio. Nam Chriſtannus muneribus donatum Borzivogium a S. Methudio ſcribit, quod utique haud de aliis muneribus quam ſacris & reliquiarum accipi poteſt. Sic vero ait de S. Methudio: *Sa-*

Pulkava Mſ. Menken. T. III. p. 1632.

Peſſina Phoſph. ſept. Rad. 4. p. 122.

cro-

vrosancto baptismatis fonte innovavit, pleniterque eum (Borzivogium) *de fide Christi instruens multis locupletatum donis ad propria redire concessit.* Porro nec ipsum S. Cyrillum totum corpus S. Clementis ex Chersoneso secum advexisse ostendit Henschenius. *Acta SS. ad 9. Martii Comment. prav. §. 17.*

(*d*) Ea fertilitas si vetusto documento nititur, jucundissima vicinis Bajoariis acciderit, nam priore anno famem isthic grassatam fuisse scribit Continuator Annalium Francofuldensium: *Fames valida per universum regionem Bajovariorum incubuit, ita ut multi inedia consumerentur.* *Annal. Fuld. ad An. 897.*

(*e*) Ea quidem rectissime ex mente Christanni aliorumque veterum scripsit Hagecius. Nam prior de Borzivogii temporibus loquens: *Tantillæ* (inquit) *quæ tunc fuit religionis institutor exstitit.* Nec enim aliam ob rationem exteris tectum mansit seu Borzivogium sacro baptismo ablutum, seu Boemiam jam tum ad Christum fuisse conversam, quam quod ob paganorum metum omnia fierent pene summo silentio, & initia Christianitatis isthic essent admodum parva.

PRÆTERMISSA.

I. Ferventibus hoc anno continenter inter fratres Moymirum & Zuentibaldum odiis superior tandem evasit Moymirus frater senior. Rem ex ipso fonte Annalium Francofuldensium haurire libet: *Denique non post multum temporis Bavarii terminos Maraborum confidenter iterato intrantes, & quæcunque poterant diripiendo populati sunt, & Zuentobolchum puerum filium Ducis Zuentobolchi* (nempe defuncti) *suumque populum de ergastulo civitatis, in quo inclusi morabantur, eripuerunt, ipsamque civitatem igni succenderunt, atque in fines patriæ suæ pro misericordia secum abduxerunt.* *Annal. Fuld. ad h. a.* Compendio rursum narrationem hanc absolvit Hermannus Contractus: *Bajoarii Marahensium terram vastant.* *Herm. Contr. apud Canis. ad h. a.* Aventinus Zuentobolchum prodente Eysenricno seu Isanrico Bojorum purpurato captum tradit, de quo veteres tacent. *Avent. Annal. Boj. l. 4. p. 366.* Licentius egit Pessina, qui Zuentobolchum illico supremis fascibus Moraviæ restitutum scribit, nam eundem Zuentobolchum pro natu maximo filiorum habet. *Pessina Mar. Morav. l. 2. c. 7.* Quæ hæc civitas, fuerit in qua cum suis clausus erat Zuentobolchus, & quam postea Bajoarii igni tradiderunt, varii varia ariolantur. quorum nullum certum statuere fas est. Id enim dolendum oppido, quod Annalista Fuldensis vix unquam, si castrum Devina excipias, nomina ca-

ſtrorum aut urbium expreſſerit, e quibus hodie Topographia Moraviæ ipſaque geſta regni hujus mirum quantum illuſtrari poſſent.

II. Quod denuo Bojoarii hoc anno tam licenter & impune Moraviæ regnum vaſtaverint, haud alia cauſa fuerit, quam ſuperiore anno allata: quod nempe Hungari Italiam meditantes, omnes pene Pannoniæ ulterioris regiones ſua multitudine inundaverint, ad quorum motus cum ille eſſet vigilantiſſimus, atque iſthic acies ſuas in excubiis haberet, quid mirum Arnulphi copias alia parte impune graſſatas? Hic vero infelix ille annus, & omnium calamitatum, quæ poſtea conſecutæ ſunt, principium, quod nempe Ungari ab Italiæ populatione auſpicati ſunt. An Arnulphus Hungaris Author fuerit, ut in Italiam tranſirent, & hoc pacto fortaſſis dolorem illum lenire voluerit, quem ſibi Joannes IX. Papa ſuperiore anno per reſciſſionem Imperialis unctionis irrogaverat, aſſeverare nolim. Id certum eſt: de eo ipſo Arnulphum Bajoariosque accuſatos fuiſſe a Moravis apud eundem ſummum Pontificem; quod fatentur ipſi Bajoariæ Epiſcopi in epiſtola ſua, cum hanc criminationem Moravorum his verbis exprimunt: *Quod nos præfati Schlavi* (Moravi) *criminabantur cum Ungaris fidem Catholicam violaſſe, & per canem ſeu lupum aliasque neſandiſſimas & ethnicas res ſacramenta & pacem egiſſe, atque ut in Italium tranſirent pecuniam dediſſe &c.* Id etiam certum eſt: omnes coævos pauloque poſteriores præſertim Italos ſtylum in Arnulfum exacuere, quod is malorum omnium, quæ dein Europæ ab Hungaris impendere, author & cauſa ſit. Cum jam anno 892. cluſis ruptis Ungaros adverſus Zuentibaldum evocavit, ſuisque perpetuis bellicis infeſtationibus hoc ipſo adhuc anno obſtitit, ut neque is neque poſtea filii ſui frænum Hungarorum irruptioni injicere & modum ponere poſſent. Quod autem hoc anno Ungari Italiam infeſtaverint docet nos Chronicon Nonantulanum his verbis: *Anno DCCCXCIX. venere Ungari in Italiam de menſe Auguſti Ind. III. Octavo Kal. Octobris junxerunt ſe Chriſtiani cum eis in bello ad fluvium Brentam, ubi multa millia Chriſtianorum interfecta ſunt ab eis, & alios fecavere, & venerunt usque Nonantulam, & occidere monachos, & incenderunt monaſterium &c.* Eundem annum habet Hepidanus ita loquens: *Anno 899. Agareni* (hoc nomine ſemper Ungaros indigitat) *Italiam intraverunt, & Longobardos bello vicerunt.* Chronicon breve monaſterii S. Galli: *Anno 899. Ungari Italiam invaſerunt.* Chronicon Augienſe: *DCCCXCIX. Ungari Italium ingreſſi multa mala fecerunt.* Marianus Scotus ad eundem annum apponit: *Hungari Ita-*

Gerold. in addit. Hund. T. I.

Luitprand. l. 1. c. 5. Sigebert. Gembl. ad An. 903.

Ughell. Ital. ſacr. T. II de Epiſc. Muſin.

Hepid. ad h. a.

Cheſnius T. III p. 470. Script. rer. Gall. &

Italiam multum vastant. Quæ veterum auctorum testimonia acervanda erant contra viros quosque gravissimos, qui Hungarorum ad Italiam ingressum (inducti cumprimis a Continuatore Annalium Francofuldensium, ejusque abbreviatore Hermanno Contracto) ad annum sequentem nempe 900. referunt, qui annus cum historiis consequentium annorum minime conciliari potest. Et quidem cum ad Moraviæ historiam elucidandam maxime conveniat, certa niti Chronologia, ostendere jam libet adversæ sententiæ enervatione haud alio quam præsente anno Hungaros in Italiam irrupisse. Dicimus itaque Chronico Nonantulano deberi fidem & auctoritatem integram, cum hoc anno mense Augusto Hungaros in Italiam venisse scribit, scilicet anno Italico exeunte 899. Nam in Italia annum & indictionem incepisse hoc ævo passim a Kalendis Septembris præter alios copiose docet Pagius ad annum 892. Num. III. IX. alibique. Quare author Chronici Nonantulani statim subjungit: *Indict. III. Octavo Kal. Octobris junxerunt se Christiani cum eis* (id est Hungaris) quæ Indictio III. omnino respondet anno 900. Ita ut sensus sit hujus Chronici: Hungari venerunt mense Augusto exeunte Indictione II. ad Italiam, & dein incipiente Indictione III. Italica Octavo Kalendas Octobris prælium commiserunt cum Christianis, in quo multa millia (& ut alii scribunt 20. millia) Christianorum occisa. Quæ clades Christianorum cum Indictione III. acciderit, error verosimillime profluxit, ut passim vastatio Italiæ anno 900. illigaretur, eodemque anno irruptio Hungarorum in Bavariam facta existimaretur. Sed discernenda Italica Indictio a nostro vulgari computandi more: quo observato omnino indubitatum erit anno præsente 899. non solum Hungaros ingressos in Italiam, sed etiam 24. Septembris cladem intulisse Christianis, denique anno primum sequente reduces ex Italia Bavariam vastasse. Confirmant id epistolæ Bajoariæ Episcoporum, & Hattonis Archiepiscopi Moguntini post Arnulphi mortem & Ludovici filii electionem anni sequentis initio ad Joannem IX. Papam scriptæ, in quibus jam irruptionis istius Hungarorum in Italiam mentio fit, & quibus illi se contra Moravorum criminationes purgant, quod minime Hungaros pecuniis exstimulaverint, ut ad Italiam transirent. Hatto vero se excusat, quod electio Ludovici pueri sine jussione & permissione Papæ facta fuerit, *Quia* (inquit) *paganis* (id est Hungaris) *inter nos & vos consistentibus impeditum est iter nostrum ad sanctam matrem nostram Romanam sedem, ita ut nec legati a nostra parvitate ad vestram dignitatem dirigi potuissent.* Cum autem testante Mariano Scoto electio Regis Ludovici ac-

Frisne. T. VIII. p. 101. Mar. Scot. ad h. a.

Gevold. in addit. Hund. T. I. p. 30.

Mar. Scot. ad An. 900.

Pagius ad h. a. acciderit II. Non. Februarii anni ſequentis, & Joannem IX. conſtet non ultra menſem Auguſtum anni 900. in vivis ſuperſtitem fuiſſe, plane teſtatum fit jam anno præſente Hungaros in Italiam & quidem menſe Auguſto irrupiſſe. Locus Continuatoris Francofuldenſium facillime eliditur: nam author hic crebro res una ſerie narrat, quæ ad plures annos ſpectant, & cum poſteriora certis annis apponit, anteriora permodum rei connexæ præmittit. Id jam obſervavimus in bello Zuentibaldi Pannonico, in Vichingi electione & exauctoratione juxta poſita, id præter alia in Arnulphi etiam morte, & electione Ludovici filii obſervare licet, quæ etſi uni anno illiget, diverſis tamen accidiſſe nemo dubitabit. Jam

III. Quæri poteſt, quodnam iter Hungari in Italiam carpſerint? Hungaros anno 896. ad flumina Temiſum, Titzam Moruſium, aliasque his fluviis objectas cisdanubianas terras coluiſſe ſupra ex Porphyrogenito oſtendimus. Sed jam ſuperiore anno illi ſe ſe magis magisque in meridiem ſuperato Danubio explicarunt, & verſus mare Adriaticum progreſſi ſunt, tributum commeatusque ubique vi extorquentes: *Luitprand. l. 2. c. 4.* hinc Luitprandus Bulgarorum, Græcorumque provincias tributis ſubjectas fuiſſe ſcribit. Pro multitudine autem hujus populi non uno itinere itum eſt, copiæque hinc atque illinc divagatæ. Anonymus Belæ *Schwandtner ſcript. Hung. l.* Regis Hungariæ Notarius aliquam hujus profectionis rationem reddit: *c. 42.* *Hinc vero egreſſi* (nempe Lelu, Bulſum, & Botond Duces Hungarorum) *usque ad mare* (ſcilicet Adriaticum) *pervenerunt, & omnes nationes illius patriæ dominatui Arpad Ducis Hungarorum potenter & pacifice ſubjugaverunt, & ci-* *Ibid. c. 43.* *vitatem Spalatenſem ceperunt, & totam Croatiam ſibi ſubjugaverunt. Et dein deſcendentes juxta fluvium Culpe caſtra metati ſunt, & tranſito fluvio illo usque ad fluvium Zova pervenerunt, & tranſito Zova* (Savo) *caſtrum Zabrag* (Zagrab) *ceperunt, & hinc equitantes caſtrum Poſaga* (Poſega) *& caſtrum Ulcon ceperunt.* Aliquas Hungarorum turmas etiam in Arnulphi provincias veteremque illum Ducatum Bajoariæ & nominatim in hodiernæ Celleiæ, & Carnioliæ terras penetraſſe teſtantur ipſi Bajoariæ Epiſcopi in epiſtola ſua ſupra laudata, cum ſe a Moravorum criminationibus purgantes ſcribunt: *Quia enim Chriſtianis noſtris longe a nobis poſitis imminebant, & perſecutione nimia affligebant, donavimus illis nullius pretioſæ pecuniam ſubſtantiæ, ſed tantum noſtra linea veſtimenta, quatenus aliquatenus eorum feritatem mollitemus, & ab eorum perſecutione quieſceremus.* E quibus jam teſtatum fit hac Hungarorum in Italiam profectione vix quidem terras Regni

gni Moravici, quod hac meridionali plaga inter Dravum & Danubium continebatur, invasas fuisse, cum infra Savi ostia illi primum versus mare Adriaticum contenderint, ac dein primum superato Savo in Marchiam Longobardicam se infuderint. Mansere itaque hoc anno Moymiri provinciæ cisdanubianæ adhuc ab Hungarorum populationibus immunes, speculante procul dubio ad sinistram Dravi ripam Moymiro Moravisque eorum motus. Moraviæ vero regnum præsente anno nihil adhuc vastationis ab Hungaris passum fuisse persuadet præterea Joannis IX. Papæ legatio ad Moravos missa, qua ille juxta eorum petitionem Joannem Archiepiscopum cum duobus suffraganeis misit, ut isthic metropolim excitarent, quemadmodum ex epistola anno sequente proferenda id testatum fiet, ut itaque Moraviæ Magnæ status haud tam infelix effingi possit, cum plane de erigendis Archiepiscopatu novisque Episcopatibus cogitatum fuerit.

IV. Elongatis nonnihil a Dravi flumminis confiniis Hungarorum exercitibus inque Italiam festinantibus evanuit metus, audaciaque animos Moymiro addidit, ut jam sua validius contra Arnulphum & Bojoarios tueretur. Nam Isanrico, præfecto Cisdanubianarum ad Mutaram plagarum, ad se confugienti præsidio fuit, ut in præfecturam suam restitueretur, hæcque provincia Bajoariis eriperetur. Rem gestam narrat Continuator Annalium Francofuldensium ad hunc annum his verbis: *Interim autem Isauricus tyrannidem suam sine cessatione contra Regem* (Arnulphum) *exercens: quod vehementer Rex accipiens decrevit navigio, quia jam tunc infirmus corpore fatigaretur, civitatem Mutarensem, in qua ipse Isauricus erat, aggredi; quod & factum est. Illo vero resistente, Rege quoque & suis fortiter, viriliterque superantibus, atque civitatem oppugnantibus, demum ipse Isauricus vi compulsus cum uxore, & his, quæ ad se pertinebant, exivit, & Imperatori se præsentavit. Tunc Rex custodibus illum custodiendum commendavit, quatenus Radasponam produceretur, at ille timens, ne puniretur, fugam iniit, & Marchenses usque fugit. Quorum itaque adjutorio fultus, ut prius, partem regni subripuit, eundem totam secum retinendo obtinuit.* Quod rursum compendiator Hermannus Contractus breviſſime absolvit: *Isauricus Imperatori rebellans, obsessusque, & ad deditionem vi coactus ad Marahenses item confugit.* E quibus Annalium Francofuldensium verbis jam liquet: quibus cisdanubianis terris Arnulphus hoc anno rursum exciderit. *Mutara* hodie *Mautern* oppidum est Austriæ inferioris ex dextra Danubii ripa Steinæ & Cremsio civitatibus objectum; & cum sequente anno jam Ba-

Apud Canis. ad h. a.

va-

vari ſupra Aniſum fluvium caſtrum ad ſe tuendos condiderint, argumentari licet Bajoarios omnem illum ab Aniſo terrarum tractum in orientem vergentem (qui antiquitus Avaria & Pannonia ipſa audiebat) amiſiſſe. Ad hanc Pannoniæ ereptionem vaſtationemque reſpicere videntur Bajoariæ Epiſcopi in ſua querela toties laudata, dum poſt Hungarorum in Italiam immigrationem calamitatem hujus provinciæ ita lamentantur: *Ipſi* (Moravi) *ſupervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame & ſiti perdiderunt, innumeros vero exilio deputaverunt, & nobiles viros, ac honeſtas mulieres in ſervitium redegerunt, Eccleſias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleverunt, ita ut in tota Pannonia noſtra maxima provincia tantum una now appareat Eccleſia, prout Epiſcopi a vobis deſtinati* (nempe ad Moraviam) *ſi fateri velint, enarrare poſſunt, quantos dies tranſierint, & totam terram deſolatam viderunt.* Sed hæc pro dolore amiſſæ tantæ provinciæ acerbius fuiſſe exaggerata ab Epiſcopis Bojoariæ, quam re ipſa fuerint, vix dubium eſt, quis enim ſibi perſuadeat ſeu Moymirum ſeu Joannem IX. Papam de erigendis iſthic novis Epiſcopatibus cogitaturum fuiſſe, ſi tantoopere devaſtata, omnibusque cultoribus orbata fuit Pannonia? novo vero argumento eſt: Pannoniam jam Moravorum imperium reſpexiſſe, cum hi Epiſcopi legatique Pontificii a Moymiro vocati tam libere has regiones inſtituendorum Epiſcopatuum ergo, perluſtraverint, quod profecto nec Arnulphus nec Bajoarii paſſi fuiſſent, ſi Pannonia adhuc ſub eorum faſcibus ſtetiſſet. Magnam itaque cladem reſtituto in ſuam Præfecturam Iſanrico hoc anno Bajoarii a Moravis accepiſſe videntur, in qua confitenda apertiores fuere Bajoariæ Epiſcopi, quam Annaliſta Fuldenſis. Nec dubitare velim pacem tandem a Bajoariis ſuſpiratam, quam ſupercilio turgentes Moravi, jamque ab Ungarorum metu ſat ſecuri ſibi viſi, denegarunt. Quod eadem epiſtola his verbis queritur: *Quando vero Ungaros Italiam intraſſe comperimus* (imo poſtquam reſtituto in Præfecturam Iſanrico Bojoarii bene mulctati eſſent, atque tum Hungari jam in Italia graſſarentur) *pacificari cum eisdem Schlavis* (Moravis) *teſte Deo multum deſideravimus, promittentes eis propter Deum omnipotentem ad perfectum indulgere omnia mala contra nos, noſtrosque acta, & omnia reddere, quæ de ſuis noſtros conſtaret habere, quatenus ex illis ſecuros nos redderent, & tandiu ſpatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, & res ſancti Petri defendere, populumque Chriſtianum divino adjutorio redimere liceret. Et nec ipſum ab eis obtinere potuimus.* Fidem, inquam, plenam tribuo, Moravos victores noluiſſe pacem tum dare, quod tot exemplis convicti eſſent, Francicos

Gevold. addit. Hund. T. I. p. 31.

Ibidem p. 32.

Re-

Reges toties quoties a cladibus respiravissent, Moravis novis irruptionibus molestos fuisse, quin etiam alias gentes in eorum excidium provocasse. Utinam vero ea querela superstes esset, quam legati Pontificii nomine Moravorum ad Episcopos Bajoariæ misisse in hac ipsa epistola perhibentur, aut Moymiri manes a tumulo revocare liceret, ut capitibus hujus epistolæ respondeat, tum enim vero testatum fieret, majoresne Francici Reges Moravis, an Moravi Francicis regibus molestias injuriasque offuderint.

V. Hoc anno diem supremum obiit Arnulphus Imperator. Permulti tamen eum ad annum sequentem reponunt, sed minus recte: diem enim ipsum mensis adnotavit Regino. *Circa confinia* (id est exitum) *memorati anni Arnolphus Imperator migravit e seculo III. Calendas Decembris, sepultusque est honorifice in Odingis, ubi & pater ejus tumulatus jacet.* Ejus triste fatum his verbis describit Luitprandus: *Profectusque* (Arnulphus) *in propria turpissima valetudine exspiravit, minutis quippe vermibus, quos pediculos ajunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem, quod prædicti vermes adeo scaturirent, ut nullis medicorum curis minui possent. Utrum vero pro tam immenso scelere, Hungarorum scilicet immissione, secundum prophetam duplici sit contritione contritus, an ut ex præsenti supplicio consequeretur veniam in futuro, solius Dei scientiæ dimittimus,* qui & paulo ante Arnulphum gravissimorum criminum reum fuisse tradit. Eum vero vindicat Pagius, ita scribens: *Ejus pietatem & insignem liberalitatem plures Germaniæ Ecclesiæ ab ipso locupletatæ testantur. Si quid in sacrum ordinem secus admissum, aut templa in profanos usus versa, quod Luitprandus asserit, vitio temporum continuis Italiæ tumultibus & militari licentiæ imputandum videtur.* At certe de Hungaricæ gentis provocatione, societateque armorum cum iis contra Christianum Principem Zuentibaldum facta nemo tam facile eum expurgaverit, ut haud inconcinne ei accommodari possit epistola objurgatoria, quam superiore anno Fulco Rhemensis Archiepiscopus gravissime ad Carolum Simplicem scripsit, quod ejusmodi fœdus & societatem cum ethnicis Normannis inire attentaverit. *Quis*, inquit, *non expaveſcat vos inimicorum Dei amicitiam velle, & in eosdem ac ruinam nominis Christiani pagana arma, & fœdera detestanda susscipere? nihil enim distat, utrum quis se pagano jungat, an abnegato Deo idola aduret &c.* quæ nervosissima epistola integra excusa est apud Baronium. Neque dubitare velim Arnulphum (de quo eum accusabant Moravi) per canem & lupum sacramenta & fœdus cum Ungaris iniisse: quandoquidem gens hæc bar-

Regino ad h. a.

Luitprand. l. I. c. 9.

Pagius ad h. a.

Baron. ad An. 894. N. II.

Gevold. in addit. Hund. T. I. p. 30.

bara & a Christianis sacris aliena nullam fidem pondusque juramentis Christianorum dabat, ut passim ea nonnisi ritu suo vellet præstita. Sic vel Orientis Imperatorem Leonem Armenum legimus compulsum a Bulgaris, ut ejusmodi ritu ethnico per canem juramentum deponere cogeretur, de quo agit Porphyrogenitus, Ignatius Diaconus, nosque ipsi jam Parte II. p. 576. tractavimus.

Porphyr. in Chronogr. c. 1. n. 20. Ignatius in vita S. Nicephori Patr. Const.

VI. Hoc anno Wichingus a Theotmaro Archiepiscopo Salisburgensi sede Pataviensis Episcopatus deturbatus est eo maxime, quod contra Cleri populique suffragium ab Arnulfo intrusus fuerit. *Sed non multo post* (inquit Continuator Annalium Francofuldensium) *a Theotmaro Archiepiscopo ceterisque suffraganeis suis* (Wichingus) *contra voluntatem Regis canonicali judicio objectus, ac Richardus ad eandem sedem Episcopus in id ipsum tempus ordinatus est.* Perperam igitur Stredovshius, dum eum primum post Arnulphi mortem exauctoratum scribit. Hansizius in eo argumento totus est, quod supra refutavimus: Wichingum tum, cum occupasset Episcopatum Pataviensem, excitare voluisse sedem Metropoliticam. Pro rei confirmatione subjungit: *Obierat mortem Methodius Moravorum Archiepiscopus, novus quærebatur Antistes, legationes etiam Romam a Moravis anno 899. eam ob causam missæ. Proximus ad eam spem erat Wichingus, ut qui dudum insulam apud Moravos gesserat, unusque erat de Methodii suffraganeis superstes.* Sed quis sibi persuadeat Moymirum, qui hoc anno capitales cum Arnulpho inimicitias foverat, Cancellarium hostis sui, quique apud se Episcopatum deseruerat, voluisse in Archiepiscopatum Moraviæ aut Sclaviæ evehere? quin procul dubio, ut Moymirus ægre faceret Germanis (quod haud obscure innuit Episcoporum Bajoariæ epistola) in noviter bello acquisitis terris, quæ ad Pataviensem & Juvavensem diœcesin spectabant, Episcopatus novos & Metropolim erigere meditatus est. Eam vero Metropoliticam sedem minime Wichingo, sed Joanni a sede Romana misso destinavit, ut sequente anno videbitur. An Wichingus Episcopatu Pataviensi deturbatus redierit ad Nitriensem Episcopatum, receptusque sit a Moymiro, ut brevis Catalogus Episcoporum Pataviensium in Corollariis, Aventinus, Egon, Hansizius, Assemanus, Stredovskius aliique statuunt, nihil proditum a veteribus. Conjectura nonnulla ex querela Episcoporum Bajoariæ capi potest: hic enim illi de scissione Episcopatus Pataviensis querulantes ajunt: *Est enim unus Episcopatus* (nempe Pataviensis) *in quinque divisus.* At vero ex hac querela nonnisi quatuor Episcopi eruuntur, scilicet

Stredovsky l. 4 c. 2. Hansiz. Germ. sacr. p. 171.

Avent. l. 4. Egon in viris illustr. P. 3. c. 21. Hansiz. T. I. p. 172. Assemani. T. III. p. 166.

Ri-

Richarius Patavienſis, Joannes Archiepiſcopus, & duo ejus ſuffraganei Benedictus & Daniel, ita ut quintum illum Epiſcopatum, a Wichingo occupatum fuiſſe per conjecturam aliquam dici poſſit. Minus vero ferendum, dum Eximius P. Ulman vocato in teſtimonium Continuatore Francofaldenſi Wichingum contra Eccleſiaſticas leges Nitrienſem ſimul & Patavienſem Epiſcopatum tenuiſſe, ac propterea e Patavienſi depoſitum ait; nam ea de re Continuator altum ſilet. Nihil penitus igitur de Wichingo poſt relictam ſedem Patavienſem cognitum, cujus etiam Cancellariatus cum morte Arnulphi, quæ paulo poſt accidit, exſpiravit, adeo ut nec ipſe obitus ſui annus aut dies hodie certus ſit. Catalogus Tegrnſeenſis & alter Laureacenſium atque Patavienſium Epiſcoporum apud Hieronymum Pez, quos etiam Schrittwinus ſecutus eſt, eum VI. nonas Martii anno innominato mortem oppetiiſſe narrant. Contra Joannes Egon ex Necrologio convincere nititur eum pridie Idus Septembris obiiſſe. Illud non prætermittendum: a Peſſina & Stredovskio geſta Wichingi mirum quantum fuiſſe aucta præter veterum omnium fidem: anno enim 892. narrant eum Suatopluco pacem cum Arnulpho ineundam ſuaſiſſe. Anno 894. Eccleſias reſuſcitaſſe, & ab eo ſanctoque Methudio coronatum Suatebogium. Anno 899. deſudaſſe in pace inter Moravos concilianda, cauſamque Suatebogii egiſſe. Anno 902. Eremitas ad Nitriam ab eo fuiſſe ſuſtentatos. Anno denique 903. diem ſupremum obiiſſe, & haud dubie in Nitrienſi Eccleſia ſepultum, quæ ſuos fontes deſiderant.

Alt-Mähren c. 6. p. 290.

Script. Auſtr. T. I. p. 15.

Egon in Vir. illuſtr. Aug. Div. P. 3. c. 21.

ANNUS 900. (a)

Suatoplucus Rex Moravorum infeſtandæ Bavariæ cupiditate dudum æſtuans delectum militum fecit, Arnulpho Imperatori ægre facere meditatus. (b) Non potuit tamen conſilium tectum manere Cæſari, qui Suatopluccum amicis literis ab ejuſcemodi facinore dehortatus eſt, in memoriam refricans affinitatis neceſſitudinem, quam ſecum ſumta ſorore contraxiſſet, (c) monens etiam ne obli-

vioni daret illas binas ſuppetias, quas periclitanti ejus regno adverſus Hungarorum vim attuliſſet. (d) Suatoplucus, haud conſtat, quibus furiis actus, diſcerpendi, dimittendique exercitus conſilium arripere haud voluit, cum octo millibus armatis itaque prædabundus in Bavariam irrumpit. Quem cum impune graſſari Arnulfus nollet pati, collectas undequaque copias obviam miſit, ipſe cum minoribus cohortibus ſuos ſecutus. Ea vero erat Arnulfi circumſpectio & ſagacitas, ut præoccuparet ripas Danubii, ne hoſtis transmiſſo flumine ægrius occupatis terris depelleretur. Vix uterque miles ſui copiam videndi fecerat, cum ad cruentum perventum eſt prælium: Suatoplucus meliore aliquanto virtute quam fortuna dimicans interfectus eſt. (e) A cæde Regis, exercitusque clade apertam Arnulfus ingreſſus Moraviam, Welehradium usque cum copiis ſuis pertigit. Hic ſororem ſuam nepotemque ex ſorore Suatobogium ſcitiſſimum puerum reperiens, Moraviam interea per procuratores & præfectos adminiſtrari conſtituit, dum Suatebogius puberes annos attingeret, regnoque matureſceret, (f) Subinde rite ordinatis rebus omnibus tranquillis itineribus in ſua reverſus. Non multo poſt tam miro valetudinis genere tentatus eſt, ut nulla ei ars medicamentaque prodeſſent; a vermibus enim, quos pediculos vocant, miſere depaſtus phtyriaſi contabuit. (g)

Suatoplucus in prælio interficitur.

Arnulphus morbo pediculari contabeſcit.

) o (

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCC.

BENEDICTI IV. PAPÆ 1. LUDOVICI III. IMP. 1, SPITIGNÆI 6. TUTONIS *Ep. Rat.* 7.

(*a*) Nigro carbone hoc, quod ingredimur, sæculum Christi decimum depingit Hugo Autisiodorensis, dum nullum eo infelicius indoctiusque exstitisse gemebunde queritur. Nec id alio colore delinit Genebrardus, Bellarminus aliique. Baronius Ecclesiam in tanto discrimine versatam fuisse scribit, & periculo pereundi, si fieri posset, proximam propter bella, tumultus, & flagitia sæculi istius, quod sui asperitate ac boni sterilitate *ferreum*, mali exundantis deformitate *plumbeum*, scriptorum inopia *obscurum* merito appellari possit. Sed hæc multis emollire conantur Mabillonius atque Pagius, & cum utroque Assemanus: fatentes quidem sæculum hoc vitiatum fuisse, sed & sanctos & doctos suos numerasse; multa enim posterius typi beneficio vulgata fuisse, quæ priores cum Baronio latuerant. Quin Pagius sæculum hoc felicissimum nominandum censet: quo *Normanni, Suevi, Poloni, Sclavi ac Hungari Christiani effecti, varii Episcopatus erecti, plura monasteria condita, plures Ecclesiæ largissime dotatæ.* Quam felicitatis partem etiam experta Bohemia, quæ præcipuos suos primosque sanctos: Ludmillam, Wenceslaum, Adalbertumque, Episcopatus Pragensis erectionem, Monasteriorum S. Ordinis Benedicti exordia huic sæculo debet.

Hugo Aut. in Chron. ad h. a. Bellarm. in script. Eccl. ad iugr. sæc. X. p. 552.

Mabillon. Act. SS. Ben. sæc. V. Pagius ad h. a. Assemon. T. II in dedicat. Pagius in Crit. ad h. a. n. 3.

(*b*) Haud fortunatus Chronologiæ conciliator fuit Hagecius, qui Suatoplucum jam ante sex annos, Arnulphum vero superiore demortuos tanquam in scenam belligerantes inducit.

(*c*) Affinitatis hujus primum prolatorem fuisse Dalemilum, ex quo id depromsisse Hagecium, ex istis Pirminium Gassarum & Aventinum jam alias crebro monuimus.

(*d*) Istud contra omnes coævos pugnat, nunquam enim Arnulphus Suatoplucum adversus Hungaros est tuitus, quin potius eos in ejus, filiorumque exitium excivit, ut supra vidimus.

(e) Hæc mera figmenta esse ex superiorum annorum prolatis coævis monumentis liquet: hallucinatus magnopere Hagecius, qui Zuentibaldum Arnulphi filium Lotharingiæque Ducem, quem noster e fonte baptismi levaverat, pro ipso Zuentibaldo Moraviæ Duce habuit. Hic enim Zuentibaldus Arnulphi filius præsente anno coorta inter ipsum & proceres suos inexpiabili, ut inquit Regino, dissensione belli occisus est. Libet audire Reginonem: *Ludovico* (a proceribus in regnum accersito) *trans Rhenum eunte Zuentipol* (Lotharingiæ Dux) *quæsque potuit civitates regni circuit, incendiis ac rapinis cuncta devastat - - - Ludovicus in regnum rursus accersitur, & a Comitibus Stephano, Gerhardo, & Matfrido circa Mosam idem Zuendepol in prælio interficitur Idibus Augusti.* Eadem pene refert Continuator Annalium Francofuldensium, Hermannus Contractus, cetæsique posteriores. Nec vero absimile est haud aliunde narrationem de belli occiso Duce Moraviæ Zuentibaldo passim in nostra & nonnulla extera Chronica irrepsisse, quam quod authores horum Chronicorum discrimen inter hos duos Zuentibaldos non facerent, quo errore primum lapsum deprehendo Thuroczium Hungariæ scriptorem.

Regino ad h. a.

Ad h. a.

Schwandtner script. rer. Hung. T. I.

(f) Et id totum cum veritate & fide historica pugnare ex supra dictis certum est: sive enim Suatobogius alius fuerit a Suentibaldo seu idem, certum est eum jam anno 894. portionem Regni Moravici a moriente patre accepisse, ea tamen lege, ut fratri natu maximo Moymiro subjectione quadam esset obnoxius.

(g) Id ex Luitprando depromsit Hagecius, quem jam superiore anno exscripsimus, quemque Hagecius in præmisso Annalibus suis Catalogo inter eos Authores recitat, e quibus fastos suos compilaverat.

PRÆTERMISSA.

I. Hujus anni principio, seu certe superioris exitu misit Joannes IX. Pontifex Maximus ad preces Moymiri & Moravorum Joannem Archiepiscopum, Benedictum & Danielem Episcopos in Moraviam, qui isthic Metropoliticam sedem suscitarent. Nempe jam pene ab ipso Annisо fluvio omnis Pannonia inter Danubium & Dravum alteraque parte ad ipsam hodiernam Transilvaniam Moravorum imperium respiciebat. Ut in his igitur vastissimis terrarum tractibus (quibus olim Romanorum

&c

& Gepidarum temporibus metropolitanam ſedem cum ſeptem ſuffraganeis exſtitiſſe ignotum eſſe non poterat) Moymirus Archiepiſcopatum Epiſcopatusque aliquot fixis ſedibus auderet reſuſcitare, Romanam ſedem interpellavit, quæ hoc anno, aut ſuperiore votis ejus ſatisfecit. Miſſi itaque legatorum Pontificiorum eminentia Joannes Archiepiſcopus, Benedictus & Daniel Epiſcopi, qui ad Moraviam venientes illico enormibus querelis pulſati ſunt a Moymiro & Moravis de Bajoariorum vicinorum malevolentia, qui toties præter fas Moraviæ regnum invaſiſſent, Ungaros in ſuum excidium prolexiſſent, cum illis, profanatis Chriſtianis ſacris, ritu ethnico fœdera feciſſent, imo eis pecunias ad bello laceſſendam Italiam ſuggeſſiſſent. Quibus auditis legati hi acerbas ad Epiſcopos Bojoriæ dedere literas, hæcque cum illis expoſtulavere, ut fatentur ipſi Bajoariæ Epiſcopi in epiſtola mox recitanda: *Talia namque*, inquiunt, *ut præſcripſimus juxta malitiam cordis ſui argumentantes* (Moravi) *& Pontifices veſtros* (Joannem, Benedictum & Danielem) *ad injuriam noſtram incitantes, adeo ut directa nobis epiſtola, quaſi ab Apoſtolica ſede hæc omnia improperabant, & diverſas injurias ingerebant, atque inter alia divino gladio feriendos dignos dicebant.* Quas Moravorum criminationes ut a ſe amolirent Bajoariæ Epiſcopi cum ſuo Archi-Antiſtite Salisburgenſi Theotmaro, hoc anno prolixas literas dedere ad Joannem IX. Papam, quibus non modo objecta crimina refutant, inque Moravos retorquent, ſed etiam pro juribus diœceſis ſuæ contra erectos in Moravia Epiſcopatus acerrime digladiantur. Sed ex ipſis fontibus purius pleniusque libet bibere, & integram epiſtolam, ex cujus fragmentis jam crebro ſupra maxima hiſtoriæ noſtræ documenta hauſimus, hic Lectori exhibere. Habetur ea T. IX. Conciliorum pag. 498. Unde eam Gevoldus, Goldaſtus, Hanſizius, Aſſemanus atque ex noſtris Balbinus, Peſſina, & Stredovskius exſcripſere. Verba ſunt:

Summo Pontifici & univerſali Papæ, Domino JOANNI Romanæ ſedis magnifico Gubernatori humillimi Paternitatis veſtræ filii THEOTMARUS Juvavienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. WALDO Friſingenſis, ERCHENPALDUS Euſtatenſis. ZACHARIAS Sæbonenſis (hodie Brixienſis) *TUTO Ratiſponenſis. RICHARDUS Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopus. Nec non & univerſus Clerus populusque Chriſtianus per totam Noricam, quæ & Bavaria converſatur. Proſperum in Salvatore noſtro profectum, Catholicæ pacis augmentum, & regnum optamus æternum:*

An-

Antecessorum vestrorum decretis & Catholicorum patrum institutis plenissime instruimur in omnibus nostro ministerio sacerdotali obstantibus & adversantibus Romanum appellare Pontificem, ut quod ad unitatem concordiæ, & ad custodiam pertinet disciplinæ nulla dissensione violetur, sed ab ipso summa provisione decernatur: nequaquam enim credimus, quod coacti quotidie audimus, ut de illa sancta & Apostolica sede: quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, & origo Christianæ religionis profluxerit quippiam perversitatis, sed doctrina & auctoritas Ecclesiasticæ rationis. Sed venerunt, ut ipsi promulgaverunt, de latere vestro tres Episcopi videlicet JOANNES Archiepiscopus. BENEDICTUS & DANIEL Episcopi in terram Schlavorum, qui Maraci (Maravi) *dicuntur, quæ regibus nostris & populo nostro, nobis quoque cum habitatoribus suis subacta fuerat, tam in cultu Christianæ religionis quam in tributo substantia secularis, quia exinde primum imbuti, & ex paganis Christiani sunt facti. Et idcirco Patauiensis Episcopus civitatis, in cujus diœcesi sunt illius tempore populi ab exordio Christianitatis eorum, quando voluit & debuit, illuc nullo obstante intravit, & synodalem cum suis & etiam ibi inventis conventum frequentavit, & omnia, quæ agenda sunt, potenter egit, & nullus ei in faciem restitit. Etiam & nostri Comites illi terræ confines placita secularia illic continuaverunt, & quæ corrigenda sunt, correxerunt, tributa tulerunt, & nulli eis restiterunt; usque dum incessante corda eorum diabolo Christianitatem abhorere, & omnem justitiam detrectare, belloque lacessere, & obsistere sævissime cœperunt, adeo ut via Episcopo & prædicatoribus illo non esset; sed libitu suo egerunt, quæ voluerunt. Nunc vero, quod nobis grave videtur, & incredibile, in augmentum injuriæ jactitant se magnitudine pecuniæ id egisse, qualia de illa Apostolica sede nunquam audivimus exisse, neque Canonum decreta sanxisse, ut tantum schisma una pateretur Ecclesia. Est enim unus Episcopatus in quinque divisus. Intrantes enim prædicti Episcopi in nomine vestro, ut ipsi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque Episcopatu unum Archiepiscopum, si tamen in alterius Episcopatu Archiepiscopium esse potest, & tres suffraganeos ejus Episcopos absque scientia Archiepiscopi, & con-*

sen-

sensu Episcopi, in cujus fuerunt diœcesi. Cum in Concilio Africano cap. XX. decretum sit, ut plebes, quæ in diœcesibus ab Episcopis retinentur, quæ nunquam Episcopos habuerunt, nonnisi cum voluntate ejus Episcopi, a quo tenentur, proprios accipiant rectores, vel Episcopos. Et item in eodem Concilio cap. LXV. ut plebes, quæ nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex consilio plenario uniuscujus provinciæ & primatus, atque consensu ejus, ad cujus diœcesin eadem plebs pertinebat, Episcopos minime accipiant. In decretis Papæ Leonis cap. XV. scriptum est: nulla ratio finit, ut inter Episcopos habeantur, qui a Provincialibus Episcopis cum Metropolitani judicio non consecrantur. Item cap. XLIX. si indignis quibusque & longe extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium, & gubernatio Ecclesiæ detur, non est hoc consulere populis, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discrimen. Et in eodem capite post pauca: difficile est ut bono peragantur exitu, quæ malo inchoata sunt principio. Et in decreto Papæ Cœlestini Antecessoris vestri cap. XVII. continetur, ne alicui locus concedatur sacerdoti in alterius injuriam. Antecessor vester ZUENTIBALDO Duce imperante WICHINGUM consecravit Episcopum, & nequaquam in illum antiquum Patavienſem Episcopatum eum transmisit, sed in quandam Neophitam gentem, quam ipse Dux domuit bello, & ex paganis Christianos esse patravit.*

Cum autem eisdem Schlavis locus familiaritatis apud legatos vestros dabatur, accusabant nos, & diffamabant in multis, & verbis mendacibus instabant, quia nemo eis vera respondabit, dicentes, nos & cum Francis & Alemannis scandalum & discordiam habuisse: cum hoc falsum esse ex hoc convincitur, quia amicissimi nostri sunt, & caritative cooperatores, & etiam cum ipsis impacatos esse accusabant. Quod non nostra culpa exigente, sed sua protervia faciente ita fatemur esse: quia quando Christianitas illis cœpit vilescere, & insuper debitum tributum senioribus nostris, regibus & principibus eorum solvere respuerunt, belloque resistere, & gentem nostram cœperunt lacessere, orta est seditio inter illos, & quoniam armis sibi eos defenderunt, & in servitium redegerunt. Idcirco jure proprio tributarios habere debuerunt, & debent, & sive velint, sive nolint, regno nostro

fibacti erunt. Quapropter oportet vos ab alto speculari, & moderaminis temperiem præ omnibus tenere, ne pejor pars confortetur, & melior infirmetur. Progenitores namque serenissimi senioris nostri LUDOVICI videlicet Imperatoris & Regis ex Christianissima Francorum gente prodierunt. MOIMARII vero Sclavi a paganis ethnicis venerunt. Illi potentia Imperiali Romanam rempublicam sublimaverunt. Isti damnaverunt. Illi Christianum regnum confortaverunt. Isti infirmaverunt. Illi toto mundo spectabiles apparuerunt. Isti latibulis & urbibus occultati fuerunt. Illorum consilio Apostolica sedes pollebat. Istorum persecutione Christianitas dolebat. In omnibus his Juvenculus Rex noster nulli prædecessorum suorum inferior secundum virtutem a Deo sibi datam sanctæ Romanæ Ecclesiæ & vobis summo Pontifici cum omnibus regni sui Principibus adjutor optat esse fortissimus. Omne namque regnum divinitus sibi commissum ad Dei servitium, suumque adjutorium unum vult & operatur. Unde & pace viget, & concordia gratulatur, atque ad vestram paternitatem, sicut patres sui, se pertinere lætatur.

Quod nos præfati Schlavi criminabantur cum Ungaris fidem Catholicam violasse, & per canem seu lupum aliasque nefandissimas & ethnicas res sacramenta & pacem egisse, atque ut in Italiam transirent, pecuniam dedisse: si vobis coram posito ratio inter nos agitaretur ante Deum, qui cuncta novit, antequam fiant, & coram vobis, qui vicem ejus Apostolicam tenetis, eorum falsitas manifestaretur, & nostra innocentia probaretur. Quia enim Christianis nostris longe a nobis positis semper imminebant, & persecutione nimia affligebant, donavimus illis nullius pretiosæ pecuniam substantiæ, & tantum nostra linea vestimenta, quatenus aliquatenus eorum feritatem molliremus, & ab eorum persecutione quiesceremus. Talia namque juxta malitiam cordis sui argumentantes, & Pontifices vestros ad injuriam nostram incitantes, adeo, ut directa nobis epistola, quasi ab Apostolica sede hæc omnia improperabant, & diversas injurias ingerebant, atque inter alia divino gladio feriendos dignos dicebant. Impletur enim in nobis, quod quidam sapiens ait: Justus tulit crimen iniqui. *Ipsi enim crimen, quod nobis falso semel factum imposuerunt, multis annis peregerunt.*

runt. Ipsi Ungarorum non modicam multitudinem ad se sumpserunt, & more eorum capita suorum pseudo-christianorum penitus detonderunt, & super nos Christianos immiserunt, atque ipsi supervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios ferina carcerum fame & siti perdiderunt, innumeros vero exilio deputaverunt, & nobiles viros ac honestas mulieres in servitium redegerunt, Ecclesias Dei incenderunt, & omnia aedificia deleverunt, ita ut in tota Pannonia nostra maxima provincia tantum una non appareat Ecclesia, prout Episcopi a vobis destinati, si fateri velint, enarrare possunt, quantos dies transierunt, & totam terram desolatam viderunt.

Quando vero Ungaros Italiam intrasse comperimus, pacificari cum eisdem Schlavis, teste Deo, multum desideravimus, promittentes eis propter Deum omnipotentem ad perfectum indulgere omnia mala contra nos, nostrosque acta, & omnia reddere, quae de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis securos nos redderent, & tamdiu spatium darent, quamdiu Longobardiam nobis intrare, & res sancti Petri defendere, populumque Christianum divino adjutorio redimere liceret: & nec ipsum ab eis obtinere potuimus. Et post tanta maleficia haberent beneficia? & sunt falsi accusatores, qui semper fuere Christianorum persecutores. Si quis in toto mundo nos aliorsum aberrasse, & justitiae restitisse probare conetur, veniat praesens, & eum lisdificasse, nosque de hac re sentietis purissimos esse. Idcirco singuli omnesque admonendo precamur: ne ullo modo alicui falso de nobis aliquam suspicionem referenti creduli sitis, antequam opportunitas exigat, ut hujus rei gratia missus de vestra celsitudine nobis, aut a nostra parvitate directus appareat vobis. Communis gemitus & generalis dolor angustat, quos Germania, & tota tenet Norica, quod unitas Ecclesiae dividitur scissura. Est enim, ut praemisimus, unus Episcopatus in quinque divisus. Ideo si quid fraus maligni Schlavorum calliditate adduxerat, justitia vertat. Vosque virtute ex alto induti, & Apostolica potestate armati juxta Prophetam: Quod fractum est alligate, quod infirmum consolidate, quod abjectum reducite. *Ut deinceps populus & fidei integritate gratuletur, & sancta Ecclesia tranquilla devotione laetetur.*

Theotmarus indignus Archiepiscopus & Apostolicarum verum Procurator promtissimus. Pecuniam vestro juri debitam propter infestam paganorum sævitiam nec per me poteram, nec per alios transmittere. Sed quia Dei gratia liberata est Italia, quanto citius potero vobis transmittam. Precatur nostra humilitas, ut dignetur vestra sublimitas respondere per singula transmissa cum epistola.

Alme pater mundi, dignus pro nomine Petri.
Nomine quem sequeris, utinam virtute sequaris.
Sisque tuis famulis protector verus, & impos (forte *imos*)
Commendes Domino, cœla qui præsidet alto.

E quibus posterioribus proditur epistolam hanc scriptam eo anni hujus tempore, quo Hungari jam ex Italia regressi sunt. Alteram ejusdem argumenti hoc ipso anno, sed ut videtur nonnihil citius scriptam dedit Hatto Moguntinus Archiepiscopus, quæ tamen summi Pontificis nomen non exprimit. Ea habetur Tomo IX. Conciliorum pag. 456. Unde eam publicavere posteriores omnes. Sic autem habet:

Domino sanctæ & Apostolicæ & universalis Romanæ Ecclesiæ Papæ Hatho indignus Præsul Moguntinensis Ecclesiæ, cum universis Suffraganeis nostræ exiguitati adjunctis: debitum orationis obsequium, & fidelem servitutem.

Noverit igitur sublimitas sanctitatis vestræ, quod nulla fratrum unanimitas sanctæ Romanæ Ecclesiæ potestati subjecta fidelior atque devotior, ac subjectior apparet, quam nos, qui vestræ dominationi & capiti omnium Ecclesiarum omni mentis intentione subjicimur, plurimum gaudentes in Domino, & in dono gratiæ ipsius, quod per vestram sanctitatem & sapientiam magnifice & amplissime sedes ejusdem Ecclesiæ dilatatur in religione divina, & in hoc instantissime precibus incumbimus, deprecantes divinam clementiam, ut ad altiora semper conscendere vos, & de die in diem meliora sectari, atque perficere concedat.

De cætero vestræ clementiæ innotescimus seniorem nostrum ARNOLPHUM Imperatorem de hujus vitæ exilio migrasse. Sed quod quamdiu in hoc mundo subsistimus, per incerta ferimur, nescientes ubi quorundam animæ post hanc lucem mansionem recipiant, vestris quasi prevoluti vestigiis submixe poscimus, ut animam ipsius vestræ authoritatis

po-

poteſtate a vinculis peccatorum abſolvatis, quia quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta in cœlo. *Tali vero Domino Rectore & gubernatore amiſſo in noſtris partibus vacillavit navis Eccleſia. Quem Regem eligeret, parvo tempore inſcia manſit, & quia timor magnus ad erat, ne ſolidum regnum in partes ſe ſcinderet, divino, ut credimus, inſtinctu factum eſt, ut filius ſenioris noſtri, quamvis parviſſimus, communi conſilio Principum, & totius populi conſenſu in Regem elevaretur. Et quia Reges Francorum ſemper ex uno genere procedebant, maluimus priſtinum morem ſervare, quam nova inſtitutione inſidere. Sed cur hoc ſine veſtra juſſione & permiſſione factum ſit, veſtram haud dubitamus latere prudentiam: nulla ſcilicet alia cauſa actum conſtat, niſi quia paganis inter nos & vos conſiſtentibus impeditum eſt iter noſtrum ad ſanctam matrem noſtram Romanam ſedem, ita ut nec legati a noſtra parvitate ad veſtram dignitatem dirigi potuiſſent. Sed quia tandem occaſio & tempus advenit, quo noſtra epiſtola veſtris obtutibus præſentaretur, rogamus noſtram communem conſtitutionem veſtræ dominationis benedictione roborari.*

Inſuper etiam pietati veſtræ intimamus, quod fratres & patres, & Coepiſcopi noſtri Bavarienſes ſe apud nos conquerentes, & alta ſuſpiria trahentes, gemebant, qualiter MARAVENSES populi, Francorum poteſtati rebelles, jactent ſe ab illorum conſortio eſſe diviſos, & ſeorſim Metropolitano gloriantur a veſtra conceſſione eſſe ſublimatos; cum nunquam Metropolitana ſedes inter illos haberetur, ſed ſemper illorum provinciæ & diœceſi cohærerent. Dolebant ſe etiam apud nos, quod quorundam machinatione magna infamia circa veſtram celſitudinem eſſent denotati: ſcilicet ut cum paganis fœdus & pacem inirent, & ipſi pagani conſilio eorum agerent tam multa nefaria & illicita. De his omnibus conſilium a nobis quærentibus Bavarienſibus Epiſcopis juſtum reſpondimus eſſe fratrum ſolatio adhærere, quia Propheta inquit: Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum. *Illi vero non in unum habitant, qui fratrum ſe ſolatio ſubtrahunt, aut fratribus inſidias præparant.*

Nos illorum triſtitiæ compatientes, noluimus illis conſilium de talibus objectionibus præbere, priusquam ad veſtram interrogationem per epiſtolam

ſtram veniremus: ſemper nos ſcimus carnales ſpirituales ſolere perſequi, & malivolos benevolos infamare & lacerare. Prævidere ergo ſummopere debent omnes, qui ſacerdotes domini perſequuntur tam occulte quam manifeſte, ne ad illos pertineat, quod Propheta dicit: Cogitaverunt malitias in corde ſuo, toto die conſtituebant prælia, exacuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub labiis eorum. *Et paulo poſt:* Cadent ſuper eos carbones, in igne dejicies eos. *Et iterum:* Vir linguoſus non dirigetur in terra. Virum injuſtum mala capient in interitu. *Et per Jeremiam inquit Dominus:* Omnes in ſanguine judicantur, unusquisque proximum ſuum tribulat. Omnes in malum manus ſuas præparant. *Non debent enim alieni Epiſcoporum aut accuſatores, aut judices fieri. Unde de Loth ſcriptum eſt:* Ingreſſus es ut advena, nunquid ut judices? *Accuſator autem Epiſcoporum nullus ſit ſervus, aut libertus, nullaque perſona ſuſpecta, aut infamis, repellantur inimici & omnes laici. Iſti fratres & Coepiſcopi noſtri Bavarienſes veraces Dei cultores, & boni paſtores pervigili cuſtodia cuſtodiunt gregem ſibi commiſſum, ne lupi rabies aliquam ſancti gregis oviculam rapiat in prædam ſuam. Stant pro muro domus Iſrael, ne aliqua vis inimica firmamentum Eccleſiæ diſſolvat. Qui tales inquietat & ſua malitia impugnat, licet præſentem, futuram tamen non evadet pœnam, quia ſcriptum eſt:* Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei.

Hæc autem omnia per ſcripta vobis ideo dirigimus, quia eſtis caput totius ſanctæ Eccleſiæ, quacunque per orbem diffunditur, & ſolamen mœrentium, quæcunque triſtia vobis, contigerunt membris veſtris, quia ipſi ſanctiſſimi Paſtores Chriſti ſuperius dicti in nullo a Catholica fide deviantes, ſed eandem ſanctis operibus & Eccleſiaſticis officiis ornantes apud nos conquerentes poſtulaverunt, ut veſtra notitiæ manifeſta faceremus, quia & illi per ſe ipſos vobis eadem innoteſcere, vita comite, promittebant. Unde poſcimus, ut veſtra conſolatio illorum mœrorem ad lætitiam reformet, & ſemper talia membra ſummo capiti, quod eſtis vos, ſe gaudeant adhærere.

Illi autem MARAVENSES, ut noſtris auribus illatum eſt, in occaſionem ſuperbiæ ſuæ aſſumunt, quia a veſtra conceſſione dicunt ſe

Me-

Metropolitanum ſuſcipere, & ſingulariter degentes aliorum Epiſcoporum conſortia refutant. Si hæc confidentia diutius inſtantur, usque ad ſanguinis effuſionem, ut multi arbitrantur, proſilient. In quantum præſumimus, ad monemus, quatenus veſtra auctoritas priusquam hoc contingat, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat, ut tandem cognoſcant, cui dominatui ſubjici debeant. Nos ſiquidem debitores eſſe cognoſcimus, ſi quid a ſanctæ matris Romanæ Eccleſiæ ſcilicet contigerit elabi, vos inde certificari, ut veſtra potentia ad rectitudinis lineam perducatur. Quodſi veſtra admonitio illos non correxerit, velint, nolint, Francorum Principibus colla ſubmittent, & credimus absque effuſione ſanguinis & mutua cæde ex utraque parte nunquam poſſe contingere. Iterum iterumque veſtræ dignitatis auribus replicamus, quod tam Epiſcopi, quam laici Bavarienſes in religione Chriſtianitatis nulla gente inferiores eſſe probantur, neque unquam Franci absque illorum auxilio aut in Eccleſiaſticis rebus, vel in bellicis negotiis nominatim vel famâ dignum aliquid peregerunt. Sicut neque illi absque iſtis.

Ex his I. cognoſcere licet incredibilem pene acerbitatem & implacabile odium enatum inter gentem Bajoaricam & Moravicam, dum prior ex auxilio, quod Zuentibaldo contra Raſtizen tulerat, ſubjectionem & ſervitutem perpetuam Moraviæ arguit, ex eo vero, quod primitus Bajoaria Viros Apoſtolicos in Moraviam miſerit ejus convertendæ ergo, jurisdictionem abſolutam in ſpiritualibus prætendit. Contra Moravi in utroque genere libertatem ſuam acerrime tuentur. Verum quidem eſt Zuentibaldum adjutum a Francis Bajoariisque, dum deturbato Raſtize imperium Moraviæ involavit; nec negamus eum ſubjectionem Regibus Francicis addixiſſe. At poſtquam paulo poſt ex levi ſuſpicione in vincula conjectus, ac innocentia ejus detecta fuiſſet, tum infamiam hanc vindicaturus continuis bellis omne jugum excuſſit. Verum etiam eſt, ſi principia fidei Chriſtianæ ſpectentur, Moraviam ad Epiſcopi Patavienſis adeoque Archiepiſcopi Juvavienſis diœceſin pertinuiſſe: at jam temporibus Adriani Papæ II. Moravis erat Methudius ordinatus Epiſcopus, & a Joanne VIII. in Archiepiſcopalem dignitatem evectus addito Wichingo ſuffraganeo Nitrienſis Eccleſiæ. Poſt S. Methudii mortem, ut ſupra oſtendimus, mox nominatus Wichingus Metropoliticam ſedem fixam perpetuamque meditabatur, ſed eo ad Cancellariatum Arnulphi evocato miſſi eundem ad Moravorum petitionem

nem Joannes Archiepiſcopus, Benedictus & Daniel Epiſcopi, qui proteſtationes Bojoariæ Epiſcoporum haud penſi habentes Metropoliticam ſedem & tres ſuffraganeatus erexerunt.

Quod alterum eſt: tres tantum nominantur Epiſcopi, attamen ibidem dicitur Epiſcopatus Patavienſis in quinque diviſus: e quo conjicere licet procul dubio Patavienſem & Nitrienſem Epiſcopatum in cenſum venire, quorum illi Richarius, alteri Wichingus præfuit, ſi tamen is ab Arnulphi morte in Moraviam rediit. Confirmatur id ex Pilgrini Laureacenſis Eccleſiæ Præſulis epiſtola multo poſterius anno 977. ad Benedictum VII. data, in qua dicitur: *Quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios VII. Antiſtites eadem orientalis Pannonia habuit & Moeſia meæ ſanctæ Laureacenſi, cui ego indignus miniſtro Eccleſiæ ſubjectos, quorum etiam quatuor usque dum Ungari Regnum Bavariorum invaſerunt, ſicut præſenti cognitum eſt ætati, in Maravia manſerunt.* Hem præter Laureacenſem ſeu Patavienſem quatuor Epiſcopatus! quos quidem retractatos fuiſſe a Joanne IX. ob præjudicium Cathedræ Paſſavienſis ſcribit Hanſizius allegato Hincmaro ex Bibliotheca Patrum T. VI. p. 620. At mihi locum hunc invenire non licuit. Atque ſi retractatos etiam dicamus, ex mox allegato Pilgrini teſtimonio certum eſt eos ad everſionem usque Moraviæ ab Hungaris intentatam perduraſſe. Recte igitur idem Hanſizius, dum ex Pagio ſub jungit: *Epiſcopatus Maravienſes nec ab Joanne IX. neque ſucceſſore ejus Benedicto IV. cognoſci ſuppreſſos*, Pagius ait.

Hanſiz. Germ. ſacr. T. I. p. 160.

Tertio num Joannes Archiepiſcopus, cujus in priore epiſtola mentio fit, ſit Joannes ille Venetus, quem diverſas legationes obiiſſe alias oſtendimus, nihil teſtatum eſt. Graviſſime autem circa hunc Joannem hallucinatus eſt Auguſtinus Moravus in ſerie Epiſcoporum Olomucenſium, cujus authoris criſis paſſim recepta eſt a Moraviæ ſcriptoribus. Ille itaque unius ſoliusque hujus Joannis Moraviæ Epiſcopi mentionem facit his temporibus, aitque eum ſedem Epiſcopalem ſeu in Poleſſowitz ſeu Kunowiez conſtituiſſe, atque poſtquam S. Methudius anno 907. fuiſſet demortuus, & Epiſcopalis ſedes quinque annis vacaſſet, hunc Joannem ſucceſſiſſe, per 16. annos Eccleſiæ Moravienſi præfuiſſe, adeo ut ejus regimen in tempora S. Wenceslai & Ottonis I. reciderit, quæ quam modis omnibus cum ſupra allatis pugnent, quis non videt? ceterum quod haud injurie Bajoariis Franciſque Moravi diſcordias domeſticas objecerint, audire libet Salomonem Conſtantienſem Epiſcopum coævum in carmine ad Dadonem ita canentem:

Diſ-

Discordant omnes, Præsul, Comes, atque phalangæ,
Pugnant inter se concives, contribulesque.
Quid non? cognatos etiam discordia pungit,
Provocat in Martem frater concurrere fratrem.
Qui defensores patriæ populique fuisse
Debebant, aliis constant occasio litis.

Bibl. Max. Patrum T. XVI. p. 1301.

Denique quod in hac epistola minantur Bojoariæ Episcopi: *Velint nolint* Moravi, *Francorum Principibus colla submittent*, haud evenit, Hungaris Moraviæ regnum evertentibus, & ipsum Bajoariæ Regnum in summum discrimen adducentibus. Id tamen quod isthic minantur, etiam hoc anno rursum periclitari ausi sunt. De quo jam

II. Continuator Annalium Francofuldensium ad hunc annum: *Bajovarii per Boemanniam, ipsis secum assumtis, cuncti per tres hebdomadas devastantes inruperunt. Tandem cum omni prosperitate domum reversi sunt.* Hermannus Contractus simillima narrat: *Bajoarii per Bohemanos transeuntes, ipsis secum assumtis, Marahensem item devastant regionem.* Nec fortassis injurie Hansizius novæ hujus in Moraviam susceptæ expeditionis causam in Theotmarum Archiepiscopum Salisburgensem, quem supra in epistola sua contra Moravos minaciter fulminantem audivimus, transfundit. Sic vero hic doctissimus Vir: *Potentiam, qua Theodmarus Archicapellanus in palatio pollebat, ad comprimendos continuo Moravos contulit. Ferunt cum cum Leupoldo Marchione signa in Moraviam intulisse anno ipso noningentesimo. Verum præcipitatos in insidias clade trecentorum referre pedem coactos. Hujus belli perobscure meminere Chronographi Germani, disertiores sunt Moravici, in quibus Pessina l. 2. Martis Morav. c. 7.* Sed de clade hac, & insidiis, in quas Bajoarii incidisse dicuntur, silent veteres, quin contraria sunt relatis Annalium Francofuldensium, qui ajunt Bojoarios *cum omni prosperitate* reversos. Num vero Hansizius in Pessinæ hujus anni narratis magnum sulcrum repererit, dubito: nam is, ut omnia produnt, nonnisi conjecturis verba Annalium Francofuldensium locupletavit, tantaque fiducia tribus sat prolixis paragraphis expeditionem hanc narrat, ut si rebus gestis ubivis interfuisset, haud tanta accuratione scribere potuisset. Porro hoc eodem loco dubitat Pessina, nec sibi credibile autumat, ut Borzivogii copiæ in hac Bojoariorum expeditione cum Boemis fuerint propter beneficium acceptæ a Moravis religionis: *Ingratum* (inquit) *certe se ostendisset Borzivogius.* At vero supra copiose ostendimus:

Apud Canis. ad h. a.

Hansiz. Germ. sacr. T. II. p. 141.

Pessina Mart. Morav. p. 218.

Borzivojum his temporibus jam ſua vita cautum fuiſſe, ſeu gubernaculis ultro ceſſiſſe, nec uſpiam teſtatum eſſe, num Spitigneus filius Chriſti fidem jam amplexus ſuerit, quin plane contraria erui ex vetuſtiſſimis ſcriptoribus. Id certum habemus indubitatumque jam anno 895. Spitigneum & Wratislaum contemto Moravorum foedere ſe ſe Arnulpho ſociaſſe, eique etiam poſtea queſtos de eorundem tyrannide, ut ſuperioribus annis docuimus. Ceterum quemadmodum Peſſina nimis multum accollit hoc anno res Moravorum, ita contra Sigismundus Calles plurimum depreſſit, cum ſcribit: *Repreſſi ubique Moravi, & hoſte e munitioribus locis nusquam prodire auſo, per ſtrages & populationes menſe non integro tota pene Moravia in ſolitudinem data.* Quo pacto enim & qua celeritate Bajoarii intra tres hebdomadas tam vaſtum regnum Moraviæ, quod vel ultra Danubium 80. & ultra milliaria ſua longitudine æquabat, latitudine autem ipſis Carpathiis montibus claudebatur, in ſolitudinem redigere potuiſſet, dormiente cum ſuis Moravis Moymiro, haud video? Procul dubio non aliam ob cauſam hæc trium hebdomadarum qualis qualis expeditio Bojoariis ad votum cecidit, quia rurſum Moravi redeuntibus ex Italia Ungaris ex Dravi ſiniſtro litore eorum motus ſpeculabantur, irruptionemque in terras ſuas remorati ſunt, quare Hungaros in Bajoariam figna ſua hoc ipſo anno, atque poſt hanc contra Moravos ſuſceptam expeditionem, convertiſſe jam legimus.

Annal. Auſtr. l. 4 p. 219.

III. Principium irruptionis Hungaricæ in Bajoariam his verbis narrat Luitprandus: *Poſtquam vitalis calor Arnulfi Regis membra deſeruit, corpus reddidit exanime: ejus filius Ludovicus Rex cunctis a populis ordinatur. Tanti denique caſus viri vicinos Hungaros, ſicut nec in toto orbe degentes latere non potuit. Siquidem lethi hujus fama fuit ipſis omni feſtivitate jocundior, gratiis omnibus præſtantior: quid igitur? primo mortis hujus, natique ejus ordinationis anno, permagno collecto exercitu, Maravanorum gentem, quam virtutis eorum adminiculo Rex Arnulfus ſubdiderat, ſibi vendicant, Bajoariorum etiam fines occupant, caſtra dirumunt, Eccleſias conſumunt, populos jugulant, & ut magis magisque timeantur, interfectorum ſe ſanguine potant &c.* Quanquam in eo falſus Luitprandus ſcriptor Italus, cum ab Arnulpho ſubjectos ſcribit Moravos, ac primum eosdem laceſſitos ab Hungaris, cum id prius acciderit Bajoariis. Rem certius & verius prodidit Continuator Annaliam Francofuldenſium coævus, qui irruptionis hujus, præliique poſtea geſti hiſtoriam copioſe ad hunc annum deſcribit: *Interim vero* (nempe dum Bajoarii Moraviæ vaſtatione occupantur) *Avari, qui dicuntur Un-*

Luitprand. l. 2. c. 1.

Annal. Fuld. ad h. a. Annaleſt. Vindob. T. I.

54

gari, tota devaſtata Italia, ita ut occiſis Epiſcopis quam plurimis, Italici contra eos depellere molientes, in uno prælio uno die ceciderint XX. millia. Ipſi namque eadem via, qua intraverant, Pannoniam (illam ſcilicet, quæ inter Dravum & Savum ſita adhuc Bojoariorum imperium reſpiciebat, & cujus maximam partem Brazlavo Slavorum Dux procurabat) *ex maxima parte devaſtantes, regreſſi ſunt. Miſſos illorum ſub dolo ad Bajoarios pacem optando, regiones videlicet ad explorandum transmiſerunt. Quod, proh dolor! primum malum, & cunctis retro tranſactis diebus inviſum damnum Bajowarici regni contulit. Igitur ex improviſo cum manu valida, maxime exercitu ultra Anaſum fluvium regnum Bajowaricum boſtiliter invaſerunt, ita ut per quinquaginta miliaria in longum & in transverſum igne & gladio cuncta cædendo & devaſtando jam uno die proſtraverint. Quod comperientes ulteriores Bajowarii, dolori compulſi e contra feſtinare diſponunt: ſed hoc Ungari præcognoſcentes, cum his, quæ depradaverunt, redierunt, unde venerunt ad ſua in Pannoniam. Interim vero quædam pars de exercitu illorum de Aquilonari parte Danubii fluminis partem illam devaſtando prorupere. Quod ut Luitpoldo Comiti compertum foret, moleſte hoc patiendum ferens, contra exiſſe cum quibusdam Primoribus Bajowariorum, una tantum Richario Patavienſis ſedis Epiſcopo comitante, ultra Danubium eos in ſequendum ſe tranſpoſuit. Conſertoque illico cum iis prælio nobiliter dimicatum eſt, ſed nobilius triumphatum. Nam in prima congreſſione belli tanta Dei gratia Chriſtianis occurrit, ut MCC. gentilium inter occiſos, & qui ſe in Danubio merſerant, peremti inveniantur. Vix tantum unum de Chriſtianis occiſum in apparatu belli invenimus. In eodem loco poſt victoriam celitus datam congreſſi clamore magno in cælum, inde Deo gratias clamantes, ferebant, qui non in multitudine hominum, ſed miſericordiarum ſuarum pietate liberat ſperantes in ſe. Tandem læti poſt tantam victoriam ad ſocios, unde venerant, regreſſi ſunt, & citiſſime in id ipſum tempus pro tuicione illorum regni validiſſimam urbem in litore Aneſi fluminis muro oppaſuerunt. Quo peracto unusquisque redierunt in ſua.*

Brevioribus rem abſolvit Compendiator horum Annalium Hermannus Contractus, breviſſime his verbis Hepidanus Monachus S. Galli: *Norici cum Agarenis* (Hungaris) *pugnaverunt, & partem ex eis ciderunt.* Ex his jam habemus: Ungaros hoc anno ex Italia regreſſos declinaſſe Moraviæ regnum, quod procul dubio occupata Dravi ripa tuiti ſunt Moravi, atque ſe ſe præter opinionem in Bajoariæ Regnum ultra Anaſum fluvium infudiſſe, quasdam etiam eorum cohortes Danubium transgreſſas, quæ ibidem in Comitatibus Bajoaricis inter Rhegini & Kamp fluminis oſtia a Luitpoldo Comite cæſæ ſunt. Hungaris tamen hanc, qualem qualem cladem haud magno damno fuiſſe probant conſequentium

Apud Caniſ. ad b a. Apud Cheſnium T. III.

annorum progressus, quos tum adversus Moymirum Moraviæ Ducem, tum ipsos Francos Bajoariosque fecere. Porro cum dicantur rediisse in Pannoniam, nullus jam dubito eos cisdanubianas magnæ Moraviæ terras, quæ in eadem Pannonia sitæ erant, hoc ipso anno infestasse, aut jam plane occupasse. Nam Hermannus Contractus ad hunc ipsum annum scribit: *Ungarii hostes novi - - - Pannonias depopulatas occupant.* Per quas depopulatas Pannonias haud aliæ intelligi possunt, quam eæ, quas superior epistola Episcoporum Bajoariæ à Moravis depopulatas fuisse queritur, & in quibus novos Episcopatus non pridem Moymirus resuscitavit. Verosimillimum itaque est Moymirum, cum videret jam depressam Bajoariam, atque sub tributum missam, totisque viribus in se incumbentes Hungaros, copias suas trans Danubium transduxisse relicta spoliis hostium Pannonia sua inter Danubium & Dravum sita. Nempe jam animo pacem cum Bajoariis meditans, speransque, ut opportuniori tempore adunatis utrinque viribus Hungari reprimantur & conterantur. Porro quod ad urbem *in litore Anisi fluminis* hoc anno a Bajoariis finium tuendorum ergo excitatam attinet, ea Anasburgum vocatur a Sigismundo Calles, & prope rudera veteris Laureaci exstructa dicitur. Eam sequente anno Kalend. Februarii a Ludovico Rege donatam fuisse ad ædem S. Floriani legimus in ejusdem diplomate.

Apud Canis. ad h. a.

Annal. Austr. p. 225. Gevold. in addit. Hund. T. I. p. 234.

IV. Jordanus noster recuperatam hoc anno Lusatiam adstruit. Nam cum Hostiviti tempore eam ex calculo Pessinæ a Boemia avulsam crediderit, hoc anno ad nexum Boemiæ rediisse asseverat. Jordani ex scriptoribus Lusatiæ hæc sunt verba: *De tempore recuperationis Frencelius in nomenclatore utriusque Lusatiæ verbo Budissa T. II. script. Lusat. sic loquitur: „ Acvedis, quod annum adeptio a Bohemis Lusatiæ Bartholomæus Scultetus Gerlicensis ultique DCCCC. post natum Christum subductis rationibus faciant. „ Sorabi itaque, cum res Francia post mortem Arnulphi ad infantem recidisset, & spem nullam duraturæ Francorum gloriæ darent, populoribus suis Bohemis pro communi libertate tuenda se adunarunt. Integer nexus is usque ad primum Saxonicæ stirpis Imperatorem Henricum Aucupem tenuit.* Verum errarunt nonnihil in calculo Lusatiæ scriptores, dum hoc præsenti anno adscribunt; quod annis facile 20. prius illis statuendum fuit. Vix enim alio loco hunc Lusatiæ cum Boemia nexum, quam ex Ditmaro a nobis crebrius citato hauserunt, cum dicit: *Bohemi Suatopluco Duce quondam Principes fuere nostri. Huic a nostris parentibus quot annis solvebatur census, & hic in sua regione Mahren dicta Episcopos habuit. Quæ omnia hoc & sui succes-*

Jordan. Orig. Slav. c. 29. §. 53. Pessina Rud. 3. p. 130.

Ditmarus l. 6.

so-

seres propter arrogantiam perdiderunt. Quo loco Ditmarus ad Suatopluci tempora, ejusque imperium supremum, quod in Bohemos etiam certa ratione habuerat, se revocat, sed eum jam anno 894. mortem oppetiisse, & multo prius hanc in vicinas gentes dominationem assecutum superioribus annis ostendimus. Verum posteaquam Bohemi mortuo Suatopluco se se penitus a Moraviæ nexu sciderunt, rursumque Bajoariis sociarunt, vix dubium est, id etiam fecisse Lusatas aliosque Slavicos populos, quare a Suatopluci morte rursum Sorabornm Obodritarum aliarumque Slavicarum rerum publicarum legationes & munera missa ad Francorum Reges leguntur. Quæ quidem Imperii Slavici dismembratio non modo Moraviæ regno, sed omnibus pene aquilonaribus Slavis posterius exitio fuit. Nam si illi perpetuo in hoc nexu perstitissent, hostibusque exortis causam communem fecissent, semper Hunganorum & Germanorum viribus retundendis pares fuissent, nec Sorabi, Glomaci, Suisli, Dalemincii aliique harum regionum Slavicæ gentes ex universa vetere Sorabia ultra Albim, postea etiam longinquius ab Henrico aucupe aut Ottonibus fuissent remotæ. De Lusatis vero, quod Bohemiæ subjecta fuerit, non habemus indubitata documenta ante Wratislai Regis nostri tempora, cui ab Imperatore tandem fuisse concessam suo loco docebimus.

V. Hujus quoque generis est, quod Hammerschmid de fundata hoc anno a Borzivojo Capella Omnium Sanctorum in monte Suillo seu hodierno castro Pragensi ex quodam Ms. Capituli Regiæ Capellæ Omnium Sanctorum exscripsit. *Borzivojus primus Bohemorum Dux post conversionem suam anno Domini 900. hanc Capellam omnium sanctorum primus fundavit, eandem S. Cyrillus Bohemorum Apostolus consecrasse, & Borzivogius multum dotasse dicitur.* Sed recte hoc Ms. (quod ætatem duorum sæculorum vix quidem tulerit) se se ad incertos rumores revocat, cum ait; *dicitur.* Nam neque S. Cyrillus unquam ingressus Boemiam, nec is ad hunc annum superstes fuit, 18. minimum annis præmortuus. Ceterum primas hujus Regiæ Capellæ ligitimas memorias reperimus anno 1271. in Jaroslai, ita passim appellato MC. & Viennæ ab Illustrissimo Comite de Kolowrath publicato, in quo cum ad dictum annum obitus Viti Decani Pragensis ejusque laudes fuissent memoratæ, subjungitur: *Induxit etiam idem Dominus Decanus Czieczonem Judicem totius Regni Bohemiæ* (quem Rosenbergium nostri faciunt) *ad construendam Ecclesiam omnium sanctorum, quæ sita est in exitu claustri versus Curiam Regalem, quæ Ecclesia* adi-

Glor. Prag. c. 6. p. 339.

Chron. Jarosl. p. 151.

ædificata est procurante & conducente lapicidas, & alios operarios eodem Beunio usque ad perfectionem operis prænotati. In qua instituti sunt duo presbyteri ad officiandum, quibus etiam provisum est in agriculturis, & in data mobili & immobili, & hominibus censualibus in duabus villis videlicet Dyrbkow & Visin.

Hagec. ad An. 1263. Hagecius vero noster ait eandem capellam consecratam esse anno 1253. ab Episcopo Joanne. Quare utrum prius ithic aliqua Capella steterit, de qua Jaroslaus & Hagecius altum tacent, multum dubito. Primum *Pessina Phosph. sept. Rad 3. Berghauer. Proto-Mart. Penis c. 7. p. 286. P. Victor. Mss. T. II.* id asserentem deprehendi Pessinam, quem postea secuti Hammerschmid, Berghauerus, & noster P. Victorinus. Illustria diplomata hactenus nusquam publicata hujus Regiæ Capellæ suis locis proferemus ex MC Universitatis Pragenæ.

ANNUS 901.

Per id tempus Borzivojus Bohemiæ Dux ædiculam Divæ Virginis ante Lætam Curiam ad fastigium perduxerat, quam præsens Cyrillus Welehradensis Episcopus ipso assumtæ Matris Dei festo die solemni ritu dedicavit. (a) Adfuit his ceremoniis Borzivojus, Ludmilla, filii, & cum omni aula palatina ingens Christianorum numerus. Difficile assertu est: prævalueritne pietas an lætitia in hujus sacelli consecratione? quæ præterea hunc rei Christianæ fructum tulit, ut multi ethnicorum Christo nomen dare, baptismique undas flagitarent.

Dedicatio Ecclesiæ Teynensis.

Eodem anno indicta sunt Christianis comitia, cautumque, ne ethnicis ad ea accessus esset. Borzivoji ad circumfusam concionem ea erat gravissima ab argumentis oratio, ut Christianis arcium vetustarum restaurationem, novarumque molimen persuaderet. Nam exploratum sibi esse ajebat: populares ethnicos & cumprimis Luzanos seu Satecen-

Comitia prima Christianorum.

ses

ſes bellum meditari adverſus Chriſti gregem, excidiumque minari. Ad hæc Slavibórum Biſſovenſem Borzivoji ſocerum omnium nomine reſpondiſſe ferunt: „Illuſtris Prin„ceps morem tibi quidem omnes geſturos puta, exacuen„damque univerſorum operam in condendis muniendisque „arcibus. At nemo noſtrum omnium videt, quid ab ho„ſtibus pertimeſcendum ſit, quandoquidem ſpes noſtra „quanta quanta in Chriſto eſt repoſita, hunc nos unum quo„vis muro ac munitione contra quosvis inimicorum inſul„tus valentiorem deputamus. „ Delectatus eſt magnoopere Princeps hac Chriſtiana ſuorum fiducia, confirmatosque in pietate domum unumquemque dimiſit. (b)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCI.

BENEDICTI IV. PAPÆ 2. LUDOVICI III. IMP. 2. SPITIGNÆI 7. TUTONIS Ep. Ret. 8.

(b) Hoc Chronologico circa geſta S. Cyrilli errore peccat continuo Hagecius, pluresque poſteriores in erroris communionem pertraxit, adeo ut non dubitaretur rem tanquam certiſſimam in propyleo templi Teynenſis exſculptam proponere cum hac inſcriptione:

Hanc ædem
Quam honori unius Dei ac Trini
Nec non Beatiſſimæ Matris in Cœlos aſſumtæ
Ante Lætam Curiam
Borzivogius primus Bohemorum Dux Chriſtianus
A. DCCCLXXXVIII. religioſe fundavit

Di-

Divus Cyrillus
Primus Bohemiæ Apostolus
A. DCCCCI. religiosissime sacravit.
Pia Veteris Pragæ Posteritas
A. MCCCCVII. magnifico opere ampliatam
In Basilicam Archi-Presbyteralem erexit.
A. MDCLXXIX. IV. Nonas Junias
Inter horam IX. & X. Noctis
Fatale fulmen
In supremæ eminentem turriculam illapsum
Per intima tecti incendio diffuso
Magnifici fornicis lapsu
Perfractis sepulchrorum monumentis prope evertit.
Amplissimus Veteris Urbis senatus annuentibus senioribus
Urbis
Ære Divæ Virginis proprio
Et facto per testamentum Divæ Matri liberali legato
Nob. & Generosus Wladyka Paulus Adalbertus Had de
Profecze
Civis Vetero Pragensis
Veteri magnificentiæ & nitori
Pia munificentia restituit
Anno
a Magna peste tVrbI InfaVstæ & eXItIaLI faCVnDo.
id est 1681.

(b) Horum Comitiorum nemo ante Hagecium meminit.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Lacessiti bello ab Hungaris superiore anno Bajoarii, Moravi etiam ab iis magno Pannoniæ tractu exuti, tandem, sed sero sensere, quid mutua dissensio hosti tam metuendo virium audaciæque adderet. Quare de pace concilianda utrinque cogitatum, quod Continuator Annalium Francofuldensium his verbis perscribit: *Generale placitum Radisbona civitate habitum est. Ibi inter alia missi Maravorum pacem optantes pervenerunt. Quod mox, ut petiverunt, complacuit, & juramento firmatum est. Inde ob hoc ipsum Richarius Episcopus* (Pataviensis) *& Udalricus* (Leibnitii Codex habet: *Waldaricus*) *Comes Maruhaha missi sunt, qui eodem tenore, ut in Bajoaria firmatum fuit, ipsum Ducem* (Moymirum) *& omnes primates ejus eandem pacem se servaturos juramento constrinxerunt.* Impletum nempe tandem est Bajoariorum desiderium, quod Episcopi superiore epistola his verbis indigitabant: *Pacificari cum eisdem Schlavis* (Moravis) *teste Deo multum desideravimus, promittentes eis propter Deum omnipotentem ad perfectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque acta, & omnia reddere, quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis* (nempe Hungaris) *securos nos redderent.* Neque vero solum Moravis sed etiam Isanrico, qui nuperrime eis partem superioris Pannoniæ eripuerat, Moravorumque clientelam amplexus erat, hanc reconciliationem impenderunt. Nam scribit Hermannus Contractus: *Eodem anno Mormarus* (Moymirus) *Dux Marahensis & Isanricus Noricus Comes, qui ad ipsum transfugerat* (nempe anno 899.) *cum Ludovico Rege pacificati sunt.* Seu ut habet Pistorii editio: *Moimarius & Isanricus cum Rege pacificantur.* Hæc duarum gentium pacificatio quin mutua in Hungaros convertenda arma spectaverit, nullum est dubium, & paulo infra ex utriusque expeditione & præliis testatum fiet. Verum nescio, quid velit Clarissimus Assemanus, dum narrata hac inter Ludovicum & Moymirum reconciliatione subjungit: *Pax inquam inter Germaniæ Regem, & inter Moraviæ Principes fuit, non tamen inter Bojoariæ Episcopos, & inter Episcopos Moraviæ. Theotmarus enim Juvavensis sive Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus una cum Suffraganeis Valdone Frisingensi, Erchenpaldo Eystatensi, Zacharia Sebonensi, Tuttone Ratisbonensi, & Richario Pataviensi in literis ad Joannem IX. Papam anno 900. datis querebatur, ut supra dixi, quod Archiepiscopus in Moravia cum tribus Suffraganeis Episcopis institutus fuisset.* Epistola hæc cum, vel ipso fatente Assemano, data sit anno superiore, atque idcirco ante pacem hanc utriusque gentis initam, nihil argumenti prorsum præbere potest: pacem

Analect. Vindob. T. I. p. 530.

Script. Brunsv. T. I. p. 192.

Apud Canis. ad h. a.

Herm. Contr. ad h. a.

Assemani. T. III. P. 2. c. 9. p. 305.

Divus Cyrillus
Primus Bohemiæ Apostolus
A. DCCCCI. religiosissime sacravit.
Pia Veteris Pragæ Posteritas
A. MCCCCVII. magnifico opere ampliatam
In Basilicam Archi-Presbyteralem erexit.
A. MDCLXXIX. IV. Nonas Junias
Inter horam IX. & X. Noctis
Fatale fulmen
In supreme eminentem turriculam illapsum
Per intima tecti incendio diffuso
Magnifici fornicis lapsu
Perfractis sepulchrorum monumentis prope evertit.
Amplissimus Veteris Urbis senatus annuentibus senioribus Urbis
Ære Divæ Virginis proprio
Et facto per testamentum Divæ Matri liberali legato
Nob. & Generosus Wladyka Paulus Adalbertus Had de Prosecze
Civis Vetero Pragensis
Veteri magnificentiæ & nitori
Pia munificentia restituit
Anno
a Magna peste trIVrbI InfaVsto & eXItIaLI seCVnDo.
id est 1681.

(b) Horum Comitiorum nemo ante Hagecium meminit.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Lacessiti bello ab Hungaris superiore anno Bajoarii, Moravi etiam ab iis magno Pannoniæ tractu exuti, tandem, sed sero sensere, quid mutua dissensio hosti tam metuendo virium audaciæque adderet. Quare de pace concilianda utrinque cogitatum, quod Continuator Annalium Francofuldensium his verbis perscribit: *Generale placitum Radisbona civitate habitum est. Ibi inter alia missi Maravorum pacem optantes pervenerunt. Quod mox, ut petiverunt, complacuit, & juramento firmatum est. Inde ob hoc ipsum Richarius Episcopus* (Pataviensis) *& Udalricus* (Leibnitii Codex habet: *Waldaricus*) *Comes Maruhaba missi sunt, qui eodem tenore, ut in Bajoaria firmatum fuit, ipsum Ducem* (Moymirum) *& omnes primates ejus eandem pacem se servaturos juramento constrinxerunt.* Impletum nempe tandem est Bajoariorum desiderium, quod Episcopi superiore epistola his verbis indigitabant: *Pacificari cum eisdem Sclavis* (Moravis) *teste Deo multum desideravimus, promittentes eis propter Deum omnipotentem ad perfectum indulgere omnia mala contra nos nostrosque acta, & omnia reddere, quæ de suis nostros constaret habere, quatenus ex illis* (nempe Hungaris) *securos nos redderent.* Neque vero solum Moravis sed etiam Isanrico, qui nuperrime eis partem superioris Pannoniæ eripuerat, Moravorumque clientelam amplexus erat, hanc reconciliationem impenderunt. Nam scribit Hermannus Contractus: *Eodem anno Mormarus* (Moymirus) *Dux Marabensis & Isanricus Noricus Comes, qui ad ipsum transfugerat* (nempe anno 899.) *cum Ludovico Rege pacificati sunt.* Seu ut habet Pistorii editio: *Moimarius & Isanricus cum Rege pacificantur.* Hæc duarum gentium pacificatio quin mutua in Hungaros convertenda arma spectaverit, nullum est dubium, & paulo infra ex utriusque expeditione & præliis testatum fiet. Verum nescio, quid velit Clarissimus Assemanus, dum narrata hac inter Ludovicum & Moymirum reconciliatione subjungit: *Pax inquam inter Germaniæ Regem, & inter Moraviæ Principes sancita fuit, non tamen inter Bojoariæ Episcopos, & inter Episcopos Moraviæ. Theotmarus enim Juvavensis sive Salisburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus una cum Suffraganeis Valdone Frisingensi, Erchenpaldo Eystatensi, Zacharia Sebonensi, Tuttone Ratisbonensi, & Richario Pataviensi in literis ad Joannem IX. Papam anno 900. datis querebatur, ut supra dixi, quod Archiepiscopus in Moravia cum tribus Suffraganeis Episcopis institutus fuisset.* Epistola hæc cum, vel ipso fatente Assemano, data sit anno superiore, atque idcirco ante pacem hanc utriusque gentis initam, nihil argumenti prorsum præbere potest: pacem

Analect. Vindob. T. I. p. 530.

Scriptt. Brunsv. T. I. p. 392.

Apud Canis. ad h. a.

Herm. Contr. ad h. a.

Assemani. T. III. P. 2. c. 9. p. 305.

non etiam inter Episcopos Bojoariæ & Moraviæ coaluisse. Imo cum Richarius Episcopus Pataviensis cum Udalrico Comite ad Moraviam missus fuerit ad pacem juramento firmandam, alterque eorum ex ordine Ecclesiastico, alter ex Politico fuerit, haud vane suspicari licet pacem non modo inter Regem & Ducem, sed etiam Episcopos Bajoariæ & Moraviæ conciliatam fuisse, ita ut priores quali quali demum juri suo diœcesano renunciaverint, quo unitis viribus Hungarorum irruptionibus resisti posset. Quare etiam quatuor Episcopatus in Moravia perstitisse usque ad universalem Regni Moravici eversionem in epistola Pilgrini Laureacensis Ecclesiæ Episcopi leguntur. Hæc vero cum Bajoariis inita pax prorsum exitium Moymiro attulit, nam ea irritamento fuit Hungaris, ut non quiescerent prius, quam ejus universum Regnum everterent, ut paulo post videbitur.

Tom. XI. Concil. p. 958.

II. Retrogressi superiore anno per Anisum fluvium Hungari perque *Pannonias depopulatas* diffusi hoc anno in Carinthiam irruperunt, quod Continuator Annalium Francofuldensium narrata pace inter Bojoarios & Moravos inita his verbis refert: *Interdum vero Ungari Australem partem regni illorum Carantanum devastando invaserunt.* Ungaros vero sub hanc irruptionem in Carinthia fuisse prælio fusos docet Hermannus Contractus ita scribens: *Ungarii Carentanum petentes commissa pugna victi, cæsique fuerunt.* Editio Pistoriana Hermanni Contracti etiam diem cladis prodit: *Hungari Carentaniam invadunt, & in Sabbatho commissa pugna occiduntur.* Chronicon S. Pantaleonis & Chronographus Saxo plane indigitat, qualenam istud Sabbathum fuerit: *Ungari Charentaniam invadunt, & commisso in Sabbatho Paschæ prælio occiduntur.* Scilicet absente Ludovico Rege, qui teste Continuatore Francofuldensi hoc anno Pascha Domini in Francia celebravit. An vero ad hunc annum pertineat, quod de Carinthiæ invasione scribit Dandulus Venetiarum Dux, nullus scio: ita vero loquitur: *Postea dum* (Hungari) *Carinthiam invadunt ultra castrum Leopater, Moraviæ Dux Gotifredus Duxque Heberardus cum Aquilegensi Patriarcha illis occurrunt. In eo prælio uterque Dux occiditur, Patriarcha vero fuga salvatus est.* Quis ille Gotifredus Moraviæ Dux sit, omnibus incognitum. Sed verosimillime *Moraniæ* seu hodiernæ Tyrolis Dux fuit. Nam Dubravius noster Alpium Principem vocat, sic vero ille: *Ubi a Principibus alpium illarum Gotefridō, Erhardo, Tyrolo, & a Gregorio Aquilegensi Patriarcha male mulctati retro ad sedes suas cum ignominia redire coacti sunt.* Cæsi igitur a Bojariis Hungari Pannonias regnumque Moy-

Analect. Vindob. T. I. p. 529.

Apud Canis. ad h. a.

Ad h. a.

Ad An. 902.

Analect. Vindob. T. I. p. 539.

Dandul. edit. Murator. p. 199.

Dubrav. l. 5. p. 36.

Moymiri repetivere, sed eum jam jam cum copiis Danubium transgressum reperere, qui eos haud aliter atque Bajoarii pessime accepit, nam post narratam Carinthiæ invasionem, pacemque inter Moravos Isanricum & Bajoarios factam subjungit Hermannus Contractus: *Ungarii Marahenses petunt, pugnaque victi terga verterunt.* Bis namque hoc anno victi Hungari: in Carinthia a Bajoariis, in Moymiri regno a Moravis. Non audiendus idcirco ad hunc annum Abbas Ursbergensis, qui prælium Ludovici Regis cum Ungaris ad fluvium Lichum narrat, verba ejus sunt: *Ludovicus gentis suæ depopulationem non ferens magno exercitu coacto juxta Lichum* (Lech flumen ad Augustam Vindelicorum) *fluvium cum eis pugnavit, & plusquam mille ex eis interfecit: quumque pugna usque ad horam septimam jam protraheretur, & Regis victoria æstimaretur, Ungari callidi positis ex adverso insidiis fugam simulant. Quos dum Regis milites, dolo ignari, impetu validissimo insequerentur, omni ex parte prodeunt insidiæ, & quasi victi ipsi victores interimunt. Rex ipse* (Ludovicus) *e victore se victum esse miratur, fitque illi non opinatus gravior casus. Ungari vero ut rabiem perfidiæ suæ satiarent, Bojoariorum, Suevorum, Francorum Regna percurrunt, cunctaque vastando incendunt.* Quem errorem Abbas Ursbergensis ex Luitprando hausit, qui hoc Ludovici bellum clademque ad Augustam & Lemanum fluvium statim ab occupato ejus imperio iisdem circumstantiis præliique eventu narrat. Sed jam recte animadvertit Brunnerus in his incerta fama delusum fuisse Luitprandum, ac demum claudit: *Qua in re cum adversarios tot scriptores habeat, apud cordatos sane fidem non mereatur, auctor etiam alias sæpe vanitatis & ascitantiæ in assignanda maxime temporum certa ratione manifestus.* Imo postremum cavillatur Aventinum, quod Luitprandum excusaturus ex Augusta seu Augsburg Anasiburgum effingat, quasi ejus narrata ad Anasum fluvium non Augustam pertineant. Verum etsi contra Chronologiam peccaverit Luitprandus, perperam ante Ungarorum in Italiam irruptionem hanc Ludovici cladem referendo, tamen bellum ipsum tot circumstantiis ab authore pene coævo narratum præter temeritatis notam haud rejici potest, quodque facem præferente Sigeberto Gemblacensi tandem ad annum 904. spectare videtur, ubi de illo agemus.

Apud Contin. ad h. a.

Conrad. Ursberg. Abbas ad h. a.

Luitprand. l. 2. c. 1.

Annal. Boj. l. 2. P. 2. col. 92.

III. Chronicon Monasterii Mellicensis, quod Hieronymus Pezius T. I. Scriptorum Rerum Austriacarum publici juris fecit, ad hunc annum ponit mortem Borzivogii Ducis Boemiæ. Prænotat is in eruditissimis suis observationibus prævis: Chronicon hoc cœptum fuisse

Pag. 164.

anno 1123. & succedentibus dein sæculis per alios atque alios continuatum, subinde etiam veterioribus textibus alia & plerumque recentiore manu quædam tum adjecta tum interjecta, quæ ut a primis fontibus editor distingueret, ea sagacissime minori typo excudi fecit. Habetur vero Borzivogii mors eodem codice minutiori charactere notata, his verbis: *Borinoy* (Boriwoy) *Dux Boemorum moritur, Spitigneus filius ejus successit.* Quæ cum itaque recentiore manu adjecta sint, nec cognitum sit, quo fonte hausta, non existimo iis majorem fidem tribuendam esse quam Annalibus Hagecii, qui mortem Borzivogii ad annum 910. silentibus veterioribus omnibus defixit. Nobis perpetuo ob oculos obversatur candor animi Cosmæ in scribendo, dum fatetur se in Borzivogii filiorumque gestis nullam certam Chronologiam reperire potuisse, quod nec Clericorum nec Laicorum quispiam eam literis consignaverit. Et rectissime: nam ea quanta quanta horum temporum notitia haud aliunde habetur, quam ex veterioribus vitis SS. Cyrilli & Methudii, SS. Ludmillæ ac Wenceslai, quæ, si dies Martyriorum obitusque excipias, ex more illorum temporum omnibus notis Chronologicis carent.

ANNUS 902.

Cyrillus Episcopus vir vitæ sanctimonia summe conspicuus Pragæ clericos presbyteratus ordine insignit. (a) Subsequo die, qui Spiritus sancti memoriæ sacer erat, in Ecclesia ante Lætam Curiam vulgo Teyn super illo apud Lucam c. 4. Christi dicto: *Et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei:* ad frequentissimam Christianorum coronam supremum verba fecit. (b) Tum Principi omnique fideli populo valedicto, & S. Clementis assumto corpore inter prosequentium lacrymas Romam abiit. (c) Venienti Romam non aliud visum jucundius, quam conspectus Methudii germani fratris, iisdem pene diebus ab expeditione

S. Cyrillus in Teyn pro concione dicit.

Romam abit.

ne Evangelica, quam nuper adversus Croatarum, Bulgarorumque mendaces Deos secundo rerum exitu susceperat, in urbem delati. Prima amborum Episcoporum eaque gravissima erat consultatio, ut tempori prospiceretur de fulcimentis, quibus ea, quæ apud gentes Slavicas exædificari in Christi nomine ceperant, solidarentur. Metus enim angebat, ne seu ob ruditatem tenuemque numerum neophyti populi, seu ob ethnicorum malas artes omnia prolaberentur, atque idcirco uterque laborum fructu frustraretur. Quid igitur? summum accedunt Ecclesiæ caput, ac in amplissimo Cardinalium consessu postulant, uti Croatis, Bulgaris, aliisque Slavicis nationibus loco latini patrio sermone sacros Ecclesiæ ritus obire fas esset. (d) Id vero quo minus extemplo impetrarent, in causa fuit, quod rem novam insolentemque sine exemplo peterent. Tum Methudius Græco latinoque eloquio mirificus: „ Patres, inquit, „ an ignoratis „ Deum ore Davidis prolocutum: omnis spiritus laudet do„ minum, & gentium Doctorem ad Corinthios scripsisse: lin„ guis loqui nolite prohibere. Quid vetat, ut ne Slavi ea„ dem lingua sua Deum prædicent?„ cessit tandem tam luculentis sacrarum paginarum testimoniis sanctorumque fratrum precibus Pontifex, atque liberaliter indulsit, ut in regionibus Bulgariæ, Croatiæ ac Slavoniæ Missæ incruentum sacrificium, divinum officium, ceteræque Ecclesiæ ceremoniæ Slavica lingua dicerentur, canerenturve. (e)

Permittitur linguæ Slavicæ usus in sacr.s.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCII.

BENEDICTI IV. PAPÆ 3. LUDOVICI III. IMP. 3.

SPITIGNÆI 8. TUTONIS *Ep. Rat.* 9.

(*a*) Non dubitavit Lupacius hanc ordinum collationem ad Idus seu XV. Maji tanquam certam diem in Ephemeridibus suis defigere, quem postea secutus Weleslavinus in suo Kalendario, & Crugerius in sacris pulveribus; scilicet quod Hageeii supputationem indubiam judicarent. Nam anno 902. Pascha incidit in 28. Martii ac proinde Pentecoste in 16. Maji, & cum ordinatio pridie seu sabbatho accidisse credita fuerit, ea omnino fuit XV. seu Idibus Maji designanda.

Weleslav. in Kalend. ad h. diem. P. Victor. in Mss.

(*b*) E priore calculo Weleslavinus hunc sermonis habiti diem ad XVII. Calendas Junii seu 16. Maji, in quam omnino Pentecoste præsente anno incidit, reposuit. *Sunt* (inquit noster P. Victorinus) *qui perhibent, ex ea ipsa lapidea cathedra, quæ hodie in Teynensi Ecclesia ad sermones declamandos supereſt, S. Cyrillum ad populum dixisse.* Cui adjungere potuisset statuam S. Cyrilli vix sæculum ferentem hac inscriptione in eadem Ecclesia notatam: S. CYRILLUS LOCI HUJUS PRÆDICATOR. Ita nempe fabulæ ex fabulis seruntur. Satisfecimus procul dubio lectori, cum S. Cyrillum nusquam in Boemiam venisse supra invictis argumentis ostendimus.

(*c*) Quanto anachronysmo rerumque præposteta narratione lapsus sit in his Hagecius, patet ex nostris relatis ad annum 867.

(*d*) Hæc ad annum 868. pertinere eo anno ostendimus, ubi multo aliter ex vetustis narrata hæc lector reperiet.

(*e*) De indulto hoc Pontificio crebrius & copiose superioribus annis egimus, quibus locis omnia ea, quæ circa hoc controversa videri poterant, enodavimus.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

Cum anno superiore desiissent Annales Francofuldenses, qui hactenus prope unum solumque fundamentum historiæ patriæ fuerant, pauciores posthac & per summa compendia memoriæ de gente nostra & Moravis in aliis veterum Chronicis reperiuntur. Et quidem cum Ungari lapso anno binam cladem accepissent primum a Bajoariis, denum a Moravis, hoc anno rursum a Moravis cæsi leguntur, quod brevissime Hermannus Contractus editionis Pistorianæ his verbis narrat: *Hungarii a Mariis* (Maravis) *occiduntur.* Nisi dicere malimus eladem hanc non tam ad præsentem quam superiorem annum spectare, quo eam editio Canisiana, & ea, quæ habetur inter scriptores rerum Gallicarum & Francicarum rejicit. At vero Hungarorum nonnullos e præcipuis hoc anno versipelliter delusos a Bajoariis cæsosque haud obscurum est in vetustis Chronicis. Hepidanus enim ad hunc annum ait: *Agareni* (id est Ungari) *a Bajoariis ad prandium vocati, ubi Rex eorum Chussol occisus est, & alii quam plurimi cum eo.* Non nescio quidem complures doctos viros existimare in illis Hepidani verbis *ad prandium* mendum esse, legendumque *ad præliandum.* At præterquam quod incredibile sit Hungaros a Bajoariis ad præliandum vocatos, Chronicon S. Galli plane ostendit haud aliter vocem hanc quam *ad prandium* legendam esse, sic enim habet: *Ungares a Bajoariis ad prandium vocati plures occiduntur.* Ut idcirco vix dubium esse possit fabam quandam adversus Hungaros fuisse cusam a Bojoariis, præcipuosque illorum inter prandendum fuisse peremtos. Chussolum autem seu Cussalam Regem fuisse Hungarorum vix quidem defendi potest. Nam Porphyrogenitus, qui genealogiam Principum Hungariæ ad posteritatem transcripsit, hujus nominis non meminit. Quare eruditissime jam advertit Eximius P. Georgius Pray perperam hunc Cussalam, quem Græci Cusanem appellent, Regem appellari, cum minime ex Arpadi seu Ducum Hungariæ stirpe prodierit, nec majori dignitate quam Ducis militiæ insignitus censendus sit. Multo magis mirandus Aventinus, qui præter omnium veterum authoritatem ex his Hepidani verbis integram prælii historiam ad Phiscam amnem effinxit. *Hæc ubi*, inquit, *Cussol comperit, cedit, castra ad Phiscam amnem infra Viennam Austriæ cum Principibus suis locat. Luitpoldus partem exercitus Ugrorum adsequutus de improviso inopinatos adgreditur, primo impetu mille CC. in Danubium agit, præcipitat, atque submergit, ceteros in fugam dat, cædit, prosternit usque ad Presburg, nunc pri-*

Herman. Contract. ad h. a.

T. VIII. p. 249.

Chron. S. Galli ad h. a.

Annal. Hun. l. 1. P. 3. p. 343.

Aventin. Annal. Boj. l. 4.

mum

mam Ungariæ urbem, ubi trajecto Istro Cassolem cum suis victoria exultantem invadit, aciem perrumpit, turbat, regem cum maximo Procerum suorum numero ad superiorem amnem Phiscam interficit. Ita nempe author, qui specie & ostentatione veterum documentorum viros quosque perdoctos facile credulos deludere ausus.

II. Cum Hungaris alea in Bajoaria & Moravia minus dextere
Luitprand. l. 1. c. 11. caderet, rursum eam in Italia jaciendam esse constituunt, quod Luitprandus his verbis prodit: *Hungarorum interea rabies, quia per Saxones, Francos, Suevos, Bajoarios* (adde Moravos) *nequibant, totam per Italiam nullis resistentibus dilatatur.* Quam quidem novam Hungarorum in Italiam irruptionem ad hunc annum pertinere sentit cum non modica eru-
Asseman. T. III. P. 2. c. 5. p. 302. Pagius ad h. a. n. 13. Poeta Anon. in laudib. Berengarii Ang. l. 4. ditorum turba Clarissimus Assemanus, quæ scilicet Luitprando teste eo ipso anno accidit, quo Ludovicus Imperator a Berengario lumine oculorum privatus fuit. Nam cum præsente anno corruptis auro custodibus Berengarius clam in urbem Veronam fuisset receptus, Ludovicum securum inopinumque opprimens excæcavit. Ut idcirco contra plurimorum sententiam duplex Hungarorum in Italiam irruptio defigenda sit: prima anno 899. de qua & nos ad hunc annum jam egimus, altera præsente; quemadmodum eas recte dispescuit doctissimus Pagius.
Goldast. de reg. Boh. l. 2. c. 2. §. 32. Non igitur fidem meretur Goldastus, qui huic per Hungaros Italicæ vastationi irruptionem vastationemque Moraviæ, Boemiæ, Austriæ, Bojoariæque hoc anno substituit, imo Moymiri & Suatebogii cladem mortemque adnotat. Verba illius ex Spangenbergii Chronico Saxoniæ sunt: *Anno DCCCCII. referuntur Hungari per Moraviam in Boemiam irruisse, & occisis duobus gentis Principibus depopulataque regione in Austriam porro & Bavariam perrexisse.* Et rursum ex Aventino: *Posthæc Ugri specie societatis cum Bojis factæ Moravos hostes Bojorum invadunt, Moemarum & Suatebogum regulos prælio occidunt, Moraviæ partem sibi usurpant.* Quibus relatis aut nullus in historia locus aut certe posterior tempore concedendus.

III. Quanquam ubivis non vanus ab Hungarorum rabie metus
esset, tamen hoc anno haud Slavi quievere in Aquilone, nam Saxoniam infestasse in pluribus veteribus Annalibus leguntur. Brevissimis verbis id annunciat Chronicon Herveldense, Schafnaburgensis, &
Ad h. a. Annales Hildeshemenses: *Sclavi vastaverunt Saxoniam.* Qui Sclavi hi fuerint, & quæ causa motus bellici, nuspiam proditum, suspicari tamen li-

licet Sorabos & Bambergæ accolas fuisse, qui seu Rudolphi Episcopi Wirzeburgensis, seu Adalhardi & Henrici filiorum Henrici Ducis stirpis Babenbergicæ partes tuebantur. Nam jam anno 897. de minimis rebus ingentem inter hos ortam fuisse discordiam in multos annos protractam inquit Regino, & hoc ipso anno bellum inter eos exortum his verbis narrat: *Anno Dominicæ Incarnat. DCCCCII. Adalbertus cum fratribus Adalhardo & Heinrico collecta valida manu adversus Ebehardum & Gebelhardum & Rudolphum fratres ex castro, quod Babenbergk dicitur, prosiliens ad pugnam processit, cujus impetum viriliter excipientes ferro aciem irrumpunt, obvios quosque terræ prosternunt, nec ante desistunt, quam adversariorum agmen fugam inire compellant. In quo certamine Henricus interfectus & Adalhardus captus, & postmodum jussu Gebelhardi decollatus est. Ebehardus etiam multis vulneribus confossus in prælio cecidit, ubi finito conflictu inter cadavera occisorum a suis inventus domum reportatur, & paucis interpositis diebus & ipse moritur.* An vero hos inter Sorabos socia arma Boemorum, ut alias, fuerint, nihil compertum. *Regino ad h. a.*

ANNUS 903.

Per eos dies Methudius annuente summo Pontifice templum Divo Clementi Papæ & Martyri condidit. (a) Cyrillus vero Monachum S. Benedicti indutus, abjectis Pontificalibus infulis, reliquum, quod erat vitæ ejus, cucullatus ædis sacræ obsequio dicavit. (b) Vir sanctissimus non miraculorum magis, quam virtutum fulgore illustris. Cum vero animam efflavit, isthic sepulturam nactus est, ac postea in Divorum catalogum adscriptus. (c) Ab ea Ecclesia usque in hodiernum diem unus e Purpuratorum Patrum cœtu Cardinalis sancti Cyrilli titulum indeptus est. (d) *S. Cyrillus fit Monachus.*

Eodem tempore Romæ accidit, ut Stephanus sextus patricius Romanus in solium Pontificium eveheretur. (e) Is tam inimico infensoque in Præcessorem suum Formosum erat animo, ut non modo rescinderet omnia, quæquæ ab eo statuta comperiret, sed etiam humatum cadaver sepulchro protrahi, infulis Pontificalibus exui, horum loco laicis vestiri, sed & duos a dextra digitos resectos in Tiberim abjici, corpus denique communi coemeterio condi præciperet. (f) Quale facinus cum nusquam antea spectasset Roma, nemo erat, qui id non abhorreret, ac execraretur. Ea hominum irremissa objurgatio tandem meliores sensus Stephano indidit, ut is ultro se Pontificalibus abdicaret honoribus, severissimoque disciplinæ Monasticæ rigore delecto, vera pœnitentia reatum hunc expiaret. (g) Nec erubuit impetrata a suo Abbate venia crebro ad Formosi sepulchrum gemebundus accedere, id copiose stillantibus lacrimis rigare, imo & aliorum efflagitare preces, ut secum divinum numen deprecarentur, inque misericordiam instecterent.

Stephanus Papa Formosum e sepulchro protrahit.

Agit pœnitentiam.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCIII.
CHRISTOPHORI PAPÆ 1. LUDOVICI III. IMP. 4.
SPITIGNÆI 9. TUTONIS *Epis. Rat.* 10.

(a) Sancti Clementis Romæ Ecclesiam multo ante SS. Cyrilli & Methudii Romam adventum fuisse conditam testatur uterque vitæ scriptor a Bollandianis ad 9. Martii editus.

(b) Hæc ad annum 868. pertinent, quæ ibidem e legitimis documentis expendimus. Num S. Cyrillus regulam S. Benedicti profes-

sus

ſtis fuerit, apud veteres nullum indicium. Sunt, qui malint, eum S. Baſilii Monachum fuiſſe, eum hujuſce ordinis cœnobium Romæ exſtitiſſe certo conſtet, credibilius autem ſit S. Cyrillum ad Monachos Græcos quam latinos acceſſiſſe. Buccellinus nihilominus tam S. Cyrillum quam Methudium in Menologio ſuo ad 9. Martii inter ſanctos ordinis ſui recenſet. Nec illud uſpiam hactenus me legiſſe memini ad S. Clementis Eccleſiam Romæ cœnobium ordinis S. Benedicti ſtetiſſe.

(c) Hæc ad annum 871. proſecuti ſumus, quo ejus mortem ſpectare pluribus argumentis convicimus, ubi etiam de ejus ſepultura, translatione, ac reliquiis egimus.

(d) Petrus Joſephus Cantelius S. J. docet nomina titulis Cardinalium primum indita fuiſſe ab iis, qui prædia, aliaque, quæ ad cultum & victum opus erant, ſacerdotibus & diaconis regionum urbis dedere; dein vero titulorum appellationem ſeu a Martyribus, ſeu ſanctis, ſeu Pontificibus fuiſſe quæſitam, qui eruditiſſimus vir omnia eruderat, quæ circa hos titulos & Cardinalium originem, munusque ſcribi poterant, ubi legi poteſt. Num vero titulus S. Cyrilli jam ab hac ætate repeti tuto poſſit, nihil in veteribus proditum. *Mexrop. urb. hiſt. P. 2. diſſert. 5. p. 329.*

(e) Perperam Hagecius Stephani evectionem in Pontificale ſolium ad hunc annum repoſuit, quo Chriſtophorum Romanæ ſedi præfuiſſe conſtat. Stephanus vero jam annis abhinc 5. ſede motus eſt, nec mortem S. Cyrilli in ejus Pontificatum recidiſſe uſpiam legitur.

(f) Imo cadaver ipſum in Tyberim projectum fuiſſe patet ex ſynodo Romana, ubi dicitur: *Corpus illius* (Formoſi) *trahentes in fluvium Tyberim jactare non timuerunt.* Quod etiam narrat Luitprandus proximus illis temporibus, qui præterea miraculum recitat, quod accidit, cum ejus corpus à piſcatoribus fuiſſet inventum. *Quantæ autem, inquit, auctoritatis, quantæque fuerit religionis Papa Formoſus, hinc colligere poſſumus. Quoniam dum a piſcatoribus poſtmodum eſſet inventus, atque ad B. Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiam deportatus, ſanctorum quoque imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſaluturunt. Hoc namque a religioſiſſimis Romanæ urbis viris perſæpe audivi.* *Baron. ad An. 894. n. 12. Luitprand. l. 1. c. 8.*

(g) De hac pœnitentia & voluntaria Pontificatus renunciatione

Pagius ad An. 897. n. 6, silent veteres. Quin scribit Pagius: ad annum 897. *Ante mensem Octobrem* currentis anni *tanquam invasorem habitum fuisse, & successorem accepisse ROMANUM invicte docent duæ ejusdem Romani epistolæ a Baluzio in Appendice ad Marcam Hispanicam Num. LVIII. & seq. recitatæ.* Et prodit id etiam Stephani Epitaphium a Manlio prolatum:

Captus & a sede pulsus ad ima fuit.
Carceris interea vinclis constrictus, & imo
Strangulatus nervo, exuit & hominem.

Ejus acta contra Formosum postea in synodo Romana rescissa sunt, ut apud Pagium ad annum 898. legere est.

PRÆTERMISSA.

Baron. ad h. a. Alber. Chron. ad h. a. Eadem pene verba apponere libet, quibus annum hunc absolvit Eminentissimus Cardinalis Baronius: *Annus prorsus obscurus nulla rerum gestarum ad institutum spectante memoria illustratus.* Albericus quidem Monachus Trium Fontium ad hunc annum scribit: Ungarorum gentem barbaram per totam Italiam, Germaniam, Italiamque, ut feram tempestatem fuisse diffusam. At quin hæc ad annos plures, tum priores tum posteriores, pertineant, nemo non in re historica versatus dispiciet; ante annum certe 904. Ungari ultra Bajoariam progressi non sunt. Quod autem de Hungarorum gestis, certum est: deseruere illi seu anni superioris exitu, seu præsentis principio Italiam, tum quod Berengarius, ut Luitprandus scribit, sibi eos amicos conciliaverit, tum quod a Petro Duce Venetiarum cæsi fuerint, ut narrat Dandulus; qui quanquam victoriam hanc perperam ad annum 906. rejiciat, clarum tamen est eam ad annum priorem spectare, cui Ludovici excœcationem conjungit. Verba illius sunt: *Hoc tempore Hungarorum pagana, & crudelissima gens in Italiam veniens incendiis & rapinis cuncta devastans, maximam multitudinem hominum interficiens, nonnullos etiam captivos reservavit. Contra quos Berengarius Rex direxit exercitum XV. millium hominum, & pauci ex eis reversi sunt. Hungari vero pertranseuntes Tarvisium, Patavium, Brixiam, ceterosque fines Papiam & Mediolanum venerunt, & usque ad montem Jovis depopulantes cuncta. Hungari interea Venetias introgressi cum equis & pelliccis navibus primam civitatem novam fugiente populo igne concremaverunt, deinde Equilium, Finem, Clugiam, Caput Veneris incenderunt, litoraque maris depopulaverunt, verum etiam tentantes Rivoaltum, & Methamaucum ingredi per loca, quæ Albiola vocantur, in die passionis SS. Apostolorum Petri & Pauli. Petrus Dux*

Luitprand. l. 2 c. 14.

Dandulus in Chron. ad An. 906.

cum

cum navali exercitu Dei protectus auxilio prædictos Hungaros in fugam vertit. Fuit namque hæc persecutio in Italia anno uno continuo. Rex igitur Berengarius datis obsidibus ac donis, prædictos Hungaros retroccedere fecit cum omni præda, quam fecerant. Ut idcirco reditus eorum in Pannoniam verosimillime anni hujus principio acciderit. Et quanquam testatum nihil habeamus, quid Hungari post reditum suum in Pannonia moliti sint, suspicari tamen licet hanc novam in Pannoniam & Moraviæ regnum irruptionem pessime vertisse Moymiro Moravorum Duci, cum annis consequentibus status Regni Moravici semper in pejus reciderit, ac denique ad incitas redactus sit. Ad annum itaque hunc pertinere arbitramur, quod de occupata ab Ungaris Nitria narrat Anonymus Belæ Regis Notarius, ut jam transmisso Danubio in Aquilonarem Regni Moravici plagam Hungari signa transtulisse videantur. Argumenta, quæ persuadent id, anno hoc accidisse, sunt: 1) quod jam sequente anno Hungari ad Lechum usque fluvium evagati sint, quod haud tentare ausi fuissent, nisi jam a Moravis metu omni vacassent. Alterum est: cum idem Regis Belæ Notarius ubivis narret Boemos eorumque Ducem fuisse inter auxilia Moravorum, id vix quidem ante hunc ex Italia reditum accidere potuit, cum certum sit Boemos hostes fuisse Moravorum usque ad annum 901. quo Moravi pacem cum Ludovico Germaniæ Rege inierunt, ipsosque Hungaros illo & sequente anno a Moravis & Bajoariis clade affectos fuisse. Verba autem hujus primi Hungariæ scriptoris sunt, quem non ita pridem Clarissimus Vir Joannes Georgius Schwandtner inter scriptores rerum Hungaricarum T. I. ex Bibliothecæ Vindobonensis Mſ. codice protulit: *In eisdem temporibus*, inquit, Dux Arpad *dum se per militibus suos vidisset ita sublimatum & tutum esse, tunc habito inter se consilio misit multos milites in expeditionem, qui subjugarent sibi populum de castro Gumur* (hodie Gomorn) *& Nougrad* (hodie Neogradum ad fluvium Ypol) *& si fortuna eis faveret, tunc ascenderent versus fines Bohemorum usque ad castrum Nitra.* Narrato deinde expeditionis itinere subjungit: *Et quia divina gratia in eis erat, timuit eos omnis homo, & maxime ideo timebant eos, quia audierunt Ducem Arpadium filium Almi Ducis ex progenie Athilæ Regis descendisse. Tunc omnes Sclavi habitatores terræ, qui primo erant Salani* (hoc nomine vocat ubivis Ducem Moravorum) *Ducis propter timorem eorum se sua libera sponte subjugarunt eis, nullo manum sublevante, & ita cum magno timore & tremore serviebant eis, ac si olim domini eorum fuissent.* Et rursum: *Interea Zuard & Caduſa filii Hulec nec non Huba & omnis exercitus eorum fluvium Ypul juxta Danubium transierunt. Et alio die transito flu-* *Anon. Belæ Notar. c. 33.*

vio Gran castra metati sunt in campo juxta quoddam castellum terretum, quod nuncupatur Varod. Et capto illo castro manserunt ibi tres dies exspectantes adventum Borsu filii Bunger, quem Dux Arpad cum magno exercitu miserat in auxilium eorum. Quarto die cum Borsu ad eos venisset cum valida manu, timuerunt eos omnes incolæ terræ, & nullus fuit ausus levare manus contra eos. Tunc hi quatuor domini inito inter se consilio per petitionem incolarum sibi fidelium constituerunt, ut tertia pars de exercitu cum incolis terræ irent in silvam Zevolon, qui facerent in confinio regni munitiones fortes tam de lapidibus, quam etiam de lignis, ut ne aliquando Boemi vel Polonii possent intrare causa furti & rapinæ in regnum eorum. Quæ si tanta accuratione historica, quanta Geographica ab hoc sat vetusto authore scripta sunt, habemus plane, qua ratione Hungari magis magisque per Regnum Moraviæ se explicaverint, Moymirumque occidentem & septentrionem versus retro egerint.

ANNUS 904.

Methudius seu Strachota Episcopus cum literis indulti Pontificii retro in Croatas & Bulgaros, agrum nempe suum, lætus atque alacer rediit, Episcopisque ac sacerdotibus suis palam fecit Slavicum ritum sedi Apostolicæ probari. (a) Ubi tantisper moratus in Moraviam magnis itineribus ad Regem Suatobogium Suatopluci filium perrexit.

Excepit Methudium Rex (b) omnibus benevolentiæ officiis, rogavitque, suam sibi longius præsentiam commodaret, vacivas semper obedientesque aures ejus consiliis monitisque daturum. Nec invitum expertus Methudii animum, quod omnem Moraviæ populum summa explevit lætitia. Vix vero semestri Vir Apostolicus Regem populumque verbi divini pabulo pascebat, cum Rex adolescens (vigesimum enim

enim quartum nonnisi annum ætatis agebat) forte impatiens boni sacra atque profana, fanda atque nefanda perinde ducere, Dei juxta & Ecclesiæ præcepta contemnere, palam Christianorum sacra cavillari, obtrectare sacerdotibus, pupillis viduisque ægre facere; (c) cujus perversi consilii inflammatores habuit palatinos suos, quorum pestilentes ethnicæ superstitionis reliquias adhuc in aula fovebat. Erat forte dies Principibus Apostolorum sacer, cujus primo mane Suatobogius in Krzeczinenses (d) saltus ad agitandas feras profectus cum magno strepitu paratuque venatico nunciari jussit; exspectandum esse Methudio Pontifici cum sacris, dum venatu rediret. Paret imperatis antistes, regemque ad meridianas horas nequicquam præstolatus, jam jam sole ab orbe medio deflectente, quod sacratas Pontificum leges regis ira potiores haberet, rem divinam facere orsus est, venitque Episcopus ad ea verba, quæ divina virtute atque efficacia sacrosanctum Christi corpus faciunt; cum ex fremitu equorum, pedumque sonitu intellectum est Regem adesse. Hic cum stomacho ferens imperiis suis non satisfactum, nimiumque incensus ira canere extemplo cornibus, immitti in ædem sacram cum ingenti latratu canes turbamque venaticam in equis sequi jubet. Nec contentus augustissima turbasse mysteria, ferebatur etiam ipse ad aras eques, prosiliensque in pedes jam jam sanctissimum Pontificem venabulo confossurus erat, nisi procerum quidam tanti sceleris atrocitate perculsi reluctantem frementemque in palatium reduxissent. (e)

Non

Non ſtitit hic autem regius furor: mittuntur confeſtim, qui Methudio Regis conſpectu interdicant. Ceſſit Epiſcopus huic veſaniæ, valeque dicto Moravis ad Borzivojum feſtinavit in Bohemiam. Summe-ſalutaris erat Bohemis hic adventus, nam jacta verbi divini ſemente uberem Chriſtianæ rei ubique meſſem fecit, plurimos Czechorum aquis baptiſmi abluendo. Tandem Duci Bohemiæ populoque bene precatus inter ſuſpiria & vota, ut boni ſuperi Suatobogii regnum in Bohemos transferrent, Romam repetiit, queſturus ſummo Pontifici, quæ ſibi in Moravia eveniſſent. Viſum vero hoc Suatobogii facinus tam atrox Romanæ ſedi, ut extemplo profanum Regem Romam ad dicendam cauſam evocaret, contemnentemque adeſſe Romanus Pontifex ſacro fulmine percuſſum cum omni gente interdicto ſubjiceret. (*f*) Continuo omnis clericorum ſacerdotumque ordo relictis ſacratis ædibus in Bohemiam fugiunt, gemuitque infelix Moravia ſacris atque doctoribus orbata. Eo ſacro fulminis fragore excitatæ vicinæ gentes Hungari, Poloni, Teutones, Boemique, cum excluſum ſemel cœlis terrisque Regem judicarent, veluti ad ejectam tempeſtate maris in litora balænam impune laniandam diſcerpendamque properantes omne Moravorum imperium infinitis agminibus inundant, igne ferroque perdunt. (*g*) Intellexit tandem Suatobogius, quæ ſe populumque numinis ira premeret, vocatisque iis, quos alias a conſiliis habere ſolitus, medelam rei expopoſcit. Verum agnovere illi dolenter conſilium adverſus dominum haud ullum ſupereſſe. Quæ cum Rex

mœ-

mœsto coqueret animo, subinde a quopiam ex fidelioribus suis sub vesperum accito, equum clam sterni jussit, accinctus gladio castrum egressus pontem demitti jubet, tum per noctis tenebras equo in densissima nemora evadit. Sub diluculum confosso manibus suis equo, ensequeque in terram detruso post varios demum errores inter silvas montesque ad tugurium quoddam tribus eremicolis religiose habitatum defertur, triduanoque efflagitato hospitio, ab iis in contubernium vitæque societatem recipi oravit. Mirati illi juvenilem formæ elegantiam, religioni duxere adolescentem solatio vacuum dimittere, quem spiritu divino in hæc deserta loca ductum non dubitarent; cucullo itaque donatum cœtui suo adscribunt, cœlum identidem deprecantes voluntatem perseverandi in tyrone confirmaret. Quo in vitæ genere delicatus Rex aulæque illecebris innutritus ipsos, mirum dictu! duodeviginti annos in pœnam superioris vitæ constanter versatus est, orationi perpetuo intentus, jejunio corpus macerans, præter frigidam haud alio unquam potu sitim restinguens, & ligone cum ceteris victum parans. (b) Post quæ cum fatalem moriendi necessitatem adesse intelligeret, vocatis illis tribus vitæ sociis, omnes vitæ suæ reatus humiliter citraque verecundiam confessus est, nec celavit se Suatobogium esse, qui ampliſſimo Moravorum regno præfuerit. (i) Quod cum illi non præter summam admirationem excipiunt, paulo post felicem animam Deo reddidit, conditus inter sepulchra fratrum. (k)

Locum, quo felix illud Suatobogii tugurium steterat, occupat hodie monasterium religiosorum virorum S. Benedicti Zabor dictum in limitibus Ungariæ atque Moraviæ titulo Beatæ Mariæ Virginis insignitum. (*d*) At vero Hungari, Poloni, Germani, Bohemique, cum nemo esset, qui tueretur, florentissimum Moraviæ regnum adeo discerpserunt, tamque immisericorditer humi allisérunt, ut caput haut citius posset erigere, quam dum ex Divi Methudii vaticinio Regno Bohemiæ fuisset adunatum. Quod, quo rerum eventu, quove tempore evenerit, postea anno Christi septuagesimo septimo supra millesimum uberius narrabitur.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCIV.

SERGII III. PAPÆ 1. LUDOVICI III. IMP. 5. SPITIGNÆI 10. TUTONIS *Ep. Ras.* 11.

(*a*) Indultum hoc primum datum anno 868. ab Hadriano Papa, tum confirmatum a Joanne VIII. anno 880. quo ejus epistolam retulimus.

(*b*) Suatopluci filiorum neminem hactenus reperi *Regis* titulo donatum ab aliquo vetustiorum.

(*c*) Quo errore, nempe ex male intellecto Christianno, hæc a Suatopluco patre ad filium Suatobogium detorta fuerint, jam ad annum 871. docuimus. Scilicet licentia morum, contumacia adversus Divum Methudium exercita, tum istius anathema pertinet ad Suatoplucum patrem, Pœna vero & everſio Regni Moravici, quæ hoc anathema post 40. plus minus annos consecuta est, pertinet ad illius filios. Obscurum illum Christianni locum scitissime explicat vetustissima vita S. Ludmillæ Bibliothecæ Clementinæ S. J. *Qui* (Suatoplucus senior) *tunc temporis* po-

potentissimus erat, quasi Imperator habens latissimum regnum, quod postea per insipientiam secundi Swatopluc nepotis primi (nempe Ratislai) *dimembratum est.*

(*d*) Pulkava primus horum prolator silvam *Grezen* appellat, cujus ad Maravam fluvium provinciæ etiam in aliis vetustioribus monumentis memoria; quare illi etiam locum situmque P. II. Annalium nostrorum in tabula Geographica dedimus. Ceterum primus Hagecius est, qui ex Pulkavæ *festiva die* festum SS. Apostolorum Petri & Pauli fecit, quod rursum tam certum opinatus est Weleslavinus, ut non dubitaverit id ad III. Kal. Julii reponere. *Weleslav. in Kalend.*

(*e*) Hujus insolentiæ S. Methudio intentatæ primum authorem reperio Pulkavam, quæ si authoritate veteri nituntur, jam ad annum 871. ostendimus eo pertinere, nempe ad Suatoplucum patrem. Hagecius vero narrata Pulkavæ mirum quantum amplificavit, exaggeravitque.

(*f*) Sacrum illud fulmen non a summo Pontifice, sed ipso S. Methudio vibratum fuisse docent omnes vitæ vetustæ S. Ludmillæ & SS. Cyrilli ac Methudii, tum denique lectiones veteres Breviarii Olomucensis. Vibratum vero fuit adversus Suatoplucum patrem non filium, ut ad annum 871. ostendimus.

(*g*) Non tam hoc fulmen, quam dissidium fratrum Moymiri & Suatopluci, denique Ungarorum per Arnulphum evocatio causa fuit discerpti, eversique Regni Moravici, ut supra vidimus.

(*h*) Hanc historiam de suscepto eremitico statu depromsit Hagecius ex Cosma, qui enm de Suatopluco patre narrat, & accidisse ait eo ipso anno, quo Borzivogius baptizatus est, ut jam supra verba illius retulimus. Posteriores itaque cum Zuentibaldum belli occisum in Reginone reperirent, nec dispicerent eum de Zuentibaldo Arnulphi filio Lotharingiæque Duce seu Rege loqui, hanc Cosmæ de Suatopluco patre narrationem ad filium Suatobogium pertinere rati sunt, eique adscripserunt; quamquam Dalemilus, Hofmannus, Pulkava, Marignola, Silvius aliique sæculi XIII. & XIV. scriptores ex mente Cosmæ id iidem de patre Suatopluco narrarent. Si vero traditio Cosmæ certo veteri fundamento nititur, atque in eo non error est, quod ille Bogoris Bulgariæ Regis secessus in eremum ab eo perperam ad Suatoplucum

detortus fuerit, ut ad annum 894. innuimus, omnino ſtatuendum, id potius ad filiorum quempiam Suatopluci, quam ipſum patrem ſpectare, quandoquidem ex Porphyrogenito aliisque perquam teſtatum, habemus: Suatoplucum extra monachatum fuiſſe mortuum. Quis vero hic filiorum fuerit, Suatoplucusne an Suatobogius, & utrum hi diverſi, an unus idemque fuerit, quis in his tenebris clarum videat? ſi res agatur de Suatopluco, ſeu at eum Annaliſta Fuldenſis vocat, *Zuentobolcho puero antiqui Ducis Zwentobolchi* nihil de eo amplius proditum habemus poſt annum 899. quo a Bajoariis ex captivitate liberatus in Bajoariam una aſſumtus eſt, nec compertum eſt, quo ille ab hoc exilio devenerit; & quamquam poſtea hic Annaliſta Bajoariis conciliatum non modo ſcribat Moymirum, ſed etiam Iſangrinum, altum tamen ſilet de fratre Suatopluco ad Bajoarios in exilium exacto, ut haud vana ſuſpicio capi poſſit: hunc Suatoplucum fratrem Moymiri tot calamitatibus quaſſatum monachalem vitam ſuſcepiſſe, interque eremicolas illos ad montem Zobor cucullum induiſſe.

Annales Fuld. ad An. 899.

Ad An. 901.

(*i*) Permira eſt Dalemili circa hunc Suatopluci patris ad eremum feceſſum narratio, qui cum in nonnullis Coſmam ſequitur, inſulſiſſimas admiſcuit fabulas, quem jam verſificantem audire libet, uti a P. noſtro Remigio in latium translatus eſt:

Dalemil. Hiſt. Boles. c. 24.

Hoc loco in Moraverum Annales cogor divertere,
Quo rectius ad propoſitum perveniam,
Quo pacto item receſſerit ex Moravia corona
Dicere, & qua ratione ad Bohemiam ſit devoluta,
Imperatoris ſororem Rex Moraviæ habebat,
Eamque tractabat aſperius.
Movit in illum propterea Imperator,
Et Rex conſeruit manus cum Imperatore.
Paulo poſt Rex amiſſo prælio
Redivit cum mœrore Welehradium.
Illum inſecutus eſt Imperator,
Et Rex præ ignominia petiit eremum.
Malo, inquit, eſſe Converſus,
Quam Rex, & cum inimicis non pugnare.
Agebat itaque in ſilva,
Et eremitarum more glebam verſabat ligone.

An-

Annos post septem Rex jam egregie barbatus
Adit Imperatoris tribunal,
Incusatisque Imperatorem:
Principes, inquit, audire ne dedigneminì:
Rapuit mihi Imperator uxorem meam per injuriam,
Et conjunx mea in illius aula est incolumis.
Risit Imperator,
Negabatque, quod monachus pertendebat.
Monachus contra audaciter loqui:
Velle se causam suam ense probare,
Non norant monachum Principes:
Edixerunt tamen:
Quod contra Imperatorem loqui ausus es,
Ense tuo probabis.
Diem sibi constitui rogat monachus,
Imperator designat illi æmulum.
Discurrebat per circum æmulus, & cantabat,
Planeque contemnebat monachum.
Monachus ense correpto,
Scutum, ipsumque æmulum dissecuit.
Monachum ad aulam suam evocavit Imperator,
Reddiditque illi cum Regno conjugem,
Moraviæque omnem libertatem.
Quidquid item ex Ungarorum terra posset decerpere,
Potestatem dat, ditioni suæ ut adjiciat.
Paulo post conjux moritur Suatopluco,
Et Rex expeditionem suscipit adversus Ungaros,
Ungari superarunt Regem,
Illiusque copias bene multas conciderunt.
Rex advocato Bohemiæ Duci
Coram Imperatore cessit Regnum suum.
Iterum illum vicerunt Ungari,
Magnamque Moravorum ediderunt stragem.
Hujusce rei vehementer puduit Regem,
Neque ausus est præ verecundia ad suos reilire:
Clam arbitris secessit in loca solitaria,
Et quodam in saltu vitam exegit.
Hodiedum eo loco monachi psallunt strati.
Monasterium istud in Ungaria vocatur Zabor.

Hæc

Hæc legat Vir Admodum Reverendus Carolus Krzizius, qui acerbius in me ſtylum exacuit, quod Parte II. Annalium Hagecianorum pag. 8. Dalemilum *Poetam* (atque ut ibidem timidius loquor) *ne dicam fabulatorem* compellem. Explicet his lectis jam ſenſa ſua: rectene an injurie hoc eum non quidem convicio, ut ille tumultuatur, ſed cenſura notaverim? & num hoc loco hiſtoriam ad poſteritatem perſcripſerit, verique hiſtorici partes expleverit? ſi autem veri hiſtorici partes perſecutus non eſt, ut vel ipſe Vir laudatus animadvertet, edoceri cupio, quo nomine mihi compellandus fuiſſet, quandoquidem inter hiſtoricum & fabulatorem hactenus medium terminum non reperi. Eminentior Canonicatus gradus (quem tantoopere Krzizius in Dalemilo exaggerat) ſemper mihi veneratione fuit, eritque: veram cum critice expendam hiſtoriam Boemiæ, partium mearum eſt oſtendere, quis ex ſcriptoribus noſtris fabuletur, quisve ex veterum monumentorum fide vere hiſtoriceque ſcribat. Vocabulo itaque uſus ſum, quo paſſim alii etiam hiſtorici utuntur, cum citra contemtum vi muneris, quod gerunt, lectorem docere volunt: effinxiſſe quæpiam authorem, quæ hiſtoricæ veritati minime ſunt conſentanea. Tulere eam cenſuram a quibusvis ſcriptores eminentiori gradu & dignitate etiam Epiſcopali præfulgentes (ut obiter quosdam commemorem) Joannes Turpinus, Joannes Viterbius, Marcellinus aliique; non ablimili cenſura notatur Hagecius Præpoſiti titulo conſpicuus aliquoties a doctiſſimis Viris Bollandianis, nec tamen hactenus quisquam mihi lectus eſt, qui id convicii loco deputaſſet, & quod majus eſt, ad ignominiam dignitatis Eccleſiaſticæ traxiſſet. Ignoſcat vero Vir Admodum Reverendus, quod auſim dicere: hanc orationis ſuæ exaggerationem ſpectare ad conflandam mihi invidiam odiumque Inclyti ſui Eccleſiaſtici Ordinis, cum tamen omnibus pene paginis venerationem meam erga illum teſtatus ſim. Quis enim Hagecius, in quem commentor? quis Vincentius, quem primo loco Monumentorum ineditorum publicavi? quis Coſmas, quem omnibus locis laudibus ſuper cœlos ſublatum reperiet, quam ſumme mihi venerandi ordinis ſui Collegæ? quanta calami mei indicia ſat ſuperque ei argumento eſſe potuerunt, animum meum ab eo eſſe remotiſſimum, ut in Dalemilum convicium quodpiam intemperanter effundere attentarem, niſi res ipſa, quod res eſt, dicere exegiſſet. Et profecto agnoſcet ipſe Carolus Krzizius ex ſupra allato Dalemili loco, quod in eo defendendo, quem, albus aterve ſit, nunquam inſpexit, nunquam novit, judicium ſuum præcipitaverit. Non ſe-

Acta SS ad 28. Sept. in vita S. Wenceſl.

semel enim loca Dalemili protulimus, & proferemus porro, quæ nemo, nisi veritati vim inferre velit, confessurus sit, puras putasque fabulas esse. Ad ceteros contemtus & obtrectationes suas non exspectet vir hic a nobis responsum: non enim olulusculorum ritu rixari, & convicijs rem agere collibitum est animo nostro, quo in genere libentes volentesque ei palmam cedimus. Veritatem, candorem, humanitatem, tanto opere ætate hac commendatam, animumque affectibus liberum adscribendum adferat. Refellat veteribus historicis documentis, non sophismatibus, conjecturis, argutationibusque. Producat de Czecho monumenta, si non primis scriptoribus Boemiæ synchrona, at certe Dalemilo antiquiora, & magnus nobis Apollo erit, cui ultro victas manus daturi sumus. Id eum etiam atque etiam obsecrantes, ut si porro nostra refutare libuerit, legat scripta nostra ea attentione, quæ ad refellendum requiritur, non nos arguat, culpetque in rebus, quas ne unquam quidem diximus, non truncet orationes nostras, eisque præter sensum nostrum quidpiam addat, non desideret res, quæ in iisdem alio loco luculentissime tractatæ sunt, non ferat sententiam ex manuscriptis, quæ nunquam vidit, aut legit; non progrediatur extra rhombum, eavilleturque opera, quæ omnium eruditorum totius Europæ plausum meruere, verbo nihil elato supercilio contemnat, & convicietur, seponat invidiam, acerbitatemque, & nos ad respondendum quovis tempore paratissimos, quemadmodum doctissimo Lipsiensium Actorum Eruditorum Compilatori satisfecimus, reperturus est. Non enim pomorum instar natare, & soli nobis sapere videmur: ultro agnoscimus plurima obscura & perplexa esse in historia nostra, quæ literaria, urbana tamen, concertatione magis magisque enodari ac elucidari possint, quibus definiendis nec ingenium, nec ætas, nec omnis apparatus noster sufficiat.

(k) Diocleas plane his adversa scribit de Suatopluci primogenito filio, quem isthic Hagecius Suatobogium fecit: *Igitur Suatoplucus accepto regno secutus est vestigia patris sui, & ambulavit in via mandatorum Dei, pacemque cum omnibus habuit, genuitque filios & filias. XII. anno regni sui mortuus est.* Buccellinus Suatobogium in Menologium suum Sanctorum & Illustrium Virorum Ordinis S. Benedicti retulit, ejusque memoriam facit ad VI. Idus Martii his verbis: *In finibus Ungariæ depositio S. Suatocepti Regis Moraviæ, Monachi & Confessoris*, eumque post annum 900. obiisse refert, ceterum passim consentanea relatis Hagecii de eo narrat. Doctis-

Presb. Dioclea in Regno Slavor.

Mabillon. in Actis SS. Bened. sec. V. in prætermissis.

tissimus vero Vir Mabillonius ait: *Suatocopium Buccellinus Moraviæ Regem appellat, & Menologio inserit, Suatocopius Rex Moraviæ in actis S. Cyrilli Moraviæ Apostoli laudatur ut pius, sed non monachus, neque ullis fastis nomen ejus inscriptum. De eo in Tomo II. Martii Bolandiani in actis S. Cyrilli pag. 23. & 53. col. 2.* Quæ scitissime hic Pater Criticæ: neque enim vel apud ipsos Moravos de cultu antiquitus unquam Suatobogio exhibito constat. Scribit tamen Stredovskius: superiore sæculo summi Pontificis Romani auctoritate incisos fuisse æri sanctos Anachoretas, inter quos etiam sit Suatobogius hac epigraphe notatus:

Stredovsky l. 5. c. 3. p. 480.

Imperii victus Rex Suatocopius armis
Ad sancti radices exuit arma jugi.
Hic tribus horrentis cultoribus hæsit eremi,
Pro regno gaudens se reperisse Deum.

Optat denique Stredovskius, ut illius cultus revocetur.

(*l*) Cosmas vocat *Zobor*, Pulkava *Sembor*, Dalemilus *Zabor*, Silvius *Sambri*. Monasterium *Zobor* sub sancti Hippolyti nomine non procul a flumine Waag in territorio Nitriensi situm fuisse memorat Maurus quinque Ecclesiensis Episcopus sæculi XI. scriptor, ubi postea a Philippo Abbate sæculo eodem susceptos fuisse ait Benedictum & Zoerardum, de quibus Mabillonius sæculo VI. Actorum SS. Benedicti. In officio vero proprio horum sanctorum, quod Poloni recitant, monasterium, in quo vixere, situm fuisse dicitur: *In ea Sclavorum & Hungarorum regione, quæ Moraviæ, Danubiique confinis, Sarmatia Pannonia olim dicta fuit.* Delemilus de ævo suo nempe ordiente sæculo XIV. loquens inquit: *Hodiedum eo loco monachi cantant atrati*, per quod Ordinis S. Benedicti Monachos intelligit. Propiora nobis de eo monasterio prodit Stredovskius: *Quæ tandem Abbatia*, inquit, *Episcopatui Nitriensi est applicata, & post longum temporis lapsum eodem memoratæ solitudinis loco novum Camaldulensium ordini monasterium a Blasio Jacklin Episcopo Nitriensi, qui ab anno 1690. ad 1696. illi præsedit cathedræ, & ab ejus fratre Nicolao Jaklin libero Barone e veteribus bustis est resuscitatum.*

Stredovsky l. 5. c. 3. p. 480.

PRÆTERMISSA.

I. Quanquam his annis neque a coævis, neque paulo posterioribus notatum reperiamus, quæ fata fuerint Regni Moravici, tamen cum

cum Ungaros hoc anno constet ad ipsum usque fluvium Licum processisse, testatumque sit Moravorum imperium his temporibus animam jam jam egisse, vix dubitare licet Moymiri terras continuis bellorum flammis arsisse. Ad hæc igitur tempora spectare arbitramur, quæ Anonymus Belæ Regis Notarius c. 35. 36. & 37. uberrime narrat, in quibus, quamquam multa cum historica veritate pugnare non diffiteamur; tamen veterum traditionum plurimam sementem continent, quæ lucem aliquam eorum, quæ in his regionum finibus acta sunt, præbere possunt. Jam quæ de Nitriensis terræ, quæ Moravici regni portio erat, ereptione narret author, libet audire: *Zuardu & Caduſa nec non Huba post discessum Borsu cum omnibus exercitibus suis egressi de castro, quod dicitur Warod, ultra silvam Tursoc castra metati sunt juxta fluvium Sytua: altera autem die miserunt quosdam speculatores viros, quos sciebant esse audaces, qui transirent fluvium Nitra, & viderent, si sine bello possent transmeare usque ad civitatem Nitra. Qui cum velocissimo cursu venissent usque ad rivulum Turmas, ubi descendit in rivulum Nitræ, viderunt habitatores illius provinciæ Sclavos & Boemos eis obsistere cum adjutorio Ducis Boemorum. Quia mortuo Athila rege, terram, quæ jacet inter Waag & Gron a Danubio usque ad fluvium Morava Dux Boemorum sibi præoccupaverat, & in unum ducatum fecerat, & tunc tempore per gratiam Ducis Boemorum Dux Nitriensis factus erat Zubur. Cum autem speculatores illi, qui fuerunt missi a Zuard & Caduſa vidissent Sclavos & Boemos eis obsistere, non valentes miserunt sagittas tribus vicibus super eos, & quosdam ex ipsis ictibus sagittarum interfecerunt. Hoc cum vidissent Sclavi & Boemi, quos ad custodiam constituerat Zubur, quod isti, qui dicuntur Hetumoger, talibus uterentur armis, timuerunt valde, quia talis armatura nunquam visa fuit eis. Statim nuntiaverunt Zuburio domino eorum, ceterisque principibus ejusdem provinciæ. Tunc Zubur hoc audito cum adjutorio Boemorum armata multitudine obviam eis venit pugnaturus. Et dum uterque exercitus ad fluvium Nitra perveniſſent, Zuardu, Caduſa, & Huba volebant transire fluvium, sed Zubur Dux Nitriensis & sui milites contra eos diutissime certantes, nullo modo eis transitum concedere volebant, & dum diu inter se certassent, Hungarii ex Boemis & Sclavis ictibus sagittarum multos interficiebant, sed per tres dies nullo modo Hungarii propter inundationem aquarum transitum habuissent, tandem quarta die Boemi & omnes Nitrienses Sclavi, volentes audaciam Hungarorum, & percussiones sagittarum non ferentes, fuga lapsi sunt, & velocissimo cursu pro defensione vitæ in civitatem Nitriam inclusi sunt cum magno timore. Quos Zuardu, Caduſa, & Huba nec non ceteri milites persequentes eos usque ad civitatem, & ex eis quosdam interfecerunt, & quosdam vulneraverunt, & alios ceperunt. Zubur vero* Anon. Belæ Notar. c. 35. apud Schwandner. T. I. p. 23. Idem c. 36. Idem c. 37.

Dux eorum, dum fugiendo contra eos pugnare vellet, per lanceam Caduſæ cecidit, & captus in cuſtodiam traditus eſt, ceteri vero in civitatem incluſi quaſi muti remanſerunt. Alio namque die Zuard, Caduſa, & Huba armata multitudine exercituum cœperunt fortiter expugnare civitatem Nitriam multis modis, & dedit eis Dominus victoriam magnam, & pugnantes intraverunt eam, & fuſus eſt per eos ibi ſanguis multorum adverſariorum. Tunc iracundia ducti Zuburium Ducem illius provinciæ, quem nudius tertius ceperant, ſupra montem excelſum ducentes laqueo ſuſpenderunt. Unde mons ille, a die illo usque nunc mons Zubur nuncupatur. Et propter hoc factum timuerunt eos omnes homines illius patriæ, & omnes nobiles filios ſuos in obſides eis dederunt, & omnes nationes illius terræ ſe ſubjugaverunt ſibi usque ad fluvium Wag, & quia gratia Dei antecedebat eos, non ſolummodo ipſos ſubjugaverunt, verum etiam omnia caſtra eorum ceperunt - - - & ordinatis cuſtodibus caſtrorum iverunt usque ad fluvium Morova, & firmatis obſtaculis conſtituerunt terminos Regni Hungarorum usque ad Boronam, & usque ad Saruuar. Hactenus Anonymus ille, quem paſſim ſua ex traditionibus aut certe non ipſis fontibus coævisque hauſiſſe liquet, quanquam is ſe ſe in Prologo venditet: abſtinuiſſe *a falſis ruſticorum fabulis & garrulo cantu joculatorum*, imo ſua *ſecundum diverſorum hiſtoriographorum traditiones* digeſſiſſe. Quin multa vera huic narrationi inſint, dubitare nolim, ſed perturbata ubivis Chronologia, ut optandum foret, quo ſat vetuſto huic authori contingat Commentator, qui ejus narrata ad ordinem Chronologicum redigat, atque obſcuriora illuſtret. Quod is de Duce Boemorum narrat, qui mortuo Attila terram inter Waag & Gronam a Danubio usque Moravam fluvium ſibi ſubjugarat, reſpicere omnino videtur ad ſæculum VI. & VII. quo Magnæ Crobatiæ nomine impertitam fuiſſe Bohemiam in Conſtantino Porphyrogenito legimus. Nam eo tempore omnes Slavicas iſthic reſpublicas ipſosque Moravos hoc nomine fuiſſe cenſitas pridem docuimus. Et fortaſſis in Duce illo Boemorum quæpiam veſtigia ſunt Samonis illius potentiſſimi inter Slavos his regionibus Ducis, cujus geſta jam quoque protulimus. Niſi dicere malimus traditionem authoris ad poſteriora tempora ſæculumque lapſum, nempe Suatopluci imperium, referri, qui, ut ad annum 872. oſtendimus, latiſſime per has regiones dilatavit regnum ſuum. Nec vero mirum Suatoplucum ab eo pro Duce Boemiæ habitum, quandoquidem etiam illi Boemia aliquo nexu fuit obnoxia, & vel Ditmarus eum Ducem Boemorum exiſtimavit. Quis vero *Zubur Dux ille Nitrienſis* fuerit, nihil in noſtris aut Moravicis hiſtoriis proditum: num is forſe filiorum Suatopluci tertius? an Dux iſthic a Moymiro conſtitutus,

Parte II. Annal. Hagec. ad An. 644.

Ad An. 657. p. 46.

po-

posteaquam fratrem Suatoplucum in exilium deturbasset? sybillinis foliis res obscurior. Ceterum montem illum *Zubur* haud alium putamus a *Zobor*, ad quem tres illos eremitas & Suatobogium coluisse supra meminimus. Utinam vero liber ille de origine & gestis Hungarorum, quem jam proximus illis temporibus laudat Luitprandus, adhuc superstes sit, procul dubio ex eo plurima in historia horum temporum harumque regionum obscura elucidarentur. *Luitprand. l. 2. c. 1.*

II. Gravi clade hoc anno Ludovicum Germaniæ Regem ab Ungaris affectum docet nos Sigebertus Gemblacensis: *Ludovicus*, inquit, *Rex conserto cum Hungaris prælio miserabiliter vincitur.* Prælium istud haud aliud est ab eo, quod Luitprandus sub exordia imperii Ludovici atque ante ipsam Ungarorum in Italiam irruptionem præposteræ temporis ordine narrat, in quo eum jam recte correxit Albericus Monachus Trium Fontium, cum id præsenti anno illigavit. Verba Luitprandi, quem Abbas Ursbergensis & Chronicon Saxonicum exscripsere, sunt: *Jam jam Rex Ludovicus collecta multitudine Augustam venerat, quæ est in Suevorum, Bajoariorum, sive orientalium Francorum confinio civitas, quum insperata magis, non optata autem gentis hujus* (nempe Hungaricæ) *nunciatur vicinitas. Sequenti igitur die Lemani fluminis campos, Martio operi capacitate sua aptos, utræque acies convenere. Prius itaque ac Titani croceum linqueret aurora cubile, Hungarorum gens necis sitiens, belli avida hos videlicet Christianos adhuc opprimit oscitantes, nonnullos namque spicula prius quam clamores evigilarunt. Citius enim ab eis spiritus recessit quam somnus. Gravis itaque hinc inde oritur pugna. Versi terga, seu in fugam Hungari, directis acriter belis, id est telis plurimos sternunt. - - - Jam descendens septimam Phœbus occupaverat horam, & serenus adhuc Ludovici partibus Mars savebat: quum Turci sicut non incallidi, positis ex adverso insidiis fugam simulant. Quos dum Regis populus doli ignarus impetu validissimo insequeretur; omni ex parte prodeunt insidiæ, quasi victi ipsi victores interimunt. Rex ipse e victore se victum esse miratur, fitque illi non opinatus gravior casus. Videres equidem saltus, agros passim cadaveribus stratos, rivos & flumina sanguine permixta rubere: tunc hinnitus equorum, clangorque tubarum fugientes etiam atque etiam terrere, persequentes magis magisque hortari. Hungari præterea compotes voti sui effecti, Christianorum hac tam immensa nece propriæ non satisfecere nequitiæ, sed ut rubiem perfidiæ satiarent, Bajoariorum, Suevorum, Francorum omnia deflagrando regna percurrerunt. Nec quisquam erat, qui horum præsentiam, nisi labore non parvo, naturave munitissimis præstolaretur in locis, factusque est per nonnullos annos* *Sig. Gembl. ad b. a.* *Alberic. Chron. ad b. a.* *Ad An. 901.* *Luitprand. l. 2. c. 1.* *Ibid. c. 2.*

nos populus hic tributarius. Num inter Ludovici copias Moravorum, Boemorumque auxilia fuerint, nihil proditum, vix dubitare tamen licet has tres gentes, quæ pace nuper inita penitus sibi reconciliatæ fuere, socia jam arma junxisse adversus hostem omnium immanissimum.

ANNUS 905.

Pietas Borzivogii & Ludmillæ.

Borzivojus animum quantus quantus a negotiis reipublicæ ad salutis curam obsequiaque soli Deo debita traduxit, Ludmilla conjuge in mariti sententiam pedibus eunte. Utrumque ædes sacras ante Lætam Curiam jam pro palatio delegisse putes, ita ab aurora ad meridiem usque omne tempus precibus, piisque meditationibus exigere in iis soliti. Id satyris locum dedit inter vulgus, quod a Christianis sacris alienum erat: cavillabantur enim Ducem speluncam sibi condidisse, ut ab hominum conspectu quietius lateret. (a)

Borzivojus se Principatu abdicat.

Ea re cognita Borzivojus, vocatis Wissehradum omnis ordinis viris, in circumfusa procerum populique corona principatu se abdicat, (b) fascesque Spitignæo (c) natu grandiori filio tradit. (d) Atque ut respublica administraretur felicius, commendat neo-designatum Ducem Dieti viri a prudentia cumprimis clari, itemque alterius Miresli, cognationis vinculo sibi adstricti, curæ atque sollicitudini. (e)

Spitignæo cedituf Ducatus.

Nec mora Spitignæum in castri Wissehradensis possessionem inducens suavibus severitate mixtis verbis ad pietatem Christicolis impendendam, amplificandumque Christi nomen exhortatur. Tum socia Ludmilla se ad arcem Tetin confert, quam eversis combustisque omnibus idolis,

quæ

quæ gentilitas isthic olim posuerat, coluerat que, egregiis substructionibus instaurat. (f)

At vero Spitignæus patris vestigia premens (g) eodem anno in urbe Budecz Ecclesiam Divi Petri & Pauli honori condere cœpit, (h) quo in loco id temporis gymnasium haud incelebre floruit ad efformandam latinis literis juventutem accommodatum. Hodiedum videre est urbis istius veteris rudera super eminente colle Pragam inter ac Welwarium (i) cum fossis, Ecclesia SS. Petri & Pauli, (k) alteroque Dei Matris sacello, (l) quod olim civitatis forum occupabat. *Budecii conditur Ecclesia.*

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCV.

SERGII III. PAPÆ 2. LUDOVICI III. IMP. 6.

SPITIGNÆI 11. TUTONIS *Ep. Rat.* 12.

(a) Veteres nonnisi generatim Borzivogii & Ludmillæ pietatem commendant.

(b) Hujus abdicationis in nullo scriptore ante Dubravium & Hagecium contemporaneos hactenus indicium reperi, ut mirum profecto videri possit tot vitas SS. Ludmillæ & Wenceslai id præterituras fuisse. Verosimillimum autem censeo, posteriores scriptores id a facto S. Ludmillæ ad ipsum maritum Borzivogium traduxisse. Nam ut in illius vita narratur *discessit de civitate Praga, & venit in quoddam castellum, quod Tetyn nominatur*, cum nempe ambitiosa Dragomira mater S. Wenceslai ægre atque invidiose ferret Ludmillam aviam impuberi Wenceslao ipsique Ducatui Bohemiæ moderari.

(c) In numis Spitignæi II. legitur nomen *Spitgnev*, quod Boguphalus II. Episcopus Poznanienſis in Chronico Polonorum ait conotare: *Evasit iram.*

(d) Cosmas nonnisi post mortem Borzivogii Spitignæum in Ducatum successisse scribit, verba illius sunt: *Quo* (Borzivogio) *feliciter universæ carnis viam ingresso, successit paternum in principatum Zpitignev.* Christannus inquit: Borzivogius *peracto temporis sui cursu plenus dierum bonorum diem clausit ultimum, tricesimum quintum vitæ suæ complens annum.* Vita S. Ludmillæ e Codice Dresdensi vulgata: *Borivog namque Princeps expletis XXXVI. annis de hoc sæculo migravit, cujus in regnum filius ejus primogenitus nomine Spitigneus successit.* Idem habent omnes reliquæ Mss. vitæ, Dalemilus, Pulkava, Marignola, Silvius aliique veteres, ut satis mirari nequeam, unde hæc habeat Dubravius & Hagecius, & qua ratione a relatis omnium veteriorum recedere potuerit.

Menken. T. III.

(e) E calculo Hagecii Spitignæus anno 892. natus nonnisi decimum tertium ætatis agebat annum, quare hic eum Hagecius tanquam impuberem tutelæ cognatorum commissum scribit. Sed vidimus supra Spitignæum jam anno 895. interfuisse Comitiis Ratisbonæ, ut hæc impubertas plane inconcinne efficta sit. Haud secus Dieti & Miresii nomina omnibus veteribus fuere incognita.

(f) De Tetinio jam egimus P. II. ad annum 712. 732. & 785. Quod autem Tetinense palatium, quod S. Ludmilla incoluisse asseritur in veterioribus, egregio opere conditum fuerit, prodit vita Ms. S. Wenceslai jussu Ottonis II. Imperatoris scripta, e qua eadem verba emutuavit Christannus. Sic vero de habitatione Pauli Capellani, qui idem castrum incoluerat, loquitur: *Atrium presbyteri Pauli, quod amenis & vastis edium munitur ambitibus.* Ubi præterea innuit castrum hoc mœnibus cinctum fuisse.

(g) Hæc ex Christanno depromsit Hagecius, sic vero ille: *Spitigneus cunctis virtutibus bonitatis famaque sanctitatis fulgens. Imitator siquidem patris factus fundator exstitit Ecclesiarum Dei. Congregator sacerdotum Clericorumque, perfectusque in fide Christi.* Quod Spitignæus ab historicis exteris habeatur pro primo Bohemorum Christiano Duce jam ad annum 894. præoccupavimus. Quos inter jam supra recensitos etiam est Niculaus Marschalcus Turius, qui ita scribit: *Bojemos Spitignæus Dux Pontifice Maximo Stephano VII. convertit.* Verum Stephanus VII. ante annum 929. sedem Romanam non obtinuit; ut id de Stephano VI. qui anno 896. Pontificatum occupavit intelligendum verosimillime sit, qui a mul-

In Annal. Herulorum c. 27.

multis pro Stephano VII. habitus, ut ex Pagio liquet, & postea ex Carolo Piazza videbitur.

(*b*) Vita S. Wenceslai jussu Ottonis II. scripta nihil habet de Budecio, sed generatim ait: *Et novo studio fervens domos Dei in Beatissime ejus Genitricis Marie sanctique Apostolorum Principis venerandam memoracionem construxit, in quibus postmodum innumera annuatim miracula ope divina cooperante fulserunt.* Christannus tamen id de Budecio explicat, sic vero ille de S. Wenceslao Budeczium ad studia literarum missō: *Wenceslaum - - literis imbuendum tradiderat in civitatem, que Budecz vocabatur, ubi antecedente fratre suo Spitihneo in honore Principis Apostolorum B. Petri consecrata inerat, & ineſt Ecclesia.* Vita vero altera in eodem Metropolitano Codice, quæ incipit. *Crescente fide Christiana &c.* has Ecclesias Pragæ a Spitignæo conditas docet. Verba illius sunt: *Spitigneus in urbe Praga condidit Ecclesiam sancte Dei Genitricis Marie, & aliam in honore S. Petri Principis Apostolorum, in quibus Dei gratia largiente plurima operantur beneficia.* Bezkovsky præterea in pago Pohorzelecz ante Pragam, quod nunc intra muros est, dicit Spitignæum ædificasse Ecclesiam S. Matthæi Apostoli, quod tamen Berghauerus ad annum sequentem rejicit. Quo fonte autem hæc hausta sint, ignotum. Ceterum cum Christannus dicat hanc Ecclesiam Budeczii fuisse consecratam, ea vix ab alio quam Tutone Episcopo Ratisbonensi consecrari potuit, ex cujus diœcesi tum fuerat Boemia, & qui, quoad vixit, gubernaculaque Ducatus Bohemiæ gessit Spitigneus, Ratisbonensi Ecclesiæ præfuit. Quanquam quō anno id præstitum sit, nemini ne probabili quidem conjectura assequi liceat.

Bezkovsky P. 2 hist. Bob. p. 134.

Berghauer. Proto-Mart. Pamit. p. 173.

(*c*) Ad hunc locum noster P. Victorinus: „ Budecii ruinæ hodieque edito ac vasto Pragam inter & Slanam spatio visuntur. Qua introitus in vetus Budecium erat, steterat, præter civitatem in montis planitie sitam, alia insuper ædificiorum structura in suburbii modum muris circumdata, ut adeo per duplicem murum portasque binas in superiorem urbem (ubi nunc dicta sacella sunt) ingressum patuisse necesse sit. Haud procul a Budecii ruinis supersunt hodie quatuor ordine stantia tuguria *Teynice* vulgo dicta, & infra hæc cujusdam quasi ædificii fossæ cespite annoso concretæ, ubi quondam erat domus, in quam D. Wenceslaus, dum literis Budecii operam dabat, ad salutandum Aviam, & D. Ludmillæ, dum ad nepotulum inviſebat, divertebant. „ Hæc P. noster Victorinus, qua certitudine autem, vadem agere nolim.

(*k*) A

(k) Hic loci rursum noster P. Victorinus: „ Hoc sacellum formæ rotundæ longum est quatuordecim, totidem passus latum. Huic Bernardus Comes de Martinicz adjecit partem novem passus latam, decem longam, in qua & novam erexit aram cum effigie SS. Petri & Pauli. Altera ara vetusti illius sacelli imaginem habet S. Wenceslai, parvuli mensæ assidentis, legentisque, sacerdote Kaycha illius lectionem excipiente, ac tertio adolescente utrique assidente scribenteque. „

(l) Et hunc locum animadversione illustravit P. Victorinus: „ Ædicula, inquit, B. Virginis complectitur in latum sex, in longum quindecim passus. In ejus ara dextera Virgo Mater puerum JEsum erecta gestat, stipante sinistram S. Joanne Baptista. Medium, quod intercedit, duo Angeli tenent, calicem hostiamque portantes. „

PRÆTERMISSA.

Sig. Gembl. ad h. a.

Albericus ad h. a. Luitprand. l. 2. c. 2.

Superioris anni clade fatale tributi jugum tandem regno Ludovici ab Hungaris injectum est, quod his verbis testatur Sigebertus Gemblacensis: *Hungari superioris anni victoria elati regnum Ludovici sub tributo redigunt;* quod totidem verbis repetit Albericus Monachus Trium Fontium, meminitque tributi hujus Luitprandus: *Factus est*, inquit, *per nonnullos annos populus hic tributarius.* Tributi istius pensitatio posterioribus continuis bellicis motibus occasionem præbuit; nam cum Hungari a jure in regnum Ludovici quæsito recedere nollent, contra Germaniæ Reges ab eo se deliberare quærerent, novæ atque novæ irruptiones bellique flammæ consequentibus annis exortæ. Quemadmodum autem minus recte quis inferat: Regnum Ludovici Hungaris tributum annuum pensitavit, igitur Ludovicus, regnumque illius Hungaris fuit subjectum; ita prorsum haud recta argumentatione usi sunt, qui ex tributo annuo, quod Boemi Moravique subinde Francicis & Germaniæ Regibus præstare soliti, subjectionem Bohemiæ atque Moraviæ intulerunt.

In vita Leonis Basilii N. XXIII. Apud Ducheſne T. III. ad h. a.

Quod præterea ad annum hunc adnotandum foret, non reperio, si Constantini Porphyrogeniti, qui postea Orientali Imperio præfuit, nativitatem excipias, quam cum eo anno accidisse memoret Continuator Theophanis, quo cometes per quadraginta dies noctesque visus est, Chronicon autem Floriacense hujus cometæ memoriam ad præsentem annum faciat, recte argumentatur Clarissimus Pagius Constantinum Porphyrogenitum præsente anno natum fuisse. Cujus plurimis scien-



Ad Annum 906.

Boriwog. Spitgnev.

UNIV. OF MICH.

scientiis linguisque expoliti Imperatoris commemoratio prætereunda non fuit, quod linguæ Slavicæ gnarus plurimas memorias gentis nostræ atque Moravorum suis elegantissimis operibus insperserit, unde superiorum annorum historiam crebro illustravimus.

ANNUS 906.

Spitignæus adolescens ad omnes aulæ cupedias molliter enutritus parentum visendorum causa excurrit Tetinium multo servorum grege stipatus, isthic a Borzivogio patre, Ludmillaque matre non minori voluptate quam benevolentia exceptus est. Revertenti dum pro suo religionis zelo Borzivogius identidem inculcat, ut rem Christianam citra tamen adflictionem exasperationemque ethnicorum foveat, promoveatque, Dietum vero & Miressum nuperrime a se institutos moderatores consiliariosque parentum loco ducat; sic Spitignæus monitum patris accepit, tanquam haud magni facere videretur. Imo cum quodam supercilio indignanti similis respondisse fertur: „ Non magis Christiani quam ethnici clientes mei sunt, „ utrorumque bono & incremento intenta, oportet, sit mea „ cura. Dietum & Miressum semper ministrorum loco habui. Meum est, quod fieri vellem, imperare, illorum ad „ omnem imperantis nutum obedientes esse. „ (a) Exterriti multumque turbati tam inexspectato responso sanctissimi parentes continuo se in genua ad deprecandum numen demittunt. At Spitignæus vale dicto se Wissehradum proripit, ipso reditu gravi morbo correptus, octavo, quam pa-

Spitignæi aspera adversus Parentes oratio.

Moritur.

rentes deseruit die, animam exhalavit. (b) Primus Bohemiæ Principum in Teynensi templo Christiano ritu haud præter celebritatem tumulatus. (c)

Semovitus Dux Poloniæ moritur.

Eodem anno Polonorum Dux Semovitus filius Piasti mortuus est, Lestkonem hujus nominis IV. heredem successoremque relinquens. Ejus adolescentia cumprimis a morum civilitate commendabatur, virilis ætas etiam prudentiam felicitatemque comites habuit. Poloniam etenim subacta Pomerania auxit ditionibus. (d)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCVI.

SERGII III. PAPÆ 3. LUDOVICI III. IMP. 7. SPITIGNÆI 12. TUTONIS *Ep. Rat.* 13.

(a) Hæc temere adversus pietatem, quam omnes veteres in Spitignæo prædicant, effictæ sunt. Quos in hac re duces Dubravius & Hagecius habuerit, haud constat.

Pessina Phosph. sept. Rad. 3.

(b) Pessina, qui Hagecium in prioribus narratis sequitur, subjungit: *Nec multo post pœna Dei e vestigio pene sequente infirmari cœpit ita graviter, ut intra octiduum (non tamen sine pœnitentiâ, & male ante dictorum & factorum dolore) desierit.* Ita nempe error ex errore nascitur. Primus enim inventus Dalemilus, qui præter veteriorum mentem breve imperium Spitignæo adscripsit, cujus causam cum posteriores ariolarentur, hoc contumax & refractarium adversus patrem facinus effinxerunt. Qua ratione magna injuria manibus Spitignæi insita, quem non modo a probitate commendant omnes vetustiores scriptores, sed etiam multo majorem ætatem attigisse scribunt. *Peraclis*, inquit Christannus, *vitæ suæ quadraginta annis luce ex hac migravit astra petens*, totidem annos ei tribuit vita S. Ludmillæ e Codice Dresdensi vulgata. Quanquam nec Christanni nec vitæ S. Ludmillæ Codicis Dresdensis calculo annorum

Dalemil. hist. Bolesl. c. 25.

Menken. T. III. p. 1808.

rum fidem integram concedendam esse moneant nos vetustiora monumenta: si enim juxta Continuatorem Annalium Francofuldensium Spitignæus jam anno 895. interfuit Comitiis Ratisbonensibus, si juxta vitam S. Wenceslai jussu Ottonis II. scriptam sub Henrico Aucupe aquis baptismalibus primum ablutus, ac denique Sigeberto Gemblacensi teste anno adhuc 912 *juste & religiose in Boemia principabatur*, ætas etiam quadragenario major illi concedenda erit. Nec enim vetustissima vita S. Ludmillæ e Codice Clementino S. J. e qua plurima excerpsit Christannus ac ad verbum subinde exscripsit, Spitignæo seu ætatis seu regiminis certum aliquem annum adsignat, ut merito posteriorum ariolationes videri debeant, quæquæ tum de illius, tum patris Borzivogii fratrisque Wratislai ætate tam in Christanni quam in Codicis Dresdensis vita S. Ludmillæ leguntur. Quare etiam fidem vix meretur Chronicon Monasterii Mellicensis, quod Spitignæum serius quidem, sed ante Henrici Aucupis imperium nempe anno 915. demortuum scribit, quæ verba Hieronymus Pezius minutiori characterè excusa reddidit, ad ostendendum illa in hoc Mellicensi Chronico recentiori manu fuisse adscripta, ut in suis præviis observationibus ad hoc Chronicon prænotat. Rectè igitur ad hunc locum scribit noster P. Victorinus: *Quamvis Hagecius Spitignæum non multis dictu præclara feciſſe ſcribat, non desunt tamen luculentissimi scriptores, qui eidem & plures dominationis annos tribuant, & a pluribus rebus præclare gestis commendent.* Id certe cum omnium veterum relatis pugnat Spitignæum Borzivogio patri fuisse præmortuum, quod ante Dubravium & Hagecium nemo patriorum scriptorum asseruit.

Hier. Pez. T. I. p. 217.

Victorini Ms.

(c) De eo rursum nemo veterum verbum: natumque procul dubio ex conjectura, cum Teynense templum principale creditum sit. Num vero Spitignæus, ut hodie communis persuasio est, Romæ hospitale erexerit, in Prætermissis nostris excutiemus. Ceterum simulacrum illius ex toties laudato Ms. Picturato hic lectoris oculis subjicimus.

(d) His plane contraria narrat Dlugossus, qui cum eum a prudentia, justitia & liberalitate commendasset: *Militiæ tamen munera* (inquit) *non æque ut pater coluit, partisque & restauratis per patrem nihil adjecit, & bellum contra Principes Slavorum Cassubiturum & Pomeranorum penitus gerere intermisit.* Quin Sarnicius socordiæ illius imputat, quod Slavi Polonis fœderati tributum Teutonibus pendere coacti sint, quodque Sgorzelicia id est Budissinensis regio erepta fuerit. Vincentius

Dlugoss. hist. Pol. l. 1. p. 86.

Annal. Pol. l. 5. c. 8.

Kadlubek. l. 2. epist. 10. Kadlubek vero primus Polonorum scriptor præter nomen & filium ejus Zemomysl vix quidpiam de illo retulit.

PRÆTERMISSA.

I. Redactis sub tributum Bajoariis evacuataque Bajoaria Ungari rursum arma contra Græcos movent, eosque eidem jugo subjiciunt, de quo brevissime Sigebertus Gemblacensis ad hunc annum: *Hungari victos Græcos sub tributo redigunt.* Quod totidem verbis denuo repetit Albericus Monachus Trium Fontium. Hæc succinctissime narrata fortassis haud inconcinne illustrari possunt ex capite 38. & 39. Anonymi Belæ Hungariæ Regis Notarii, qui narrata Nitriensis regionis occupatione tantum terrore perculsum memorat Moraviæ Ducem, ut, cum merito metueret se penitus Regno exturbandum, apud Græcorum Imp. & Bulgar. Regem auxilia quæsierit, quibus impetratis ait illum magno exercitu contra Ducem Hungarorum Arpad moviſſe, sed commisso prælio victum fugatumque, Græcos etiam & Bulgaros metu dilapsos, atque cum Thysciam flumen transnatare vellent, fere omnes aquarum vehementia & altitudine abreptos submersosque. Plures præterea Hungarorum res gestas cum Bulgaris Græcisque narrat, sed quandoquidem ex ordine Chronologico nusquam scribit, quo ea referenda sint, obscurum est. Mihi supra relatus Sigeberti Gemblacensis locus haud alio respicere videtur, quam ad Græcorum terras mari Adriatico adsitas, quas cum Hungari jam ante suam in Italiam irruptionem sub tributum miserint, & procul dubio Græci elongatis aliquantum in Bajoaria & Moraviæ Regno Hungaris se hoc jugo expedire conati sint, anno hoc victi rursum colla submittere debuere. Alius autem Ungarorum exercitus hoc ipso anno in Saxoniam penetravit; nam vastatam ab iis fuisse memorant Schafnaburgensis, Chronicon Herveldense & Hildesheimense iisdem prorsus verbis: *Ungari vastaverunt Saxoniam.* At qua via Ungaros in Saxoniam penetrasse dicemus, quandoquidem tributi pensitatione reconciliati Bajoariis rediere in Pannoniam Græcosque adorti? Lucem quampiam obscuritati huic offundere videtur Witichindus Corbejensis, qui narrata Hungarorum per Arnulphum provocatione de prima Hungarorum in Saxoniam irruptione ita scribit: *Prædictus igitur exercitus Ungarorum a Sclavis conductus multa strage in Saxonia facta, & infinita capta præda in Dalamantiam reversi, obvium invenerunt alium exercitum Ungarorum &c,* quod cum ante obitum Ottonis Saxoniæ Ducis (qui teste Necro-

Chron. Alberici ad h. a.

Schwandtner. T. I. script. Hung. p. 24. & 25.

Ad h. a.

Witichind. l. 1. p. 635.

erologio Fuldensi anno 912. occidit) narret, vix dubium est ad annum præsentem id spectare. Isthic igitur cum Witichindus dicat: devastata Saxonia *Ungaros reversos in Dalmanciam* seu Dalemincianm, quæ hodiernæ Misniæ portio est, planæ liquet e Dalemincia illos fuisse egressos. Ad eam autem unde Ungaros pervenisse dicamus nisi ex confine Bohemia, quam cæsis nuper Bajoariis Boemorumque & Moravorum auxiliis apertam reperere? Quos vero Sclavos Sorabosne an Bohemos Witichindus intelligat, qui Hungaros ad inferendam Saxonibus stragem conduxerunt, non prodit, Sorabos tamen fuisse postea videbitur. Bohemos Hungaris tributarios factos fuisse scribit Anonymus Regis Belæ Notarius c. 57. Hungarorum etiam plures familias in Bohemia sedes fixisse ex consequentium annorum historia testatum sit, e quibus conjicere licet Boemos hac tributi ratione sibi conciliasse Hungaros, perpessosque, ut per eorundem Ducatum conducti a Sorabis in Saxoniam irrumperent. Nam idem Belæ Notarius dicit *ea conditione* Boemorum fines ad usque Moravam fluvium posterius concessos, *ut Dux eorum annuatim tributa persolveret Duci Hungariæ.* Quæ profecto hanc inter utramque gentem inita pacta quandam speciem amicitiæ præsetulere, ut toties Bohemia hostiliter non infestaretur ab Hungaris, idemque fatum cum Moraviæ Regno non experiretur.

Leibnit. script. Brunsv. T. III. præf. p. 31.

Ap. Schwandtner. T. I. p. 37.

II. Quod ad gesta Spitignæi Ducis (cujus imperii hic secundus postremusque annus e calculo Hagecii est) attinet: illi communi jam patriorum historicorum sententia fundatio hospitalis Romæ pro peregrinis Bohemis excipiendis olim erecti tribuitur, de cujus hospitalis origine, progressu, fatisque prolixam elegantissimamque dissertationem acervatis omnibus veteribus recentioribusque memoriis conscripsit Eruditissimus Vir Joannes Clauser Archivarius Regius prelo dignissimam. Primus autem est Theophylus Raynaudus, qui erectionem hospitalis istius Spitignæo vendicat, de quo ita commentatur Balbinus: *Raynaudus ex omnibus Hospitalium Romæ domorum originibus lectis sibi compertum esse ait: Spitihnæum Bohemiæ Ducem cum Romam peregrinus advenisset (quod ego usquam in historiis legisse memini) hospitium peregrinis Bohemis excipiendis in regione Pontis Adriani juxta sacram B. Luciæ ædem statuisse, quam domum multis post seculis vetustate cadentem Carolus IV. Bohemiæ Rex pro Bohemis suis instauravit, ac plurimum locupletavit. - - - Annus tamen in controversiam venit: nam cum Romanæ origines annum 931. consignent, scriptores nostri omnes* (nempe post Hagecium) *Spitignæum Ducem annum Domini 907.*

Tom. XVII. Tract. Amor nationis temp. Balbin. Epit. l. 1. c. 4.

vivendo non superasse tradiderunt. Conciliari pugnantes in speciem sententiæ facile possunt, ut videlicet Spitihnæus peregrinationem ante annum 907. obierit, domumque peregrinis Bohemis statuerit, cujus tamen absolutio & dotatio primum anno 931. regnante S. Wenceslao sit perfecta, adeoque prima Xenodochii fundatio Spitihnæum, absolutio vero S. Wenceslaum habebit authorem. Hactenus Balbinus, cujus circa Chronologiam motum dubium verosimillime Crugerium impulit, ut is scribat: *Hospitale hoc cœptum parvis initiis sub S. Wenceslao, auctum parum majoribus mediis sub Wratislao I. Bohemorum Rege, ab Udalrico Rosenbergio sub Carolo IV. ita inauctum, & completatum, ut cæterarum gentium hospitalia adæquaret.* Ego vero multum dubito Theophylum Raynaudum seu inscriptionem aliquam seu veteres chartas membranasve rei hujus testes habuisse præ manibus, ut notitiam hanc vix quidem alio fonte quam traditione promanasse existimem. Nam vel ipsi Itali scriptores in narratis non conveniunt. Carolus enim Piazza tribuit id Borzivogio, atque anno 931. sub Pontificatu Stephani VII. accidisse, quod Borzivogius X. Dux Boh. Spironco dictus cum multis suorum Romam venerit & visitatis locis sacris hoc hospitale condens Divo Methudio dedicaverit, inter quæ etiam maxime lapsus, cum eundem Borzivogium instinctu Henrici Imperatoris baptizatum, & ab eodem Regis nomine nobilitatum ait. Id certo difficillime defendi potest, quod tam Raynaudus, quam Piazza & Camillus Fanucci adstruit, hospitale hoc unum idemque fuisse cum eo, quod dein sæculo XIV. Carolus IV. Romæ fundavit. Præterquam enim quod tam inscriptio, quæ in saxo hujus hospitalis excisa adhuc superiore sæculo legebatur, quam Urbani VI. Bulla, quæ plumbeo sigillo pendente in Archivo Trebonensi asservatur, Spitignæi ne mentionem quidem faciant, utraque Carolum hujus hospitalis non quidem restauratorem, sed authorem ac conditorem primum declarat. Juvat hic exscribere illa, quæ anno 1655. D. de Emeric causarum in Romana Curia Agens ad Eminentissimi Cardinalis Ernesti ab Harrach Archiepiscopi Pragensis quæsita Italico respondit idiomate, quæ hic latina reddimus: „ Hospitale, in„ quit, Bohemorum stetit olim in via, quæ tendit in platea peregri„ norum versus macella e regione S. Luciæ de vexillo vulgo *del con„ fallone*, ut id liquet ex inscriptione, quæ videtur in domo septima „ earum, quæ ad dictum hospitale pertinent. Ibi enim legitur: HIC „ OLIM ERAT HOSPITALE BOHEMORUM. Domus hac inscrip„ tione notata cornualis est respectu cujusdam parvæ plateæ versus novam „ Ecclesiam, in cujus medio muro lapidi hæc inscriptio insisa est: „

Ad

Cruger. sacr. Pulv. ad 4. Martii p. 406.

Carlo Piazza Cussevologio Romano overo delle opere pie di Roma. Trattato II. degli Spedali Nazionali p. 83.

Libro di tutte le opere pie di Roma l. 1. c. 21.

Mss Bibliothecæ Excell. Comitis a Waldstein. Episcop. Litomer.

Ad laudem Dei, ſancti Ducis Wenceslai, pro gloria regni Bohemiæ inclyti fecit fieri hanc domum Hoſple Boemorum Nicolai Stephanus de Vantoſe Sleſiæ natus. Accepta tibi ſit iſta Xpe ſæculi Salus. MCCCCLXXIII.

„ Legitur præterea in frontiſpicio uniuscujusque ex his ſeptem „ domibus hæc epigraphe: DOMUS HOSPITALIS BOHEMORUM „ cum numero I. II. III. IV. V. VI. VII. In quinta domo prope me„ dium frontiſpicii reperitur in quodam a ceteris diſtincto lapide hæc „ exſculpta ſcriptura: „

Carolus Imperator IV. Rex Bohemiæ me fecit, & N. horum Procurator Hoſplis pritis (*præſentis*) & nationis Bohemorum ruinoſum refecit An. MCCCCLVII.

Mendoſe igitur hanc inſcriptionem edidit Carolus Piazza, dum verba ME FECIT, quæ Carolum IV. Conditorem reſpiciunt, omiſit, atque ex reliquæ orationis fragmento aliis occaſionem præbuit, ut Carolus IV. ſolum hanc domum refeciſſe crederetur. Legit tamen Bzovius ex Theodori Amydeni libello de pietate Romana P. I. c. 2. §. 17. loco vocis PROCURATOR in hac ipſa inſcriptione vocem PROTECTOR, quæ diſcrepantia ad rem præſentem nihil prorſum facit. Ex hujus itaque inſcriptionis verbis habemus hoſpitalis hujus primum conditorem fuiſſe Carolum IV. reſtauratorem vero nationis Boemicæ Procuratorem. Quod vero Carolus domum hanc vetuſtate cadentem, ut noſtri aſſerunt, non inſtauraverit, ſed ſuis & conjugis Imperatricis Eliſabethæ pecuniis emerit, ac demum per Roſenbergios ſuo nomine dotari fecerit, teſtis eſt hodie Bulla Urbani VI. quæ illæſa in Archivo Trebonenſi aſſervatur hujus tenoris:

Urbanus VI. Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Humilibus & honeſtis ſupplicationibus annuimus, illaque proſequimur favoribus opportunis. Sane petitio pro parte cariſſime in Chriſto

ſio filie noſtre Eliſabet Romanorum Imperatricis ſemper Auguſte continebat, quod olim ipſa & clare memorie Romanorum Imperator vir ejus cupientes terrena in celeſtia, & tranſitoria in eterna felici commercio commutare, & pie compatientes pauperum & miſerabilium perſonarum neceſſitatibus, ac ad opera miſericordie ferventer aſpirantes, quandam domum in Alma Urbe conſiſtentem prope Campum Floris, & inter ſancti Stephani & ſancti Blaſii Parochiales Eccleſias ſitam de propriis eorum pecuniis emerunt, ſeu emi fecerunt, ac voluerunt, & ordinaverunt, quod domus iſta eſſet hoſpitale pauperum debilium, & infirmorum de partibus Bohemie ad prefatam urbem pro tempore venientium, ipſamque domum hujusmodi pauperibus donarunt, & eisdem aſſignarunt, proponentes domum ſeu hoſpitale hujusmodi ſufficienter dotare; quodque poſtmodum Imperator & Imperatrix prædicti diverſis aliis arduis negotiis Romani Imperii impediti dilectis filiis Petro Roſenberg Præpoſito Capellæ Regiæ Omnium Sanctorum in caſtro Pragenſi, & Nobilibus Viris Ulrico & Joanni de Roſenberg fratribus domicellis Pragenſibus hoc commiſerunt, ac mandarunt, ut domum ſeu hoſpitale hujusmodi nomine Ipſorum Imperatoris & Imperatricis ſufficienter dotarent, prefatique domicelli commiſſionem ac mandatum hujusmodi exequentes decem & novem ſexagenas cum medio fertone cenſus annui & perpetui pagamenti Bohemæ videlicet in villa Orlin novem ſexagenas, & prope introitum ville in Przibenitz dicte decem alias ſexagenas cum medio fertone donarunt, & etiam aſſignarunt, prout in patentibus literis inde confectis dictorum Prepoſiti & domicellorum ſigillis munitis dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicte Imperatricis fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut hujusmodi voluntati, & ordinationi predictorum Imperatoris & Imperatricis donationem & aſſignationem per dictos domicellos, ut præfertur, factis, robur Apoſtolice firmitatis adjicere de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur hujusmodi ſupplicationibus inclinati voluntatem, & ordinationem, ac donationem & aſſignationem hujusmodi ratas habentes & gratas, illas auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si

quis

quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Roma apud S. Petrum - - Augusti Pontificatus nostri anno secundo.

OLDRADUS
JO. DE SCOMPTO q. h. q.
2. p. de monte Flascon.

Confirmat id etiam epistola Ladislai & Georgii seniorum Baronum a Lobkovitz ad Sixtum summum Pontificem data, quam integram vulgavit Hammerschmidius, in qua itidem Carolus IV. hospitale hoc erexisse, non restauraſſe dicitur, sic vero habet: *Hospitalis Boemici, quod Carolus IV. Roma a se erectum peregrinis Bohemis destinavit.* Rosenbergii autem hac sua commissione per Carolum IV. imposita meruerunt, ut hujus hospitalis perpetui patroni essent, & usque ad Mathiæ Bohemiæ & Ungariæ Regis tempora jus Patronatus in capellanatum prædicti Xenodochii exercerent, quod plures literæ in Archivo Trebonensi ostendunt, nominatimque id testatur supplex libellus Bobenzii Forstellini Canonici Budissinensis adhuc anno 1473. seu 74. Jodoco de Rosenberg Roma missus, quo se in capellanum hujus hospitalis præsentari postulat. Postea vero cum sectis in Bohemia magis magisque grassantibus hospitale hoc Romæ deficeret, & Lobkovicii proceres Pragæ *Domum Pauperum* sub cura AA. RR. PP. Societatis Jesu fundassent, institerunt illi urgente cumprimis Rudolpho II. Imp. ad summum Pontificem, ut reditus hujus hospitalis Pragenæ domui pauperum applicarentur, quod haud invite fecit Sixtus V. adjudicatis quibusdam censibus hospitalium Romanorum Bohemicæ nationis huic fundationi, quæ tamen *Domus Pauperum* postea anno 1630. a Ferdinando II. Imper. ducta est certo numero adolescentum nobilitatis Bohemæ, & antiquato priore nomine publico diplomate jussa est appellari *Seminarium S. Wenceslai*, cujus argumenti plures literas recitat Hammerschmidius, & ad usque nostra tempora acervavit omnia Eruditissimus Vir Joannes Clauser, unde plura excerpsimus. *Prodrom. Glor. Prag. c. 5. p. 113.*

Jam quanquam indubium sit hospitale hoc Romanum a Carolo IV. coeptum, erectumque fuisse, tamen penitus derogare nolumus fidei Italorum scriptorum, qui traditione aliqua hospitalis Bohemorum

Romæ originem jam a Spitignæi, seu plane Borzivogii Ducis nostri temporibus repetunt, sed aliud a Caroli IV. Xenodochio id fuisse statuendum est. Nam Sixtus V. Papa in Bulla sua, quam vulgavit Hammerschmidius ultro fatetur plura nationis Bohemæ fuisse Romæ hospitalia. Existimamus autem primitus seu a Borzivojo seu Spitignæo filio Romæ non quidem hospitale, sed scholas erectas, in quibus Clerici nationis Bohemæ necessariis studiis atque scientiis efformarentur, ut tandem in patria ad munia Ecclesiastica adhiberi possent, cursu vero temporum has scholas in hospitale fuisse conversas, quemadmodum cum pluribus aliarum gentium scholis accidit. Quod vero illis sæculis mos fuerit, ut cum gentes noviter ad Christum accederent, Romæ pro iisdem erigerentur scholæ, in quibus populares ad Ecclesiæ obsequia literis rituque instituerentur, haud obscure discimus ex Anastasio Bibliothecario, qui de reditu Leonis III. Papæ a Carolo M. ad urbem revertentis ita loquitur: *Sub adventum*, inquit, *simul etiam & cunctæ scholæ peregrinorum videlicet Francorum, Frisonum, Saxonum, atque Longobardorum simul omnes connexi ad pontem Milvium cum signis & bandis & canticis spiritualibus susceperunt, & in Ecclesiam B. Petri Apostoli deduxerunt.* Luculentius hujus rei testimonium habemus ex Inæ Anglorum Regis facto, qui Romæ sæculo priore nempe IX. popularibus suis ejusmodi scholas erexit, de quo Matthæus Westmonasterienſis monachus his verbis: *Ina Romæ fecit domum, quam scholam Anglorum appellari fecit, in qua eruditentur populares in fide Catholica, eique in singulis regni sui familiis unum denarium annuo censu pendi communi decreto præcepit. Id quod postea Offa & Ethelwolfus Britanniæ Reges confirmarunt non sine aliqua accessione.* Quibus addit Matthæus Paris in vita Willegodi primi Abbatis S. Albani: *Quæ schola propter peregrinorum confluxum ibidem solatia suscipientium versa est in Xenodochium, quod S. Spiritus dicitur.* Hunc vero denarium scholis Romanis pendi solitum postea appellatum fuisse *Denarium S. Petri* docet Ranulfus Castrensis l. 5. c. 24. Non incredibile igitur, confirmata apud nos aliquantulum religione Christiana, etiam genti Bohemæ ejusmodi scholam hoc ipso sæculo a Spitigneo fuisse erectam, quæ dein, ut aliæ gentium scholæ, multiplicato fidelium ad limina Apostolorum concursu, in hospitale peregrinorum conversa fuerit. Et fortassis hæc ipsa Spitignæi Romæ facta scholarum fundatio causa fuit, quod Dux Spitignæus tandem exteris innotuerit, ab iisque pro primo Christiano Bohemorum Duce habitus sit. Certe denarium S. Petri etiam a Regibus nostris, nomine quidem cumprimis Silesiæ, Romanæ sedi singulis annis

Idem ibid.

Apud Baron. ad An. 799. n. 7

nis penſitatum fuiſſe liquet ex vita Caroli IV. pluribusque bullis ſuis locis proferendis. Penſitabatur autem primitus hic denarius in eleemoſynam, quare in legibus Eduardi Regis *eleemoſyna B. Petri* vocatur. Poſtmodum, ut recte advertit Carolus Dufreſne Eccleſiaſtici patrimonii vim obtinuit, dictusque eſt *Cenſus Eccleſiæ*, ad cujus ſolutionem etiam ſubinde cenſuræ Eccleſiaſticæ adhibebantur, ut ex Chronico noſtro Aulæ Regiæ de Poloniæ Regno & Sileſia legere eſt. Nempe poſterius pars penſitationis annuæ trahebatur in uſus Romani Pontificis, altera ad hoſpitalium ſuſtentationem convertebatur, ut de ſchola Anglorum habet epiſtola Alexandri II. apud Baronium. *Gloſſar. vocab. Denar. S. Petri.* *Baron. ad An. 1068. n. 6.*

Quod ad Spitignæi memorias porro ſpectare videtur: Mſ. Anonymi monetas Ducum & Regum Bohemiæ deſcribens mentionem facit numi a Spitignæo procuſi, quem his verbis delineat: Ein ſilberner Solidus mit einem Creutz und Umſchrift:

SVNTPIHEID
1. 9. 7. 4. 2. 3. 5. 8. 6. 10.

Welches durch Verſetzung der Buchſtaben nichts anders als SPITHINEV D. das iſt: Dux heiſſet. Auf den Revers iſt eine Ædicula ſacra, darinnen die Buchſtaben CICI und Umſchrift SIEDV CHVTEN. Moneta hæc maximi æſtimanda eſſet, ſi ex authentico ſigno deſcripſit hic Anonymus. Transpoſitio literarum etiam in aliis exteris veteribus numis ſpectatur, ut Olearius ſpicilegio antiquit. I. num. 3. & 4. & in Iſagoge ad Numophylacium bracteatorum c. 3. ſect. 4. p. 20. adnotat, Abbasque Gotvicenſis numum bracteatum Friderici Imperatoris his literis ſignatum exhibet: SVCECIPE ROTAPEI. At litera *h* in voce *Spithinev* & *Chuten* mihi ſuſpicionem impoſturæ obtrudit. Nam Spitignæi nomen adhuc in multo poſterioribus manuſcriptis ipſisque numis Spitignæi ſecundi SPITGNEV legitur. *Chron. Gotvic. l. 2. in Friderico.*

ANNUS 907.

Primores gentis in caſtro Wiſſehrad congregati mature novum Principem circumſpicere cœperunt. Ad Bor-

zivojum Tetinium nuncios mittere placuit, eumque Principatui reddere. At ille habita benevolentiæ illorum gratia in ſuſcepto conſilio firmus ſic legatos audivit, ut conſtanter teſtaretur: ſuum ſibi receſſum orbis terrarum imperio dulciorem eſſe, neque ullas tam potentes ſibi videri regalis vitæ illecebras, a quibus ſe ſolitudine ſua extrahi pateretur. (a) Ceterum ſi conſiliis ſuis auſcultare vellent, Wratislao filio principatum deferrent. Conſilium iſtud probantibus primoribus legati ad adducendum Wratislaum adoleſcentem miſſi, cujus puſilla corporis moles ætasque cum nonnullis diſpliceret, tergiverſatum fuit aliquamdiu, num eum Ducem agnoſcerent? (b) At controvertebant alii efformandum eſſe Wratislaum præceptionibus & monitis Borzivoji, non ſecus atque prius Spitignæum. Quare multam poſt utrinque agitatam deliberationem Wratislaus Ducali throno impoſitus, Princeps ab omnibus de genu ſalutatus eſt. Tertio poſt die novi Ducis filique videndi cauſa Borzivojus Pragam venit. Aliquanto poſt etiam Methudius ad Boemiam reverſus Wiſſehradi divinis operatus eſt. Antequam pater abitum pararet vocatis proceribus, præcipuisque e nobilitate filium maxime ſalutaribus præceptis imbuit: timorem Dei, venerationem Chriſti nominis, incrementum religionis ſalviſicæ, fidelis populi amorem unice cordi haberet, quem cum denique Dobroſyni unius ex adminiſtris (c) & Methudii Epiſcopi ſollicitudini commendaſſet, patrisque loco habendos monuiſſet, Tetinium rediit. At Methudius diſſeminandi verbi divini cauſa regiones Boemiæ longe lateque peragravit. (d)

In-

Interea proceres quidam Lopotæque provinciarum uxorem Principi adduxerunt Drahomiram Brzoslavi filiam ex Luzanorum terris castroque Lutize seu Thodor appellato, (c) virginem qua forma nobilem, tam in Deorum cultu pervicacem, quæ fidem fecerat, cumprimum principalis thori potita esset, Christianis sacris per baptismum se accessuram. Sed fefellit datam fidem perjura, magisque indies studio colendorum dæmonum intenta. Quod quanquam Borzivojus & Ludmilla mœstissimo acciperent animo, nec intentatum quidpiam relinquerent, haud tamen pares fuere nurus a superstitione sua ad saniora revocandæ.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCVII.
SERGII III. PAPÆ 4. LUDOVICI III. IMP. 8.
SPITIGNÆI 13. TUTONIS *Epis. Rat.* 14.

(a) Quemadmodum supra ostendimus abdicationem Borzivogii nullo veteri fundamento niti, ita & hæc ad Ducatum revocatio nullum locum habet inter priscas authenticas historias.

(b) Perperam hæc asseruntur, cum constet Wratislaum jam ante annos 12. interfuisse Comitiis Ratisbonensibus, eumque ab exteris Ducis nomine impertitum.

(c) Ex his haud dubium relinquitur: Hagecium jam præ manibus habuisse Dubravii historiam, quam is paucis annis prius absolverat, ex qua ille pleraque mutuatus est. Chronologia tamen, ad quam singula gesta exigere conatus, partus est Hagecii, quam utinam accuratiori temporum supputatione digessisset. Id vero ex Dubravio prætermisit, cum is ad rerum harum narrationem subjungit: *Intervenit luctus Boriverio & Ludmillæ humano more lugentibus filioli Boleslai occubitum.* *Dubrav. l. 4.*

(*d*) Augustinus in Catalogo Episcoporum Moraviæ hoc ipse anno S. Methudium demortuum scribit. Pessina vero ait ab eo adhuc Wissehradi Cathedram Episcopalem fuisse institutam, quæ morte illius, & Drahomiræ persecutione præpedita fuerit, utne sedis Apostolicæ confirmationem assequeretur. Quæ quantum a vera Chronologiæ crisi absint, ex narratis ad annum 899. liquet.

Pessina Phosph. sept. Rad. 3 p. 124.

(*e*) Ea gravissima est omnium patriorum scriptorum hallucinatio, quod duce Dalemilo hactenus Drahomira pro Comitis Boemi filia habita, genitaque in provincia Zatecensi credita sit. Patris vero Brzoslavi nomen non habet antiquiores authores, quam Wenceslaum Ripæ Zatecensis historiæ scriptorem & Hagecium. Sed alia Drahomiræ statuenda patria, de qua ita Cosmas: *Qui* (Wratislaus) *accepit uxorem nomine Dragomiram de durissima gente Luticensi - - - ex provincia nomine Stodor.* Christannus: *Ducens uxorem nomine Dragomir ex provincia Slavorum paganorum, quæ Ztodor dicitur.* Non confundendi autem Luticenses seu Luitizii Slavi, qui ad occidentale Oderæ fluminis litus, & fluvium Panim accolebant, cum Luzanis seu Zatecensibus Boemiæ incolis, nec Ztodor & Luticz converti atque pro castro cum Hagecio haberi potest, quandoquidem Cosmas & Christannus provinciam vocant. Per quam illi nihil aliud intendebant, quam pagum Slavicum *Ztodor*, seu Slavos *Ztodoranos*, qui passim Luticensium seu Luitiziorum Wilzorumque nomine, quod illi a gestis cum Carolo M. aliisque Francicis regibus nominatiores essent, censebantur. Erat autem *Ztodor* seu *Ztodorani* pagus Slavicus in hodierna Marchia Brandeburgica ad fluvium Havelam juxta Brizanos, de quo Adamus Bremensis: *Sunt & alii Slavorum populi, qui inter Albim & Odderam degunt, sicut Helveldi, qui juxta Haloam* (Habolam seu Havelam) *sive Heilam fluvium, & Doxani, Leubuzi, Vilini, STODERANI cum aliis multis.* Idem habet Helmoldus, qui luculentissime ostendit, quo hæc provincia Ztodor spectet: *Brizanorum* (inquit) *& Ztoderanorum populi, qui Havelberg & Brandeburg, Slaviee Brannybor, inhabitant.* Et Ditmarus: *Imperator - - - accepta Slavorum rebellione Stoderaniam, quæ Havellim dicitur, armato petens milite vastavit.* Utriusque hujus Slavici pagi situm scilicet tam Luticensium seu Luitiziorum, quam Ztodoranorum indigitavimus in tabula nostra Geographica Parte II. Annal. Hagec. præmissa. Quibus præjactis jam pronum est statuere: Drahomiram Wratislai uxorem sanctique Wenceslai matrem non fuisse oriundam ex Bohemia & Zatecio, sed ex hodierna Brandeburgia veteri-

Chron. Gotvic. vocab. Luitizi. Adam. Brem. l. 2. ad An. 971

Helmold. l. 1. c. 2. & 37.

Ditmar. l. 4. p. 354

rique hujus Marchionatus provincia *Ztodorania*, ut fidem non mereatur seu Hagecius, qui Comitis Bohemi Brzoslavi, seu Paprocius, qui Wlastislai Zatecensis Principis filiam fecit. Nec audiendus sit Balbinus, qui castrum Boemiæ Zluticz dein Luticz appellatum anno 1353. a Carolo IV. eversum, hodie tamen oppidum in regione Zatecensi adhuc superstes, pro loco nativitatis Drahomiræ habuit. Non præter rationem autem Cosmas Drahomiram vocat *de durissima gente*. Num id nomen ipsius gentis connotat: *Lyuut* enim osca Slavorum & hodiernorum adhuc Dalmatarum lingua *asperum* & durum significat; hinc *Luitecz* homo asper & durus. Non recte igitur Volhardus & Kunschke, qui ideo Luticensem gentem *durissimam* a Cosma appellatam fuisse ajunt, quod limitem acriter tuerentur contra Boemos. Quin Bohemos potissimum amice usos hac gente innuit Ditmarus, cum de Boleslao sævo Duce Bohemiæ scribit: *Boleslaus Luiticios suis parentibus, & sibi semper fideles in auxilium suum vocat.* Erat is enim matre Luiticia Dragomira prognatus.

Paproc. in Diadocho. Balbin. Epit. p. 14. & Dec. 1. l. 3. p. 110.

Lodereker in Vocabul. septil. Dissertat. de Lusatia.

Ditmar. l. 4.

PRÆTERMISSA.

I. Convolantibus sub signa Hungarorum partim metu, partim spe prædæ plurimis Slavorum populis omnibusque veterum Hunnorum reliquiis, in immensum prope excrescebat eorum numerus, adeo ut hoc anno tribus locis longinque remotis, tribusque exercitibus agerent. Præterquam enim quod illæ Hungarorum copiæ, quæ superiore anno Thuringiam vastavere in Dalemincia perstiterint, ut ex anni sequentis narratis palam fiet, alius eorum in Bulgaria egit exercitus, cujus nonnullus ditiones sub tributum misit, sic enim Sigebertus Gemblacensis ad hunc annum: *Hungari Bulgaros victos tributarios sibi faciunt*, quod procul dubio de quibusdam Bosniæ hodiernæ atque Serviæ terris intelligendum est, quæ Bulgarorum imperium respiciebant. Tertii exercitus vim rursum experti Bojoarii, qui ab eo non modica affecti clade. Hermannus enim contractus scribit: *Bojoarii cum Ungariis commissa pugna victi sunt.* Breve vetus Chronicon Bajoariæ superiore anno ab eruditissimo Oefelio vulgatum: *Exercitus Bajowariorum occisus fuit.* Et Marianus Scotus: *Bajoarii ab Ungaris interficiuntur.* Chronicon Saxonicum: *Bavarii multis cæde prostrati sunt.* Continuator Reginonis & Chron. Saxonicum etiam Luitbaldum Ducem hoc in prælio occidisse memorat, sic enim prior: *Bavari cum Hungaris congressi multa cæde prostrati sunt, in qua congressione Luitboldus Dux occisus est, cui filius suus Arnolphus in Ducatu suc-*

Sig. Gembl. ad h. a.

Herm. Contr. apud Canis. ad h. a.

Marian. Scotus ad h. a. Scriptor. Rerum Gall. & Franc. T. VIII p. 223.

successit. Cujus tamen interfectionem Hermannus Contractus & Marianus Scotus primum ad annum sequentem reponit, vere similime quod eo demum ex vulneribus mortuus sit. Honorius in Chronico Salisburgensi, quod citat Hansizius, plures praeterea magni nominis hac clade involutos fuisse meminit: *Dietmarus*, inquit, *Archiepiscopus* (nempe Salisburgensis) *Otto* (Frisingensis) *Zacharias* (Sabonensis Episcopus) *in bello Hungarico occisi sunt.* Quorum nomina ad priorem annum etiam refert Chronicon Admontense. Praelium hoc per triduum protractum fuisse memorat Aventinus, illiusque initia & exitum copiosissime describit, qui, si fontem nobis indigitasset, non pluribus dubitandi occasionem praebuisset. Verba illius sunt: *Ludovicus Rex Germaniae atque Bojorum ex omni Bajoaria peracto delectu Anasiburgum novam Bojorum coloniam se confert. Adsunt Episcopi, monachorum antistites, Proceres Bojorum XV. Calend. Julii anno Christianae salutis nongentesimo super septimum. Ibi decretum omnium sententia, Ugros Bojoariae regno eliminandos esse. Vires igitur ex universis Bojoariae provinciis, ex Narscis, Boemis, Chamabis, Vindelicis, Noricis, Sensonibus, Athesinis, Stiriis, Venedis, Charinis, Carnis contrahuntur, bellum Ugris indicitur, intento infestoque exercitu utraque Danubii ripa proceres Bojorum in hostes contendunt. Ludovicus cum Burkhardo Bathavensi Episcopo, Arabone praefecto Anasiburgi substitit. Belli deinde periti omnes capias in tria agmina partiuntur. Luitpoldus Austriaci limitis Dux ripa Aquilonari, meridionali vero in parte Theodmarus Archimystae Juvavensis, Zacharias Sabonensis, Otto Fruxinensis cum Monachorum Praesulibus Gumpoldo, Hartvico, Helmprechte Vratislaviam usque procedunt, ibique castra facient. Eodem in Danubio Sighardus Senonum Princeps cognatus Regis, Ratboldus, Hattochus, Meginhardus & Eysengrimus* (is Hancrinus vasallus Moymiri) *Dynastae Bojorum perducunt, nec Ugri segnitiei atque socordiae, ubi se tantis apparatibus peti vident, se dedunt: cuncta antea, quae necessaria forent, arma, viros, equos comparant, jamque non pro gloria sed salute pugnaturi acriter resistunt. Interim aliquot equites ceteras Bojorum legiones lacessere jubent: Regesque utrique infuso equitatu, quo plurimum tum valebant agmen Episcoporum incessunt, quasi perruptura aciem pernicibus equis magna vi impetunt; ingentem sagittarum imbrem infundunt; Bojos spiculis, quae cerris arcubus jaculabantur, obruunt, rursusque cedunt. Velocieres erant, quam exercitus noster gravi armatura instructus. Rursus cum procul abesse credebantur, aderant, eadem velocitate & sequebantur, & fugiebant: dum te uticisse putares, in discrimine maximo eras. Eminus sagitta Ugri inimicos petebant: nec enim aperto Marte pedestri praelio acie congredi, nisi comminus pugnare, urbes obsidere, oppida oppugnare, castella ex-*

Hansiz. Germ. sac. T. I. p. 184 & 85.

Avent. Annal. Boj. l. 4.

pu-

pugnare tum noverant, sed nunc cedendo, nunc urgendo, infidisque dimicare soliti erant. Et tantus in illis dolus, tanta velocitas, tanta peritia militiæ inerat, ut absentes, an præsentes, fugitantes, an instantes, pacem simulantes an bellum gerentes perniciosiores essent? in incerto haberetur. Dum igitur vasto impetu advolant, rursus verso equo instant, utroque modo spicula spargunt, tela ingerunt, dextra, læva, a fronte, a tergo incursant, nostros defatigant, tandem undique ingruunt, undique Bojos fessos invadunt, superant, sternunt, cædunt V. Idus Augusti. Noctuque clanculum Danubium tranant. Luitpoldum legatum Ludovici, Eyssengrinum - - - cum omnibus copiis cum XV. dynastis in castris trucidant. Postridie hoc est III. Idus Augusti eos, qui ad naves erant, facile absque labore metu perterritos simili strage adficiunt. Tres dies continenter irato cœlo pugnatum: maxima pars nobilitatis Bajoariæ periit, vulgus promiscuum sine numero occisum. Hactenus Aventinus, quem quidem Hansizius veretur effrontis nugationis reum insimulare, aut hæc cerebro suo eduxisse pronuncia- *Hansiz. T. I. p. 184.*
re: contra tamen non pauci fidem ei derogant, subjungitque huic narrationi Sigismundus Calles: *Hæc apud cordatum lectorem fidem ægre im-* *Annal. Austr.*
petrabunt. Multa quidem hujus prælii descriptioni insunt vera atque ex *l. 4. p. 233.*
veterum memoriis inserta, multa ab Aventino sine tabulis præterque eorum temporum crisim historiarumque indicia adjecta. Non enim dubium movere velim de Ottone Frisingensi Episcopo cum Sigismundo Calles, quem is jam 30. Junii defunctum ostendit, certe quod de Boemorum auxiliis adfert Aventinus, locum vix habere potest, cum non obscure superiore anno innuerimus Boemos Ungaris certis pactis conciliatos fuisse, atque per Boemiam in Daleminciam immissos; ubi etiam aut plane in Bohemia anno præsente perstiterunt. Quod ad *Wratislaviam* attinet (per quam Aventinus illam Rasticis seu Ratislai Moraviæ Ducis anonymam atque ab Annalibus Fuldensibus indigitatam civitatem intelligit) merum figmentum est Aventini, Vratislaviæ enim civitatis Moravorum nemo veterum recentiorumque meminit, quemadmodum & illud nuspiam testatum reperitur: prælium hoc in Regno Moraviæ, aut a III. Idus Augusti tribus continuis diebus gestum fuisse. Id tamen ex omnibus veteribus certum indubitatumque: cruentissimam hanc Bajoariorum fuisse cladem, quam tandem Regni Moravici universale excidium & pene nominis obliteratio consecuta est. Adeo ut meo quidem judicio satius fecisset Aventinus, si Moravos, quam Boemos inter Ludovici auxilia numerasset. Sed de hac regni Moravici eversione jam §. sequente.

II. Cum Aventinus superiore clade Isanricum Clientem Moymiri Moraviæ Ducis cæsum dicat, argumentationem inde capiunt viri quique eruditissimi, inter quos etiam Clarissimus Georgius Pray S. J. procul dubio hoc ipso prælio etiam Moymirum involutum fuisse, atque occubuisse, eo maxime quod illius memoria deinceps non occurat; atque propterea existimant Moraviæ Regnum capite destitutum penitus Hungaris in prædam cessisse. Quæ opinio merito familiam duceret, si vel aliquo vetusto documento testatum feciſſet Aventinus hac clade Isancrinum cecidisse. XV. Kalendas Julii præsentis anni Isancrinum adhuc superfuisse legitur ex Ludovici Regis Germaniæ diplomate, quo ad preces Dietmari Archiepiscopi, Luitpoldi & Isangrini illustrium Comitum ob devastationem Diœcesis a paganis nempe Hungaris factam confirmat Burchardo Episcopo Patavienſi Ottingam; post quæ nulla illius amplius inter veteres memoria. An vero rem acu tetigerit Eruditissimus Assemanus, dum ex hoc diplomate, Isancrinoque superstite convincere conatur hoc ipso tempore Moimirum etiam adhuc in vivis fuisse, aliorum judicio definiendum relinquimus. Id vix dubium seu hoc seu alio annorum istorum bello Moymirum exstinctum, nam interfectum fuisse tradit Dandulus, cum cujus casu simul omnis Regni Moravici gloria concidit. Istud enim fatale temporis punctum, quo cum turba historicorum Doctissimi Viri Assemanus, Sigismundus Calles, & Georgius Pray florentissimi Regni interitum accidisse recte sentiunt, quo nempe id evenit, quod scriptum reliquit gestis his coævus Constantinus Porphyrogenitus: *Invadentes*, inquit, *Turcæ, funditus eos* (Moravos) *exstirparunt, regionem eorum occuparunt, quam in hodiernum usque diem incolunt* (nempe annum 849.) *quæque supererat multitudo dissipata confugit ad finitimas gentes, nimirum Bulgaros, Turcas, Chrobatos* (quo nomine Boemos solet indigitare) *& ad reliquas nationes.* Et hanc tandem pœnam effectumque fuisse anathematis olim a Divo Methudio in Moraviam vibrati his verbis lamentatur Christannus: *Pagus ejus* (nempe Suatopluci) *& rus cum habitantibus incolis anathemate percussa cum sulcis suis & fructibus diversis cladibus attrita usque in hodiernum diem defletur. Data est enim in direptionem & captivitatem, & prædam, & derisum, & desolationem, & in sibilum universæ carni gradienti per eum.* Atque ut narrat Anonymus Belæ Notarius: Hungari *Sclavorum & Pannoniorum gentes & regna vastaverunt, & eorum regiones occupaverunt, sed & Carinthiorum, Moravensium fines crebris incursionibus diripuerunt, quorum multa millia hominum in ore gladii occiderunt, præsidia subverterunt, & regiones eorum possederunt, & usque in hodiernum diem*

Annal. Hung. P. 3. l. 1. p. 347

Assemān. T. III. p. 324.

Idem T. IV. p. 24. in notis.

Dandul. edit. Murat. p. 199.

Assemān. T. III. p. 329.

Annal. Austr. p. 228. Annal. Hunn. P. 3. l. 1. p. 347. Const. Porphyr. p. 41.

Belæ Notar. c. 50.

diem adjuvante Domino potenter & pacifice posteritas eorum detinet. Quam prostrata vero hic locorum fuerit res Christiana prodit Benedictus VII. in literis suis posterius sub Ottone datis: *Jam multis retroactis temporibus ex vicinorum frequenti populatione barbarorum Pannonia deserta, & in solitudinem redacta nullum Christianæ professionis habitatorem meminit, usque dum invictissimus Augustus & pater gratiæ Otto magnus bellico triumpho eorum vires retudit.* Qua denique ferocitate in Ecclesias Christique gregem Hungari desævierint ad vivum depingit Salomon Episcopus Constantiensis oculatus & auritus harum calamitatum testis:

Salomon in Carmine ad Dadonem Episcop. Biblioth. Max. Patrum p. 1301.

Ingenuos maledicta cohors Chananæa triumphat.
Libertos olim servilis factio cædit.
Ferre canis pretium templo lex prisca refutat,
Hunc canis ipse domum Christi spurcissimus intrat.
Dat necibus plebem, vulgo res, ignibus ædem.
Ad mensam Domini sacram manus impia scindit.
Tractat pollutus sanctorum pignora tactus,
Ecclesiaque pecus peregre transducit abactum.
Non miseret patris, nulla est miseratio matris.
Transfigit natum feritas ante ora parentum.
Nec natum redimit, quod mater funera plangit,
Junior atque senex, lactens, puer, atque puella.
Alter in alterius moribundi cæde volutant.
- - - - Spoliatæ civibus urbes.
Ac desolati demptis cultoribus agri,
Campi cæsorum siccatis ossibus albent.
Jam puto tot vivi non sunt, quod morte perempti.

ANNUS 908.

Ex tam obstinata matre filius circumagente se anno feliciter prodiit: (a) Wenceslaum parentes dixere, quam vocem si latine reddas: majorem gloriam significabis. (b) Lætus felici puero Wratislaus ea continua cura anxius pulsabatur, nequa forte profanæ matris superstitio-

Wenceslaus nascitur.

nem cum lacte sugeret, aut doctis ejus artibus lenociniisque aliquando ad Deorum cultum pelliceretur Christo initiatus infans, itaque periclitatur omnia, ut conjugi Drahomiræ Christi religionem persuadeat, eamque ad Baptismi gratiam perducat. Nec minor erat Episcopi sollicitudo, qui frustra pluribus sermonibus adamantinum cor emollire laborabat. Sed illa saxi instar obdurata, vitio suæ patriæ, sic Methudii abusa est eloquentia, ut etiam Christianis infestior fieret. Ea etenim non solius Dragomiræ sed omnium Luczanorum seu Zatecensium maxime circa Thodor (c) natalem illius locum erat obstinatio, ut postremi omnium, frustratis plurimis virorum Apostolicorum laboribus, ad Christiana sacra accesserint. (d) Cum adverterent igitur Wratislaus & Episcopus se æthiopem lavare, omnem vim ad preces contulerunt, supremum numen efflagitantes, ut rosa, quæ his execrandis spinis propululasset, aliquando ea repararet, quæ exitiosa mater aspernaretur atque contemneret. Wenceslaus, inquam, ut in Christiani absoluti exemplum adolesceret, atque olim Ducatus gubernacula indepturus Christi fidem ad optatam felicitatem eveheret. (e)

Frustratus labor in Drahomira ad Christum perducenda.

Spes in S. Wenceslao repositæ.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCVIII.

SERGII III. PAPÆ 5. LUDOVICI III. IMP. 9.

SPITIGNÆI 14. TUTONIS *Ep. Rat.* 15.

(a) Vetustissimæ vitæ S. Wenceslai tum illæ, quæ jam a Bollandianis nostrisque excusæ tum aliæ quatuor, olim a me inter monumenta inedita publicanda, non modo annum nativitatis S. Wen-

Wenceslai prætermisere, sed de ipsa penitus conticuerunt. Primus igitur omnium Hagecius, qui nativitatem illius præsenti anno illigavit, cum vel martyrii mortisque annus mille difficultatibus dubiisque sit obnoxius. Hagecium secutus Pessina, & Stredovskius, qui addunt a S. Methudio in Ecclesia Wissehradensi sacris baptismi aquis ablutum, quem annum etiam retinuit Hammerschmid. Breviarium tamen Ecclesiæ Prag. in gloria S. Wenceslai Tit. I, Clementi IX. Papæ dedicatum uno anno posterius nempe 909. S. Wenceslaum natum perhibet. Sed apponere libet Clarissimi Viri Operis Bollandiani Continuatoris de hac Hagecii Chronologia judicium: *Ego Hagecii Chronologiam in rebus tam procul a se remotis, ob manifestos errores, quorum aliquos suis locis notabo, etiam hic parvi facio, neque ipsi fine antiquiori teste aut argumento asserenti credere possum S. Wenceslai nativitatem in annum Christi* 908. *incidisse. At quantum ex variis Christiani assertis colligere mihi licuit, annus sancti natalis ab Hagecio assignatus non longe a vero aberrare potuit; sic tamen, ut eundem paulo citius potius quam serius natum suspicer.* Quibus posterioribus verbis utroque pollice subscribo.

Pessina Phosph. Sept. Rud 3. p. 124. Stredovsky l. 4. c. 7. p. 363.

Acta SS. ad 28. Sept. §. 2. n. 37.

(*b*) Elogium hoc: *Major gloria* non habet S. Wenceslaus ex interpretatione aut etymologia nominis, sed ex vaticinio Libussæ, quæ Cosma teste vaticinata est: duas olim Pragæ ferendas aureas olivas, *Quæ cacumine suo usque ad septimum penetrabunt cælum, & per totum mundum signis & miraculis coruscabunt. Una ex his vocabitur Wechlava* (lege Wechi Slava) *latine major gloria &c.* Prisca enim Slavorum, & hodierna Dalmatarum lingua *major gloria* significat Slavice *Vechi Slava.* Contra S. Wenceslaus nuspiam *Wech* aut *Wechislaus* legitur sed veteres omnes nummi vel ab ipsius fratre Boleslao procusi habent *Wenzezlaus*, quod nomen per syncopen nonnunquam scriptum enunciatumque legitur *Wenzlaus.* Neutrum tamen *majorem gloriam connotat.* Si autem proprie atque ex antiqua significatione nomen *Wenceslaus* reddendum sit latine, significat *serti* seu *coronæ gloriam. Wenze* enim genitivus coronam sertumve, *Slava* gloriam significat. Græci id per Megalodoxum seu Periclem exprimere soliti.

Cosmas l. 1.

Lodereker in Vocab.

(*c*) Sandelius in sua versione Germanica Hagecii addidit *Luticz*, scilicet ut per oppidum Luticz, hodie in regione Satecensi superstes, explicet magis patriam Drahomiræ, sed ejus natales non pertinere ad Bohemiam superiore anno docuimus.

(*d*) Id fortaſſis ſi de Slavis Luiticiis ſeu Wlzis dicatur, verius erit, nam illi nonniſi ſub Henrico ſancto Imp. teſte Helmoldo l. 1. ad Chriſtum acceſſerunt. De regionis Zatecenſis obſtinatione tam diuturna nihil in veteribus proditum habemus.

Stredovsky l. 4. c. 7.

(*e*) Stredovskius addit: etiam a S. Methudio adjectas fuiſſe preces pro reſipiſcentia Suatebogii Moraviæ Ducis, quem hoc primum anno in eremum ſeceſſiſſe narrat. Sic nempe crevit hiſtoria noſtra, dum novitatis ſtudio alia atque alia a poſterioribus adjecta.

PRÆTERMISSA.

I. Nonnulla Chronica hoc anno rurſum bellum cum Bojoariis annunciant, in quo Luitpoldum cecidiſſe narrant, ſed veroſimillime id improprio loco relatum, pertinetque ad annum ſuperiorem, quo id recenſet Continuator Reginonis & Chronicon vetus Saxonicum. In Saxoniam autem & Thuringiam hoc anno denuo irrupiſſe Hungaros teſtatum habemus a pluribus veteribus: Hermannus Contractus ait: *Ad h. a. Script. Rerum Gallic. & Franc. T. VIII. p. 101.* *Ungarii Saxoniam & Thuringiam late vaſtant.* Continuator Reginonis: *Hungari iterum terminos tranſgreſſi Saxoniam & Thuringiam vaſtaverunt.* Eadem habet Chronicon Augienſe, Marianus Scotus, author Chronici Mellicenſis, aliique. Marianus Scotus etiam addit: *Burchardus quoque Dux Thuringorum ab eisdem occiſus eſt.* Sed erat Burchardus Dux Alemanniæ, & non ab Hungaris, ſed *in conventu ſuo orto tumultu* (anno 911.) *occiſus eſt*, ut ait Hermannus Contractus. Hungaricus vero ille exercitus, qui Saxoniam vaſtavit, haud alius fuit ab eo, qui annos abhinc duos laceſſita Thuringia in Daleminciam rediit, nam de ſecunda Thuringiæ & Saxoniæ populatione ita loquitur Witichindus: *Witichind. l. 1. p. 635.* *Prædictus igitur exercitus Ungarorum a Sclavis conductus, multa ſtrage in Saxonia facta* (nempe anno 906.) *& infinita capta præda in Dalamantiam* (Daleminciam) *reverſi, obvium invenerunt alium exercitum Ungarorum, qui comminati ſunt bellum inferre amicis eorum, eo quod auxilia eorum ſprevisſent, dum illos ad tantam prædam duxiſſent. Unde factum eſt, ut ſecundo vaſtaretur Saxonia ab Ungaris, & priori exercitu in Dalamantia ſecundum exſpectante, ipſa quoque in tantam penuriæ miſeriam ducta ſit, ut aliis nationibus eo anno, relicto proprio ſolo, pro annona ſervirent.* Verum non ſolum hæc duplicis exercitus præſentia in Dalemincia cauſa fuit, quod hæc provincia ad ſummam penuriam prolapſa, popularesque relicto proprio ſolo pro annona ſervi-

vire coacti sint, sed quia Otto Dux Saxoniæ, postquam Ungari ex Dalemincia recessissent, filium suum Henricum (is postea factus Rex Germaniæ & Auceps dictus) cum exercitu misit in Dalemincium, qui eam longe lateque vastavit, quod Dalemincii Hungaros in Saxonum perniciem conduxissent. Chronicon enim Saxonicum Anonymi (qui floruit sæculo X. ut probat Martinus Bouquet in præfat. T. VIII. scriptorum rerum Gallicarum & Francicarum) ita ad hunc annum loquitur: *Otto Saxoniæ Dux perpendens Heinrici prudentiam adsignavit ei exercitum adversus Dalmatiam, quam Teutonici Deleminci, Sclavi autem Glomaci appellant.* Quod autem Henricus pessime multaverit Dalemincium, haurimus ex Ditmaro, qui de hac expeditione ita scribit: *Hic* (Henricus) *nobilissimo Ottonis & Hattui* (id est Hedvigis) *stemmate editus, ut arbor occulta excrevit a puero & ut bona indolis gradatim enituit tiro, sicut flos in vere novo. Isque a patre suo in provinciam, quam nos Teuthonice Delemenci vocamus, Slavi autem Glomaci appellant, cum magno exercitu missus, devastata ea multum, atque incensa victor rediit.* E quibus jam habemus novum Hungarorum exercitum seu hoc seu magis præterito anno per Boemiam se infudisse in Dalemincium, indeque in Saxoniam, ambos vero exercitus vastata secundo Saxonia e Dalemincia recessisse, rediisseque; sed qua via id factum dicamus, quam per Boemiam? nisi hos exercitus magis adversus Aquilonem Slavosque septentrionales signa convertisse dicamus, de quo tamen inter veteres nihil proditum. Pari modo tectum est, quid ab Hungaris in Boemia gestum sit. Pacifice amiceque, quantum armorum licentia permittere solet, Boemis usos, persuadet tum Ducatus integer conservatus, tum haud interrupta Ducum nostrorum series. Familias quasque Hungarorum possessiones accepisse, agris donatas, urbium castellorumque venia a Ducibus nostris impertitas ex annorum consequentium historia discimus. Ita nempe Hungaris quibusque incolatus concessus, ut cum ceteris Boemiæ Slavis nexu vincirentur, legibus patriæ & Ducum nostrorum viverent, minime autem imperium sibi aliquod eorum Duces præter annuum tributum in Ducatum Ducesque nostros vindicarent, aut plane subjectione servili obnoxios facerent. Verbo: idem fatum, quanquam mitius, fuit Bohemiæ, quod universæ Germaniæ, in quam etsi crebro prædabundi excurrerent, nusquam tamen leguntur isthic sedes fixisse, aut præter annuum tributum aliud jus in eam usurpasse; factis latrocinationibus & prædis semper de reditu suo in Pannoniam cogitantes. Quare etiam Anonymus Regis Belæ Notarius in constitutione limitum Regni Hungariæ, quos a Zulta Duce circa

Scripe. rerum Gall. T. VIII. p. 223.

Ditmar. l. 1. p. 324. apud Leibnit.

an-

annum 931. defixos narrat, minime in iis Bohemiam comprehendit. Verba illius sunt: *Dux vero Zulta post reversionem militum suorum fixit metas Hungariæ. Ex parte Græcorum usque ad portam Wacil, & usque ad terram Racy. Ab occidente usque ad mare, ubi est Spalatina civitas, & ex parte Theotonicorum usque ad pontem Guncil - - - & in eodem confinio ultra lutum Musun collocavit etiam Bissenos non paucos habitare pro defensione regni sui, ut ne aliquando inposterum furibundi Theotonici propter injuriam sibi illatam fines Hungarorum devastare possent. Ex parte vero Boemorum fixit metas usque ad fluvium Moroa sub tali conditione, ut Dux eorum annuatim tributa persolveret Duci Hungariæ. Et eodem modo ex parte Polonorum usque ad montem Tatur, sicut primo fecerat regni metam Borsu filius Bunger.* Anon. Belæ Nta. c. 57. Imo si fides authori huic, testatum habemus jam illum a Morava fluvio hodiernæ Moraviæ tractum a Regni Moravici eversione Imperium Boemorum cœpisse respicere.

II. Georgius Ælurius nominatus Glacensis Comitatus historicus in libro suo, quem Lipsiis anno 1625. titulo GLACIOGRAPHIÆ vulgavit præsente anno 908. tradit Glacium ex oppido in Imperialem civitatem ab Henrico Aucupe evectum, quam ad rem stabiliendam quoddam hujus Henrici diploma germanico idiomate scriptum producit, quod se Glacii in quodam Ms. reperisse ait. Verum uberrime hoc diploma impostura convicit jam Balbinus ex titulo Imperatoris, quem Henricus non gessit, ex monogrammate, ex lingua teutonica styloque antiquitati huic minime respondente, ex capite civitatis Imperialis, quibus præ ceteris adjicere oportuisset errorem Chronologiæ, cum annis nonnisi undecim posterius constet Henricum vel in Germaniæ Regem electum, hocque anno ei adhuc Ottonem patrem Saxoniæ Ducem superstitem fuisse. Balbin. Dec. 1. l. 3. §. 1. Quam Ælurii Chronologicam hallucinationem cum Joannes Kahlo adverteret, erectionem Glacii uti & Münsterbergæ post cladem Hunnorum ab Henrico Aucupe acceptam ad annum 936. reponit, quod totidem difficultatibus obnoxium est, atque Ælurii assertum. Ceterum certum est ex antiquis monumentis: regionem montanam silvosamque inter Silesiam (tum passim Poloniam appellari solitam) & Bohemiam, reperiri appellatam *Klatzko*, ut eam etiam in tabula nostra Geographica P. II. indigitavimus. An vero habitata aut quibus populis fuerit, nihil proditum. Nugatur Leonhardus Creuzheimius in Chronologia, qui Glatzium a Galatis Asiæ populis deducit, nec verisimiliora assecutus Ælurius, qui nomen a glacie de-

Denkwürdigkeiten der Grafschaft Glatz P. 1. c. 2.

Ælur. l. 1. c. 1.

derivat, nec denique seu rem tetigisse mihi videtur Balbinus, qui a Bohemica voce Kladam seu congerie lignorum nomen derivat. *Klazko* priscum Slavicum vocabulum est *laniehium* seu *macellum* proprie, tropice etiam *speluncam latronum* connotans, quod itaque significatione sua haud indubie prodit regionem hanc silvosam montosamque antiquitus minus habitatam fuisse, adeo ut prædonibus instar latibuli esset, qui Polonos Boemosque mercatores aliosque peregrinos prædari isthic ac trucidare solerent. Nec ejusmodi nominum infrequentia: nam ab ejusmodi latrociniis notus in silva Boemica locus vulgo Fleischbank dictus, & in Moravia Olomucium inter & Lipnicium silva bej Kabat quasi dicas *vestimenta dabis*. Poloni hodiedum etiam *Klatka* caveam vocant, & Dalmatæ *Klati* pro mactare adhucdum in usu habent, apud nos vero Klatschi in *quatere* & *quassare* transiit. *Balbin. cit. loc.* *Lederer Vocab. sept.*

ANNUS 909.

Tetinium alluit Miza fluvius, densæque saltibus valles, & silvosa præruptis saxis juga quaquaversum ambiunt. In earum vallium unam trans flumen descendens aliquando cum venatico apparatu juvenumque & canum turma Borzivojus, dum venandi studio in intima penetrat, cerva eximiæ magnitudinis odoratu canum suis latebris exacta in jaculum suum incurrit, acceptoque vulnere fugiens traxit post se universum venantum agmen, Borzivojum cumprimis pernici equo usque saxum quodpiam præaltum copiosis, perennibusque aquis scaturiens instantem. Ibi fatigantibus cervam inter aquas canibus superveniens, equoque desiliens Borzivojus ense suo jam sauciam feram transfixit, quæ ex aquis canumque faucibus eluctata statim vi vulneris procubuit, præter morem plurimum lac e grandi *Borzivojus occurrit cervam.*

di fumine fundens. (a) Quod cum Borzivojo, circumstantique servorum gregi admirationi est, progreditur e vicinæ rupis specu senex quidam vir staturæ haud mediocris horrente coma, densis superciliis in oculosque reflexis, barba squallida, toga longiore vestitus, nudus pedes, & pro habitu corporis fuste annosos artus sulciens. Is altum Borzivojo inclamat: „ Quid erat, quod cervam meam confige-„ res? „ Exterruit videlicet cunctos ipsa terrifica vox & species, quod ejusmodi hominis simulacrum nusquam antehac visum esset, metumque cujusdam monstri ingereret. Jam jam Ducem ad fugam pellicere erat animus; nisi confidentior ceteris Borzivojus audaciæ id sumeret terriculamentum hoc hominis propius adeundi, hisque verbis alloquendi: „ Per JEsu Christi filii Dei vivi salvificum venerandum-„ que nomen te adjuro: palam edicas, malíne quidpiam „ bonive portendas? mortaliumne aliquis, an de silvarum „ fis lemuribus? „ Ad quæ venerandæ canitiei senecio: „ Equidem, inquit, mortalis ego homo sum tui tuorumque „ similis, servum Christi omnium immeritissimum me profi-„ teor; nomine sanctæ atque Individuæ Trinitatis, præsidio „ & tutamine Intemeratæ Virginis Divique Joannis Bapti-„ stæ hic vitam ago. „ Hæc verba, & maxime, quod se homo Christianum profiteretur, addidit stimulos Borzivojo, ut exposceret, se se in specum suam deduceret. (b) Præeuntem secuti omnes, mirati autem sub ingressum illico sacrum horrorem, & naturæ ingenium, quæ in tam hispida rupe haud incommodum conclave inquilino exædificasset.

6. Juvenis ob id Borzivojum increpat.

Deducit eum in specum suam.

Hic

Hic Borzivojus percontari rursum: quod ei nomen, unde & qua patria, quave stirpe esset? quo denique fato in has solitudines veniisset; & quamdiu eam incoleret? „ Ivano, „ respondit vir divinus, mihi nomen est, (c) quod e sacro „ fonte traxi: e Chrobatia huc adveni, pater Gestimuli, ma- „ ter Elisabethæ nomen gessit, (d) dumque in Boemiam „ commigrarem inaudii Neklanum genti vestræ imperitasse. „ Quadraginta, persequitur, anni sunt, quod in his silvarum „ recessibus Christo servio, quatuor porro supra decem anni „ sunt, quod me mortalium nemo aspexerit, aut ego rupis „ hujus antro egressus sim. „ Percontanti porro Borzivojo, quo cibo vitam sustentasset? respondit: „ Benigni numinis „ providentia prospexit mihi de nutrice cerva, quæ mihi „ per omne tempus lac suderat. „ Hæc mite Borzivoji alioquin pectus sic penetrarunt, ut cum pietate diceret: „ Plane testatum feciisti mihi, quod vir per omnia Deo sis „ conjunctus. Age igitur, & obsequere, quod te enixe „ oro, subi mecum conscenso equo Tetinium, ut conjugi „ meæ injecta manu bene preceris. „ Negavit verò Ivanus sibi equitandi usum esse, ceterum addixit, se se in ejus domum, si ita Deo visum fuerit, diversurum. Cum vero inter pietatis affectus, venerationisque testimonia sibi utrinque valedicunt, refugiebat merito Borzivojus cæsam feram secum asportare. „ At tolle, inquit vir sanctus, tolle „ prædam tuam, eamque in frusta concisam egentibus epu- „ landam elargire, ut tam pro tua quam mea salute supremum „ Numen deprecentur. „ (e)

S. Joannis natales suos vitæque gesta aperis.

Præcipit cæsam feram pauperibus distribui.

Hicce loci extemplo Borzivojus assignatis annuis reditibus, unde duo sacerdotes viverent, sacellum honori Divi Joannis Baptistæ posuit. (a) Postea vicissitudine temporum religiosi viri, qui a S. Benedicto nomen deducunt, successere. (o)

Sacellum S. Joannis.

Eodem anno, quo hæc gesta, natus Borzivojo alter filius, sortitus Boleslai nomen. (p) Quo nuncio non mediocriter pater exhilaratus regales epulas vocatis dedit amicis, neonatumque sacro fonte tingi fecit.

Boleslaus nascitur.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCIX.

SERGII III. PAPÆ 6. LUDOVICI IMP. 10. SPITIGNÆI 15. TUTONIS *Ep. Rat.* 16.

(a) Paulo aliter hanc venandi rationem narrat vita Ms. S. Juani Bibliothecæ Clementinæ S. J. jam alias a nobis laudata, & cumprimis alias circumstantias de fera refert: cerva, inquit hic Anonymus, *perveniens ad locum, ubi B. Juanus degebat, projecit se ad pedes ejus, & canes non audebant appropinquare ad locum, ubi cerva jacebat quasi ad jactum lapidis. Et vir beatus videns eam vulneratam cum lacrymis totum extraxit, & vulnus benedixit, quod statim sanatum est.*

(b) Eadem Ms. vita narrat: Borzivogium latratum canum cervam in specum propellentium secutum, inque antrum evaginato gladio hærentem ingressum, quid isthic deliteseceret?

(c) *Juan* vetus Slavicum vocabulum est, idem, quod *Joannes* connotans. Historia Australis ad annum 1289. inquit: *Juanus sive Joannes, quod idem est.* Et Curæus in Annalibus Silesiæ *Juani seu Jani nomen Slavis est celebre a Divo Joanne Baptista.* Nam ut olim Vandalis Longobardisque teste Luitprando & Krantzio magnæ venerationi Joannes Præcursor Christi erat, ita etiam priscis Slavis. Moscovitis hodiedum nomen

Jua-

Juani pro Joannis in uſu eſt, quo ſummi quique eorum Principes donari ſoliti.

(*d*) Anonymus ſupra memoratæ vitæ Mſ. author nuſpiam nomen parentum prodit, reſponſum B. Juani his verbis exprimit: *Sum Princeps ſicut tu, quia de ſtirpe regia ſum progenitus - - - de terra Ungariæ huc veni, qui ſum natione Ungarus.*

(*e*) Idem author addit: S. Juanum ſerio fidem Borzivogii obſtrinxiſſe, ut hæc omnia clam retineret, nemini latebram ſuam proderet, nec ultra unquam ad ſe reverteretur.

(*f*) Prior vita ait: Borzivogium cogitationibus abſorptum incænemque tandem precibus B. Ludmillæ victum rem univerſam aperuiſſe.

(*g*) Longe aliter hæc narrantur ab authore vitæ: *Audiens hæc B. Ludmilla multis precibus etiam cum fletu petivit Principem conjugem ſuum, ut daret ſibi licentiam veniendi ad eum, ut poſſit etiam loqui cum eo* (nempe S. Juano) *Et Princeps tandiu negavit ſibi dare licentiam, quod tandem acquievit. Et vocans Princeps clam unum de illis quatuor, qui ſecum fuerant circa ſpelunces illas, in quibus Beatus vir habitabat, & locutus eſt ad eum Princeps dicens: - - - volo tibi confidere de mea conjuge, ut tu ſolus nullo alio comite ducas illam ad ſpeluncas illas, ante quas canes latrabant. - - Qui juſſa Principis complens una cum conjuge Principis S. Ludmilla iter arripuerunt. Cum autem ad prædictas ſpeluncas perveniſſent, & B. Ludmilla ad virum Dei intraſſet, Vir Dei videns illam turbatus eſt, & avertit faciem ſuam ab ea, volens loqui ſibi nec reſpiciens eam. Tunc B. Ludmilla locuta eſt ad eum dicens: Bene Pater! noli mihi moleſtus eſſe, quod viſitavi te, quia cauſa devotionis veni ad te, ut conferam tecum de Domino Deo, & de ſalute animæ meæ. Tunc B. Juanus conſiderans devotionem ipſius vertens ſe ad eam cum magna affabilitate colloquium habuit cum ea. - - - Finito colloquio & cum vellent ſe ſeparare ab invicem B. Juanus petivit S. Ludmillam, ut nunquam amplius viſitaret ipſum. Tunc S. Ludmilla dixit ad beatum virum. Ex quo nullo modo vis admittere, quod ego amodo viſitem te, tunc peto te Vir Dei, ut facias hoc amore Jeſu Chriſti & amore piiſſimæ Matris ejus Virginis Mariæ, ut tu tempore ſucceſſivo venias ad me in caſtrum Tetyn. Hoc audito B. Juanus, quid eligeret, cogitavit. Tandem deliberans ſpopondit potius viſitare eam, quam ut ipſa ulterius veniret ad eum. Tempore aliquo non brevi elapſo*

B.

B. Juanus iter arripuit veniendi ad eum in castrum Tetyn, & exiens de loco, in quo manebat, stetit cogitando, qua via deberet transire ad supradictum castrum, nolens patefacere viam aliis veniendi ad eum; & ubi debuit transire aliquam partem milliaris transeundo directo modo, ibi bene transivit duo milliaria pertransiendo indirectam viam.

(*b*) Vita prior ait eum per noctem Tetinii perstitisse, quæ plura addit de ejus reditu ab Hagecio prætermissa, nempe quod per villas Hodynie & Swinary transierit sessusque super indolato lapide sederit, qui in sessione emollescere visus, dein quod gleba a bubulcis impetitus fuerit, ab uno vero eorum etiam ad sanguinem usque lapide vulneratus, qui lapis cruentatus usque ad authoris ætatem in Ecclesia S. Joannis Bapt. asservatus sit. Narrat deinde bubulcos hos flagello correctos a nonnemine rusticorum, quem Viri Dei misericordia tetigit, ab eodem concessum esse B. Juano equellum, quem is propius speluncam accedens liberum sine sessore dimisit cum mandato, ut ad dominum suum rediret. Equellum denique non præter admirationem multo elegantiorem pinguioremque rediisse.

(*i*) Hæc rursum aliter author vitæ: *Postquam autem* (B. Juanus) *jam senuerat, ne sere omnes infirmitates invaserunt eum, paralysis, febres, & aliæ infirmitates, & venerunt usque ad mortem. Vir autem Dei S. Juanus videns sibi appropinquare horam mortis cœpit dolere & flere cum contritione magna, dolens quod debeat mori sine sacramentis Ecclesiæ. Et statim adjutorium Dei affuit sibi, quia Angelus Domini in nocte illa apparuit B. Ludmillæ in somno, nuntians sibi obitum beati viri & mandans sibi, ut summo mane mitteret Capellanum suum nomine Paulum ad beatum virum cum corpore Christi & sacro oleo. Et mandans Angelus, ut statim secum acciperet illa instrumenta, cum quibus sibi effoderet sepulchrum. Evigilans B. Ludmilla cœpit condolere beato viro, & accersito Paulo Capellano suo statim summo mane misit eum ad beatum virum. Veniens autem Paulus Capellanus cum prædicto cliente invenerunt eum jam agonizantem, & ultima laborantem. Et tamen Vir Dei B. Juanus Dei dispositione recreatus est, & cœpit loqui cum Paulo Capellano, sibique confiteri.*

(*k*) Ad hunc locum noster P. Victorinus passim ex Balbino: „Petra, inquit, S. Juani naturæ quodpiam est miraculum, cui describendo vel se imparem ipse Balbinus testatus est; antrum hic sublimibus veluti fornicibus artefactis est spectabile, vestigia S. Juani fecten-

tentis, jacentis, itemque ſtantis ac ſedentis non uno loco hodieque viſuntur divina virtute ſaxis impreſſa; aqua ſuper ſacellum guttatim ſtillans, ſi in lapidem inciderit, lentore quodam pigerrimo tota concreſcit in ſaxum, ſi vitro excipiatur, & aquoſitatem nativam, & cryſtallinam perſpicuitatem retinet. In vicino colle, qua iter ad templum eſt, ſtat e marmore ingens & elegans Chriſti de cruce pendentis ſimulacrum, nec inde procul D. Joannis Baptiſtæ, tum alterum S. Juani eodem ex marmore ſignum, in eo poſitum loco, quo D. Joannes cedenti Juano occurrit. Refert Balbinus: Ferdinandum III. Imp. aliquando ad S. Juani eremum veniſſe, & loci majeſtatem ac ſanctum horrorem ex proximo contemplatum *Regiam & rege dignam ſolitudinem* appellaſſe, & addidiſſe: ſibi videri in omnibus, quas haberet terris, nihil par, nec ſolitudini tam aptum reperiri. „ Hactenus P. noſter Victorinus. *Balbin. Auct. 1. hiſt. S. Mont. c. 2. §. 2.*

(*l*) Rurſum ad hunc locum ex Balbini opinione noſter P. Victorinus: non unum ſed plura S. Juanus ad Mizam fluvium incoluit antra, quorum ora a flumine averſa notantur. Sed ille præſertim locus ab incolatu S. Juani eſt memorabilis quadrante milliaris a S. Monte ad orientem in ſilvæ medio, de quo copioſe Balbinus citato loco. „ At de unico antro mentionem facit vitæ auctor, nec dubium olim plures ſolitudinis amatores eremicolasque fuiſſe in Boemia, quibus etiam de induſtria ſaxa excavabantur, ut contra aeris intemperiem quietius agerent.

(*m*) Denuo noſter P. Victorinus: ad S. Juani tumulum etiam hodie Deus non deſinit patrare miracula, huc quippe tota prope vicinia IX. & VIII. Kal. Junias effuſa gratiarum divinarum impetrandarum ergo properat. Auctor vero vitæ illius: *Poſt cujus obitum, poſtquam divulgatum eſt ejus patrocinium, multi ad tumbam ejus venichant, & de diverſis infirmitatibus ſanitatem recipiebant, claudi, cæci, dæmoniaci, imo puer mortuus portatus fuit, & revixit. Ad quod ſpectaculum multi convenerunt, & Deum laudaverunt, qui per merita B. Juani fecit mirabilia, & alia quam plurima operatus eſt Deus per merita B. Juani, ſicut bene conſtabat Regibus & Principibus, Baronibus, Pragenſibus, & aliis probis hominibus terræ Bohemiæ. Amen.* Anna Imperatrix Mathiæ Cæſaris conjux ad S. Juani tumulum aram pretioſi operis ex alabaſtrite albo anno 1616. locavit.

(*n*) Vita Mſ. hujus ſancti narrat S Juanum capellæ hujus ædificationem his verbis mandaſſe: *Hæc mandavit tibi Dominus Deus per S. Joan-*

nem Baptiſtam, qui apparuit mihi, ut monerem te ex parte Dei, quia Deus ſic vult habere, ut poſt mortem meam locum iſtum conſecres in Eccleſiam in honore S. Mariæ & S. Crucis, ſed S. Joannem Baptiſtam Patronum nominabis. Morte vero S. Juani conſecuta ſubjungit: *Et ſtatim Princeps Borzivoy cogitavit, ut compleret mandatum S. Johannis Baptiſtæ, & revelationem S. Juani, ut ſupra ſcriptum eſt. Et mittens pro Epiſcopo conſecravit cavernam, ſive ſpeluncam, in qua B. Juanus habitavit, & in qua poſt mortem ſepultus eſt, in Eccleſiam conſecravit.*

(o) Hic loci rurſum commentatur noſter P. Victorinus: „Cœnobium hoc ordinis S. Benedicti, quod vulgo nunc Skalenſe ſeu in rupe S. Joannis dicitur, ab Hazemburgica ſtirpe illi viciniæ olim dominante conditum & Benedictinis traditum an. 1020. ut probat Crugerius S. J. ex inſigni Hazenburgiorum: obſervat enim ejus cœnobii Abbates veteſtiſſimos jam inde a pluribus ſeculis apri grande caput in cœnobii ſui inſignibus geſſiſſe, conſuetudine Benedictinis recepta, ut Fundatorum inſignia eorum cœnobiis inderentur. Stransky tamen Borzivojum ejus Fundatorem nominat.„ Hæc P. noſter Victorinus. Verum non ab Hazenburgicis primum, nec anno 1020. ſacro Benedicti ordini locum hunc traditum eſſe docet nos diploma Ottocari Regis Boh. anno 1205. datum, paucosque abhinc annos ex Archivo Trebonenſi avulſis tamen ſigillis vindicatum, quod mihi autographum a Reverendiſſimo ac Ampliſſimo DD. Bernardo Slawik loci Abbate dignißimo Patronoque meo ſummum colendo communicatum eſt. In eo Brzetislaus Dux Bohemiæ, quem ſedecim annis poſterius nonniſi Ducatum obtinuiſſe conſtat, Monaſterio Inſulano S. Benedicti ſpeluncam hanc tradidiſſe legitur. Verba diplomatis ſunt: *Brzecyslaus bone indolis tyro, poſtquam ſedem paterni ducatus obtinuit, hec dona Deo, & ſancto Joanni Baptiſte Oſtrow* (id eſt cœnobio Inſulano ord. S. Benedicti hodie exſtincto) *pro remedio anime ſue, ſuorumque parentum tradidit. Czyſewiczyh debitores mellis. CAPELLAM QUOQUE IN SPELUNCA S. JOANNIS BAPTISTE huic loco addidit. Inſuper & cuſtodes ipſius Eccleſie Chruſtimichych, & Numcycyh, villam cum hoſpitibus Sedlce. Item aliam capellam in Weliz cum omnibus appendiciis ſuis dedit &c.* Plura de hoc inclyto monaſterio leguntur apud Balbinum hiſt. S. Montis Auct. l. c. 2. §. 2. quorum tamen multa criſi egent & perpurgatione.

(p) Sandelius in ſua verſione Germanica Hagecii filium hunc Bo-

Boleslaum Wratislao, non Borzivojo natum asserit, quem etiam passim secuti posteriores omnes. P. Victorinus noster addit: *In memoriam Boleslai nati Wratislaus insigne prædium suæ quandoque & successorum Bohemiæ Principum, dum venatum excurrerent, statione dignum condidit, idque a nomine filii recens nati Boleslaviam nuncupavit. Hanc postea, ne cum juniore Boleslavia, quam Boleslaus cognomento Lenis ædificavit, confunderetur, Veterem Boleslaviam appellare placuit.* Dubravius vero filium hunc Boleslaum a Borzivojo genitum, baptizatumque a S. Methudio narrat, antequam Borzivojus Ducatui renunciasset. Alium tamen etiam ejusdem nominis filium Wratislao facit, cujus nomini conditam Boleslaviam narrat. Sic nempe deficientibus legitimis documentis pro arbitrio in opiniones & sententias abiri solet diversissimas. Ceterum autem ex Christanno testatum habemus Borzivogio præter Spitignæum atque Wratislaum etiam tertium fuisse filium, sic enim ille: *Suscepit autem ex ea* (Ludmilla) *sæpe memoratus Princeps* (Borzivojus) *tres filios totidemque filias.* Cujus vero nominis is fuerit nuspiam in veteribus proditum. Eum Patri Borzivoje demortuo superstitem fuisse ex eodem Christanno cotligere licet, cum solo majore natu filio viduatam S. Ludmillam dicat: *Religiosa*, inquit, *Matrona Ludmila viduata viro, orbata jam filio unico majore* (nempe Spitignæo) *in domo proprio consistens &c.* *Dubrav. l. 4.*

PRÆTERMISSA.

E verso jam Moraviæ regno Hungari sedibus adusque Amisi fluminis ostia locatis pro arbitrio vexabant Bajoariam, atque hoc anno in ipsam Alemanniam pervasere, scilicet Ducatum illum veterem inter Rhenum, Necarum, & Danubium situm postea passim *Suevia* appellatum. An vero idem duplex exercitus fuerit, qui deserta superiore anno Dalemincia per Bohemiam rediit, an alius, nihil proditum. Ceterum irruptionem illorum ad hunc annum notat Continuator Reginonis: *Hungari Alemanniam ingressi sunt.* Hermannus Contractus: *Ungarii Alamanniam invadentes vastant.* Chronicon Augiense: *Ungari Alemanniam ingressi sunt.* Eadem habet Chronicon Saxonicum, & Marianus Scotus. Quanta vero ferocitate ibi hic desævierint, pathetice describunt Annales Boici a Meichelbekio citati: *Annus proximus* (nempe 909.) *Bojis Francis Alemannis fuit calamitosissimus, tantaque fortissimarum aliquot gentium consternatione funestus, ut cum nemo esset, qui furentibus Ungaris arma opponeret, quasi omnes pristinum virtutem formidine sepelissent. Mares, pueros*

Formandi de rebus Get. Paul. Diac. II. 15.

Apud Pistorii T. I. Apud Camisii, Bouquet script. rerum Gall. T. VIII. p. 101. In Chron. Benedict. Buran.

ros, puellas, viros, omnis ætatis multitudinem passi sunt abripi in servitutem. Nihil adeo tetrum & infame, quod hostes non patraverint. Violarunt inquinatorum corpora, profanarunt divorum templa, everterunt aras, excidarunt tecta miserorum, qui in latibula silvarum, inque montes profugi, vel in lota manibus defensa suis in agris clades mœsti e longinquo spectare cogebantur. Melior erat fortuna urbium, cum enim barbaris nec aus esset, neque animus ad obsidendum, solis prædis & colonorum vinculis & sanguine pascebantur. Ut se se ad furendum accenderent, & majorem terrorem injicerent mortalibus, potabant occisorum cruorem, supra strues cadaverum epulas capiebant, scrutabantur viscera mortuorum, corda minutim concisa pro alexeteriis vorabant, &c. Ita gentes ceteroquin pugnacissimæ ad solum Ungarorum nomen exarmatæ nihil præter fugam circumspectabant. Hactenus hi Annales verosimillime Adelzreiteri.

ANNUS 910.

Sacellum S. Michaelis & Catharinæ Tetinii condítur.

Hoc anno Borzivojus & Ludmilla duabus sacris ædibus rem Christianam auxerunt. Alteram earum Borzivojus civitatem inter & Tetinium castrum S. Michaeli Archangelo, alteram haud procul inde Divæ Catharinæ Ludmilla posuit. (a) Utramque Methudius Episcopus solemni ritu Deo consecravit; fuitque id religiosum factum omnium Methudii perinde atque Borzivoji sanctissimorum operum supremum. Namque paulo post Methudius Romam profectus finem vitæ suæ ibidem imposuit. (b) Et Borzivojus primus e Ducibus Christianis omni virtutum genere nobilis Tetinii e vivis sublatus est, cum sex & triginta ætatis annos exegisset, (c) Principatu proinde jam soli Wratislao filio relicto. (d) Mortuo iidem, qui Principibus, honores habiti, corporique illius in æde S. Michaelis Tetinii, ubi humatus est, inter Ludmillæ conjugis lacrymas, populique complorationes parentatum. Est hic vero secundus inter

Borzivojus moritur.

ter Duces, qui sacro loco condi meruit, nam Spitignæus filius in æde B. Virginis ante Lætam Curiam tumulum invenit, (e) & is tum adhuc gentis Czechicæ ethnicus ritus obtinebat, ut pagani perinde atque Christiani in silvis, agrisue conderentur. (f)

Inter hæc Drahomira (g) fœcundior prole, quam vera religione, eodem anno tertio partu filiam, quod Wratislao novam lætitiæ argumentum fuit, enixa est. Exultabat nempe pater jam duobus filiis filiaque auctus, sperabatque fore, ut domus suæ totiusque Christiani nominis gloria hac prolium fertilitate magnas accessiones capiat. Jussit autem neonatæ filiæ nomen Przibislauæ imponi. (h) *Przibislava nascitur.*

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCX.

SERGII III. PAPÆ 7. LUDOVICI III. IMP. 11. SPITIGNÆI 16. TUTONIS *Ep. Rat.* 17.

(e) Utraque hæc sacra ædes hodie perstat, an tamen structura hujus antiquitatis sit, plerique dubitant. Nam post expugnationem arcis Carlsteinensis sæculo XV. qua arx Tetinium, oppidumque flammis absumtum excisumque est, hanc utramque molem fuisse conditam, è pluribus veteribus testimoniis certum est. Neque Hagecio antiquiorem reperias, qui hujus utriusque sacræ ædis constructionem indubie Borziwojo & Ludmillæ tribuat, quod Hagecius nonnisi conjectura aliqua transcripsit, nempe cum Ludmillam ibidem diutius commoratam fuisse ex vetustioribus legerit. Carpzovius ex Grosseri memorabilibus Lusatiæ præterea scribit: S. Ludmillam in superiore Lusatia hoc tempore religionem Christianam multum promovisse, & sacellum quodpiam ad pagum Tachau prope Nizam fluvium, quod Divus Methudius ethnici cujusdam luci Isidi dicati loco condiderat consecraveratque, annuis reddituibus providisse. Sed restabat certis do- *Carpzov. Ehren-Tempel. 2. p. 25.*

cumentis probare Carpzovio & Grossero: Lusatiam superiorem imperium Borzivoji certo respexisse.

(b) Ad hunc locum noster P. Victorinus: „ Methudius, inquit Pessina, cælesti quadam visione, vel Cyrilli fratris dudum defuncti apparitione admonitus, ut Romam quamprimum se conferret, constituto prius supremo sacrorum administro Joanne, suo quondam Welehradi vicario & Paulo sacerdote vita moribusque sanctissimo, qui Borzivojo & Ludmillæ a sacris esset, relicto, eo concessit, brevique obiit. „ Sed quam male digesta Chronologia hæc nostri passim asserant, alias crebro monuimus. Nec Joannes Archiepiscopus Moraviæ a S. Methudio, sed Joanne IX. Papa ordinatus est, qui an usquam S. Methudii vicarius fuerit, nihil proditum, successorem fuisse certum est ex anni 900. relatis. Non igitur veræ historiæ conciliari potest quod eodem loco aliquanto posterius scribit idem Pessina: *Quo* (Methudio) *defuncto Joannes Episcopus Podivinensis in Moravia Wratislao invitante Cleri populique Bohemici curam suscepit, & hic Ecclesiam S. Georgii, aliasque a Wratislao exstructas solito Romanæ Ecclesiæ ritu consecrasse creditur. Per id namque tempus etiam potior Regni Moravici pars post Suatobogium Regem ultimum in ditionem Wratislai Ducis concessit.* Nam etsi multis testatum sit, eam Moravici Regni a fluvio Morava partem ad Bohemos transiisse, tamen nuspiam testatum est, S. Methudii, successorem Joannem jurisdictionem ordinariam in Boemiam exercuisse, quæ ab anno 845. quo XIV. Duces Boemorum Ratisbonæ baptizati sunt, semper Ratisbonensis Episcopi diœcesin respexit. Fidem itaque mihi minime etiam facit auctor vitæ S. Maximi Episcopi Laureacensis, qui Wissehradensem seu Pragensem Episcopatum Laureacensi Archiepiscopatui subjicit, auctor inquam sæculi decimi tertii, & a pluribus aliis hallucinationibus notatus. Nolim tamen disputare in illa ipsa hodiernæ Moraviæ regione, etiam everso Moraviæ regno, aliquem Episcoporum perstitisse: jam in diplomate Willigisi Archiepiscopi Moguntini hoc ipso adhuc sæculo mentio fit Moraviensis Episcopi, qui tamen Moguntini Archipræsulis suffraganeus dicitur, quemadmodum & Pragensis.

Pessina Rad. 3. p. 126.

Idem ibid. p. 127.

Apud Hier. Pez. T. I. p. 33.

Gaden. dipl. T. I. p. 353.

(c) Rursum P. noster Victorinus: „ Borzivojum, quem Hagecius tricenarium, Weleslavinus admodum senem obiisse scribit anno nempe post Christum natum 856. ætatis suæ tertio & vicesimo Ducem Bohemiæ salutatum, & anno 910. ætatis suæ septimo supra septuagesimum

Weleslav. in Geneal. Duc.

mum Tetini mortalem vitam clausisse. Paulus Stransky: Borzivojus, inquit sexagenario jam tum major erat, cum profanis gentilium superstitionibus renunciavit. „ Hactenus P. Victorinus: sed umbram captamus in ætatem Ducum horum temporum inquirentes, qui ne imperii quidem annos ulla ratione excusare possumus. Ceterum quo errore acciderit, quod 36. anni regiminis Borzivogii a Christianno notati ad ætatem illius traducti sint, jam superius elucidavimus. Borzivogii simulacrum exhibemus ex toties commendato illo MS. Picturato cum effigie filii Spitignæi. Manuscriptum monetas Ducum & Regum Boemiæ describens etiam mentionem facit cujusdam monetæ a Borzivogio procusæ his verbis: *Liracl. prim. magnit.* mit einer sitzenden Bildnuß, ein Creutz in der rechten, in der linken den Scepter führend, zum Zeichen, daß er der erste Christliche Herzog die Gnade des angenommenen Christlichen Glaubens der Ehre seiner Würde vorziehe. Dessentwegen er auch das Exilium erwählet, und nach wieder erlangten Herzogthum solches bald wiederum resigniret. Bracteatum hunc numum re ipsa deprehendimus in Numophylacio Inclytæ Canoniæ ordinis Præmonstratensium Strahofiensis, quem idcirco Tabula I. Num. III. excusum proferimus, minime tamen vadimonium interponentes re vera Borzivogii monetam esse, cum omnibus indiciis careat, atque cujuscunque Christiani Ducis esse possit. *Stransky rei-publ. Boj. c. 8. §. 9.*

(d) Spitignæum usque ad Henrici Aucupis tempora superfuisse, alias monuimus. Wratislaus inque portionem quandam Bohemiæ tenuit, certisque conditionibus Spitignæo subjectus erat, ut ante & postea crebrius factum, cum plures Ducum nostrorum filii superstites fuissent.

(e) Verba hic denuo nostri P. Victorini sunt: „ Successu temporis Borzivoji ossa Tetinio levata, & in Ecclesia S. Georgii in castro Pragensi intra altare, quod est in medio, una cum corpore S. Ludmillæ, sacrarum instar reliquiarum recondita esse nostri scriptores perhibent. Porro virtutes tanti Principis, & vita Christianis institutis sanctissime acta meruere, ut eum BEATI titulo antiquitas honoraret. Unde corpus ejus in arce ipsa intra altare, quod est in Ecclesiæ medio, condidere religiosissimi majores nostri, qui fuit ritus veterum, quempiam beatorum & sanctorum numero aggregandi. Hæc ex Balbino P. Victorinus. At Mabillonius de hoc sæculo inquit: *Inter alia, quæ sæ-* *Balbin. Misc. l. 4. §. 3.* *Idem ibid.* *Acta SS. Bened. sæc. V. in præfat. §. 6.*

ſæculi decimi Religionem probam, illud non prætermittendum, quod ad referenda in ſanctorum claſſem nova Piorum nomina poſtulata eſt Romani Pontificis auctoritas. Subjungit tamen poſtea, multos epiſcopos morem priſtinum retinuiſſe, nempe ut illi cum populi ſuffragio ſeu ſynodi & Principis conſenſu quenquam noviter cultu dignum pronunciarent. Canonizationis autem nomen primum ſæculo XII. enatum fuiſſe.

(*f*) Has ſepulturas a ſemipaganis, ſemichriſtianisque usque ad annum 1093. & regimen Brzetislai II. perduraſſe docet Coſmas his verbis: *Sepulturas, quæ fiebant in ſilvis & in campis, atque ſcenas ex gentili ritu faciebant in biviis & in triviis, quaſi ob animarum pauſationem; item & jocos profanos, quos ſuper mortuos ſuos inaneſcentes manes, ac induti faciem larvis bacchando exercebant, has abominationes & alias ſacrilegas adinventiones Dux bonus* (Brzetislaus) *ne ultra fierent in populo Dei, exterminavit.* Coſmas l. 1.

(*g*) Dragomyr vetus compoſitum vocabulum Slavicum eſt, ex *Drago* carus ſeu pretioſus, & *myr* pax. ut ita nomen hoc latine *carum, ſeu pretioſam pacem* reddas. Ceterum cum Hagecius hic dicat Przibislavam tertio partu editam, vel ſuperiore anno typographi hallucinatio eſt, qui nomen Borzivoji Wratislao ſubſtituit, aut ipſe Hagecius memoria lapſus eſt.

(*h*) Priſca Slavorum dialecto dicebatur: *Pribislava* quod acceſſionem gloriæ ſignificat. Pribislavam ſororem S. Wenceslai, filiamque Wratislai fuiſſe ex omnibus vereribus viris S. Wenceslai indubium [illegible] An vero hoc anno genita fuerit, nuſpiam proditum, quod inter Hagecii conjecturas reponendum.

PRÆTERMISSA.

Belli fax, quam ſuperiore anno Hungari in Alemannia accenderant, hoc anno magis magisque exarſit, quam cum Ludovicus Germaniæ Rex exſtinguere quærit, miſere aduritur, victum enim perhibent vetuſta omnia Chronica, Schafnaburgenſis & Chronicon Herveldenſe inquiunt: *Ludovicus Rex pugnavit cum Ungaris & victus eſt.* Hermannus Contractus: *Ungarii Franciam petentes commiſſa pugna ſuperiores fuere.* Chronicon Augienſe: *Franci ab Ungaribus aut occiſi, aut fugati ſunt.* Continuator Reginonis & Chronicon Saxonicum: *Ludovicus pugnavit* com- Bouquet. T. VIII. p. 224.

contra Ungaros in confinio Bavariæ & Franciæ, & Franci miſerabiliter aut victi ſunt vel fugati. In quo prælio Gebehardus Comes interiit relictis duobus filiis Udone & Hermanno, quâ poſtea clari & nobiles in Francia exſtiterunt. Admodum cruentum fuiſſe hoc prælium indigitat Marianus Scotus, dum ſcribit ad hunc annum: *Bellum maximum Francorum cum Ungaris.* Non neſcio eruditiſſimum Virum Sigismundum Calles aliosque prælium Ludovici ad Lichum fluvium geſtum, atque a Luitprando copioſe narratum huic anno adſcribere. At cùm Luitprandus id ad initia imperii Ludovici referat, certum autem ſit Ludovium anno ſequente jam obiiſſe, præplacuit id anno 904. illigare, quo itidem Ludovicum cum Hungaris in arenam deſcendiſſe ex vetuſtis Chronicis oſtendimus, & quo id Albericus Monachus Trium Fontium minime recens author narravit. Profecto ſi omnia hujus temporis bella literis conſignata haberemus, multo pluries Francos, Bavaros, aliasque gentes cum Hungaris congreſſas legeremus. Quæ porro ad annum hunc apponam, non reperio, niſi de Conſtantino Porphyrogenito ab hiſtoria noſtra meritiſſimo Orientis Imperatore commemorare libet: eum ex calculo Pagii hoc anno a patre Imperatorem renunciatum, conſortemque Imperii factum.

Annal. Auſtr. l. 4. ad h. a.

Pagius in Critica Baron. ad h. a. n. 8.

ANNUS 911.

Ludmilla (a) Borzivoji exceſſu, tam charo capite ſocioque orbata, ultro per eos dies Wiſſehradum nurus ſuæ Drahomiræ inviſendæ cauſa conceſſit. Præcipua ſui acceſſus cauſa, & deprecatio erat, ut quoniam Drahomira cœli clementia duobus filiis Wenceslao nempe atque Boleslao aucta eſſet, alterutrum ſolatio ſolitudinis ſuæ committeret ſibi educandum. Communicatis conſiliis, exploratoque Wratislai mariti voluntate, datus illi natu grandior Wenceslaus, (b) quem ut avia amabat tenerrime, ſagaciſſime proſpexit, ut nepos in omnibus Chriſtianæ Religionis rudimentis ſolerter inſtitueretur. Vocatus Paulus ducalis Capella-

Wenceslaus Ludmillæ traditur educandus.

nus in tam sollicitæ educationis partem, nullum non movit lapidem, ut talis tantusque evaderet ducalis puer, qualem quantumque boni omnes cuperent. (c) Uno igitur eodemque simul cubili habitantem singulis matutinis horis ad dicendam orationem dominicam (d) aliasque preces assuefecit, quæ tanta voluptate atque alacritate præstitit tenellus pusio, ut magistri desiderium superaret. Paulus vero non ignarus quod maxima felicitatis reipubliçæ Bohemæ pars ex probe instituta prima ætate principalis pueri dependeret, quotidie mane in genua prociduus supremum Numen deprecabatur, ut discipulus suus ea virtutis incrementa faceret, quæ aliquando Christianorum exspectationi maxime respondorent. (e)

Paulus institutor Wenceslai

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXI.

ANASTASII III. PAPÆ 1, LUDOVICI III. IMP. 12. SPITIGNÆI 17. TUTONIS *Epis. Rat.* 18.

In vita S. Ludmillæ, apud Surium ad 16. Sept.

(a) Nicolaus Salius S. J. contendit a parentibus *Lidmilam* nuncupatam fuisse, quod ob egregias animi corporisque dotes populo amabilem (quod Slavice nomen connotat) futuram certo crediderint, id vero a latinis scriptoribus nomen in *Ludmillæ* transiisse. Verum est, antiquis Slavis vocabulo *Lud* idem significatum, quod hodie *Lid* seu homines, quod Dalemilus adhuc passim adhibet, verum item est, in antiquis MC. *Ludmillam* passim per unum *l* scribi, an tamen quasi per divinationem a parentibus inditum nomen fuerit, nihil in veteribus imo ante Salium proditum habemus.

(b) Nulla vita MC. SS. Wenceslai & Ludmillæ, quarum sex in manibus habeo, narrat vivente patre Wratislao S. Wenceslaum fuisse aviæ Ludmillæ traditum. Omnes conformiter referunt: S. Wenceslaum

lum una cum fratre Boleslao jam mortuo patre a Regni proceribus S. Ludmillæ fuisse extraditum. Libet Christanni verba adferre: *Genitore interim* (Wratislao) *ex hac vita migrante annorum fermè triginta trium, revocatur* (Budeczio Wenceslaus) *metropolitanam in urbem, sedemque in paternam ab omni plebe sublimatur. Sed quoniam pueritie vel adolescentie necdum perfecte forem mundaverat, intito cuncti satrape prudenti consilio beate memorie Ludmile Christi famule Ducem ipsum rudem, cum fratre suo Boleslao educandos commiserunt, donec illis robur etatis favente Deo accresceret.* Præter Christanni itaque a se editi mentem scriplit Balbinus, dum de hac tam tempestiva Wenceslai infantis a Drahomira avulsione ita commentatur: *Quem adhuc a matre ruentem, ut ita loquar, sanctissima avia Ludmilla bonis verbis levavit, accepit in sinum, nutricem Christianam apposuit, id religiosissime inculcans, ne Wenceslaus infans lac ullius mulieris, quæ Christum non amaret, & non agnosceret, degustaret,* & postea: *a lacte nutricis depulsum Ludmilla sibi deposcit.* *Balbin Epit. l. 1. c. 4. p. 15.*

(c) Paulum quidem Capellanum fuisse S. Ludmillæ ex omnibus veteribus testatum est, at institutorem fuisse S. Wenceslai primus prodidit Joannes de Novo-Foro. Vita Mſ. quæ incipit *crescente fide Christiana &c.* quamque Pessina ab Hizone Episcopo Pragensi scriptam arbitratur, Magistrum S. Wenceslai vocat *Uneyo*, alia vita Mſ. quæ incipit: *Ut annuncietur in partibus &c. Uneyo*, perperam Dubravius *Nyceum* appellat. Is in imaginibus duorum haud ultra sæculorum jam habitu Ecclesiastico, jam Benedictino pictus repræsentatur. *Dubrav. l. 4.*

(d) Primis Ecclesiæ temporibus extra sacrificium missæ orationem dominicam dicere minime consuetum erat. Hinc Joannes Diaconus: *Orationem dominicam idcirco mox post precem dicimus, quia mos Apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodo orationis oblationis hostiam consecrarent.* Ceterum cum orationis dominicæ hic mentio fiat, non injucundum erit apponere, hoc ipso sæculo X. etiam incepisse cultum B. M. V. per formulam *Ave Maria*, quæ tamen initio non ulterius dicebatur, quam usque ad verba: *Benedicta tu in mulieribus.* Deinceps adjectum est: *Et benedictus fructus ventris tui JESUS.* Reliqua vero a *sancta Maria* ordiendo, atque ita hodierna integra Beatam Virginem salutandi, deprecandique formula non prius quam sæculo XV. usum nacta est, ut Mabillonius fuse persequitur, probatque. *In vita S. Gregorii l. 2.* *Acta SS. Benedicti sæc. V. præfat.*

(e) Hæc pene omnia duce cumprimis Dubravio præter veterum memorias ab Hagecio adjecta sunt.

PRÆTERMISSA.

I. Perrupta semel Bajoaria novos Hungarorum motus denuo annunciant quæque Chronica: *Lambertus Schafnaburgensis: Ungari vastaverunt Franciam.* Franciæ loco substituit Sigebertus Gemblacensis: *Germaniam.* Annales Hildesheimenses etiam addunt: *Thuringiam.* Chronographus Saxo plane bellum indigitat: *Franci pugnant cum Hungaris.* Nisi fortassis hi motus seu de superiore seu consequente anno accipiendi, quo utroque bellum cum Hungaris gestum fuisse vetustiores prodidere. Si vero ad annum præsentem pertinent, verosimillime his motibus occasionem præbuit mors Ludovici Regis Germaniæ, quocum stirps Caroli Magni exstincta est. Nam istius obitum ingentem reipublicæ Germanæ mutationem consecutam esse testantur veteres. Avulsa quippe per Carolum Simplicem Lotharingia regnum multis regionibus truncatum ad Saxones transiit, Comitibus Ducibusque Bajoariæ, Alemanniæ, & Franciæ supremum jus in Ducatus Comitatusque suos sibi vendicantibus. Quid vero demortuo Ludovico factum sit circa Regis novi electionem narrat ex Witichindo Chronicon Saxonicum: *Defuncto Rege Ludovico cum non esset ei filius, omnis Saxonum & Francorum populus quærebat Ottoni Duci* (patri Henrici) *diadema regni imponere, sed ipse quasi jam gravior annis onus imperii recusavit. Tamen ejus consilio supra memoratus Conradus* (Conradi occisi filius) *quondam Dux Francorum unctus est in regnum: penes Ottonem tamen summum semper, & ubique vigebat imperium. Sub hoc Conrado potentissimi Principes erant Arnoldus in Bavaria, Burchardus in Suevia, Eberhardus Comes potentissimus in Francia, Gislebertus Dux in Lotharingia, inter quos Henricus Saxonum & Thuringorum Dux præpotens clarebat.* Adamus Fridericus Glafeys, qui jam a multo superioribus annis Ducatum Bohemiæ nexu quodam Regno Germanico illigaverat, de electione Conradi Regis loquens, dicit: post Ludovici supra memorati Germaniæ Regis mortem Bohemiæ Ducem se se penitus a veteri illo nexu sejunxisse, quare ab eo non missos fuisse legatos ad Conradi electionem, nec ipsum comparuisse, & Conradum intestinis turbis distentum Boemos adigere non potuisse, ut priorem nexum inirent. Verum superioribus annis ubivis luculenter ostendimus, haud unquam Boemiam aliquo nexu Germaniæ Regno fuisse adunatam, si nexum tri-

Schafnab. ad h. a. *Sigeb. ad h. a.* *Apud Leibnit. in Access. T. I. p. 150.*

Chron. Sithiense apud Bouquet T. IX. p. 75.

Ibid. T. VIII. p. 224.

Pragmatische Geschichte c. 4. *Thes.* 2.

tributarium excipias; qui nexus infimi generis nullam prorsus dependentiam ab imperio Germanico importabat, secus enim Orientale Imperium a Bulgaria, & hoc ipso tempore Bavariam, Saxoniam & Alemanniam ab Hungaria dependisse eique nexu junctam fuisse dicendum erit, cum indubitatum sit Bavaros, Saxones, Alemannosque Hungaris annuum tributum pendisse. Quemadmodum autem etiam posterius Germanicum Regnum Hungaris tributum præstitit, ut ab eorum incursionibus & latrocinationibus indemne maneret, ita Duces Bohemiæ non alterius, quam amicitiæ colendæ causa, & ad vim Regum Francicorum amoliendam, hoc annuum tributum eis dependere, quod toties, quoties se se aliqua injuria affectos crediderant, penitus denegavere, causamque suam ferro tuiti. Porro si Glafeysius hæc tanquam certa statuere voluit, partium suarum fuisset documento vetere probare, quod seu legati, seu Duces Bohemiæ in Ludovici suprafati, aut Arnulphi superiorumque Regum Germaniæ electione comparuerint, aut quod vocati venire renuerint. Verum non modo sub hoc Conrado, sed multo ante sub Ludovico, Arnulpho & Carolomanno se se Boemos etiam ab illo annuo tributo, atque idcirco omni prorsus nexu cum Imperio Germanico exemisse testis nobis est author Germanus viræ Mathildis scriptor, qui verbis expressis ait Henrici Aucupis præcessoribus Regibus Germaniæ Bohemiam subjectam non fuisse. Verba autem de Henrico Aucupe, qui tributum annuum multo temporum cursu intermissum resuscitavit, loquentis sunt: *Per plurimas nationes suo subjugavit* (Henricus) *dominatui, Danos, Sclaves, Boemones, Bujovarios, ceteraque quam plurima regna, quæ suis antecessoribus non fuerant subdita.* Quod vero author hic per verba *dominatui subjugavit* nihil aliud, quam annuum tributum olim cum Carolo magno pactum intellexerit, explicat Ditmarus de eodem Henrico scribens: *Has regiones sibi fecit tributarias, Bojemiam &c.* quod etiam affirmat Helmoldus, & nos anno 921. pluribus argumentis probaturi sumus.

Apud Leibn. T. I. p. 195.

Ditmarus l. 1. p. 326. Helmold. l. 1. c. 8.

II. Stranskius hoc anno Wratislaum victorem ab Hungaris domum rediisse his verbis narrat: *Wratislaus Princeps pius, & a nulla viro magno virtute destitutus. Hic patre ad annum 910. funerato Ungaros in Bavaria hostium communium provincia bellum circumferentes, cum non contemnenda militum manu est secutus, cæsoque in prælio Burcardo Duce anno 911. victor domum rediit.* Sed quemadmodum erroneum est Burchardum, qui erat Dux Alemanniæ in Bavaria belli cæsum fuisse, de quo ad præsen-

Reipubl. Boj. c. 8. §. 11.

rem annum ita Hermannus Contractus: *Burchardus Dux Alamannie ab conventu suo orto tumultu recessus est, pro quo Erchanger Ducatum invasit*, ita de Wratislai victoria nihil uspiam apud veteres ne quidem Dalemilum proditum. Hausit vero hæc Stranskius ex Dubravio, qui præter notam Chronologicam longe aliter hanc Wratislai victoriam describit: *Domi forisque*, inquit, *rebus quietis subito nunciatur Hunnos vel (ut nunc vocant) Hungaros, dum Alemanniam Saxoniamque petunt, in fines Moravie desecisse, ibidemque incolas populatione & omni rapinarum genere miseranda calamitate affeciisse. In re adeo inopinata haud potuit Vratislaus per tempus occurrere, opemque ferre Moravis, sed paulo post contractis in Bojemia copiis Moravos quoque armatos se exspectare jussit, ut communibus viribus nimere cum periculo hostem invadcrent, vindictamque de injuria caperent. Agmina ducentibus in Pannoniam legati Hungarorum in via se offerunt Vratislaum magnopere orantes, ne longius cum exercitu suo progrediatur, paratos se esse ad damna sarcienda, quæ ipsis ignaris Moravus sint illata a popularibus suis, quos illi ad Germanos non autem Moravos vexandos miserint. Jussi pecuniam adnumerare, qua & stipendium militi exsolvi, & res, quæ inter populandum amissæ erant, redimi possent, tum Moravis quoque imperatum, ut silvas Pannonia adversus succiderent, viarumque aditus omnes extra unam militarem, ut includerent, ne sit impune hostis incautos assultaret.* Hæc vero magis magisque etiam amplificavit Pessina, qui præmittit Moravos adeo bellis attritos se se subdidisse Wratislao concordibus ordinum suffragiis, missumque esse cum legatione Joannem Episcopum, cum aliis præcipui nominis proceribus, qui Wratislaum ad capessendum Moraviæ Regnum invitarent. Hæc denique in immensum pene diduxit Stredovskius, qui idcirco minime dubitat Wratislaum Regibus Moraviæ esse ascensendum. Verum ut magnum in ipsa Chronologia vitium est, cum decem & ultra annis nonnisi posterius Wratislaus imperium auspicatus sit, ita historia ipsa tacentibus veteribus omnibus haud fidem habitura est apud eos, qui tabulis omnia probata cupiunt.

Herm. Contr. apud Canis. ad b. a.

Dubrav. l. 4.

Pessina Mart. Morav. l. 3. c. 1. p. 226.

ANNUS 912.

Wratislaus plenus præceptorum de vita Christiana recte instituenda in id unum studium, operam, consiliumque

que contulit, ut Christi religionem augeret, ornaretque. Quam cum re nulla magis, quam ædium sacrarum, tum oppido adhuc infrequentium, exstructione promoveri cognosceret, in monte Suillo, super quo Libussa olim ligneam domum condiderat, templum honori S. Georgii Martyris condi fecit, (a) eique claustrum sacratarum Deo Virginum adjunxit. (b) Magna itaque ex hoc Wratislai consilio suprem Numinis clementia suscepit res Christiana incrementa. Ad quæ haud parum contulit mira pietas, quæ ad exemplum plebis in Ecclesiarum ministris elucebat.

Wratislaus condit templum S. Georgii.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXII.

ANASTASII III. PAPÆ 2. LUDOVICI III. IMP. 13. SPITIGNÆI 18. TUTONIS *Ep. Rat.* 19.

(a) De hac Ecclesia ita Florianus Hammerschmid, qui historiam Parthenonis S. Georgii anno 1715. in quarto edidit: *Incepta est opus Ecclesiæ anno 912. & absolutum 913. Ad hanc perfectam Ecclesiam, ut inibi cultus divinus celebraretur, induxit, & instituit ibidem IX. Clericos e duos videlicet subdiaconos, & duos diaconos, & quinque presbyteros, & ex his erat unus Archipresbyter. Ita Mss. antiquissimus liber Monasterii S. Georgii in membrana. In hoc antiquissimo libro annotantur quædam Archipresbyterorum nomina: videlicet Wlita Archipresbyter, Byelcz presbyter, Czas presbyter, Himylen presbyter, Mylata Archipresbyter. Et sic hi ipsam Ecclesiam S. Georgii fere L. annis soli per se rexerunt, & gubernaverunt, & in possessione ejusdem loci pacifica Clerus, & Collegium Clericorum exstitit Ecclesiæ supradictæ.* Hactenus de historia patria optime meritus Vir Florianus Hammerschmid, cujus fidei quanquam derogatum nihil velim numerum IX. Clericorum a Wratislao fundatorum, item etiam quædam Archipresbyterorum, & presbyterorum nomina in antiquissimo illo libro fuisse annotata, at certe anni 912. & 913. quo cœpta absolutaque moles, nusquam in eo codice fuerint expressi, qui authorem hujus *Hammerschmid. p. 3. & 4.*

jus Chronologiæ præter Hagecium neminem habent ſuperiorem. Profecto Eccleſia S. Georgii ſaltem decem poſterius annis ædificata eſt, vix enim prius condita, quam dum Wratislaus Pragenſem Ducatum, univerſæque Bohemiæ dominatum aſſecutus eſt, quod nonniſi demortuo fratre natu majore Spitignæo accidit, quem usque ad Henrici Aucupis tempora ſuperfuiſſe ſuis locis oſtendemus.

(*b*) In his dormitabat Homerus, Hagecius inquam noſter, cum monaſterii Sanctimonialium fundationem jam Wratislao tribuit. Immemor nempe Bullæ Joannis Papæ a ſe ipſo anno 967. productæ, in qua hæc verba ſummi Pontificis legere eſt: *Annuimus, & collaudamus, atque incanonizamus, quo ad Eccleſiam SS. Viti & Wenceslai Martyrum fiat ſedes Epiſcopalis, ad Eccleſiam vero ſancti Georgii Martyris ſub regula ſancti Benedicti, & obedientia filiæ noſtræ Abbatiſſæ Mariæ conſtituatur Congregatio Sanctimonialium.* Recte igitur Hammerſchmid: *Hanc Eccleſiam ſoli per ſe rexerunt Canonici* (antea dixit presbyteros ibi fundatos) *donec B. Milada veniſſet Pragam, & poſſeſſionem accepiſſet cum Sanctimonialibus ordinis S. Benedicti ad S. Georgium ſecundum Hagecium anno* 967. *ſecundum P. Balbinum; & Georgium Crugerium anno* 971.

Coſmas l. 1. ad An. 867.

Hiſt. S. Georgii p. 24.

PRÆTERMISSA.

Mitiorem aliquantum fortuna Bajoariis Alemannisque hoc anno viſa præbere frontem: nam ad Inum fluvium cæſos fuiſſe Ungaros produnt diverſi Chronologi, & quidem Hermannus Contractus: *Ungarii item Bajoariam petentes congregatis Bajoariorum, & Alemanicorum copiis juxta fluvium Ine congreſſi magna ſtrage proſtigantur.* Et Piſtoriana Hermanni Contracti editio: *Hungari a Bajoariis & Alemannis juxta fluvium Inum occiduntur.* Eandem cladem narrant Hepidanus; Continuator Reginonis, Chronicon Augienſe, Marianus Scotus, Annales Boici apud Meichelbekium, Albericus, ſed uno paſſim anno poſterius videlicet 913. Errorem autem ex Hepidani calculo jam detexit Sigismundus Calles, qui cum dicat, eo anno Idus Aprilis in hebdomadam Paſchæ incidiſſe, plane indigitat narrata ſua ad præſentem annum pertinere, quo Paſcha in pridie Idus Aprilis incidit; cum contra anno ſequente Paſchæ dies 28. Martii celebratus ſit, ac proinde Idus Aprilis nequaquam in hebdomadam Paſchalem incidere potuerint. Verba autem Hepidani ſunt: *In Purificatione S. Mariæ tranſacta feſtivitate grande miraculum contigit, ut ſtel-*

Apud Caniſ. ad h. a.

Meichelbek. in Chron. Bened. Burano. Annal. Auſtr. l. 4. p. 237.

Hepidanus ad An. 913.

ſtellæ miro modo usque ad mediam noctem inter ſe volitarent. Eodem anno nix immanis cadens Id. Apr. ebdomadam ſacram perduravit. Agareni (id eſt Ungari) *Alemanniam intraverunt, Erchanger & Pertholt frater ejus, & Udalricus Comes auxiliante illis nepote eorum Arnolfo optimo Duce Bajoariorum totum exercitum eorum juxta Ine fluvium penitus occiderunt, niſi XXX. viros* - - hic deſideratur aliquid, veroſimillime *ſuorum amiſerunt.* Annales vero S. Galli: *Ungari in Alemanniam, quibus per Bavariam redeuntibus Arnolfus filius Luipoldi, & Archanger cum Peratholdo & Adalrico, cum eis pugnavexunt, & eos ſuperaverunt.* Adelzreiter hanc vaſtationem factam ſcribit, quod Conradus & Arnulphus Hungaris nollent tributum pendere, cujus opinioni repugnare nolim, at quod paſſim ſcriptores Germaniæ hanc ab Hungaris obtentam victoriam Conradi Regis dexteritati adſcribant, ſuperiorum monumentorum relatis adverſum eſt, ſecundum quæ Conradus hujus prælii, aut victoriæ nullam partem habuit; & recte, nam memorat breve Chronicon S. Galli Conradum in Lotharingia bello diſtentum fuiſſe. Imo demortuo hoc anno Ottone Duce Saxoniæ patre Henrici Aucupis tradit Chronicon Saxonicum apud Bouquet T. VIII. p. 224. ſupra nominatos Duces Conrado rebellaſſe. Quibus itaque hujus victoriæ laus adſcribenda, fuere: *Erchanger*, qui anno ſuperiore cæſo Burchardo Ducatum Alemanniæ invaſit, frater illius *Bertholdus*, *Udalricus Comes*, qui jam anno 901. commemoratur a Continuatore Annalium Francofuldenſium, & qui Stumpfio Comes de Turgow eſt. Denique *Arnolfus* Dux Bavariæ. Pariter nihil proditum, an Moravi ſeu Boemi aliquam hujus belli victoriæque partem tulerint, ut nonnulli noſtrorum ſentiunt. An demum ea victoria Hungari remoti fuerint usque ad fluvium Leytham, quemadmodum canit Anonymus ſæculi XII. ſcriptor in Chronico rhytmico Bibl. Univerſit. Vindob. p. 104. certum quoque non eſt, nam & in eo hallucinatus hic author, eum bellum hoc Conrado adſcripſit. Verſus autem illius ſunt:

Annal. Baj. P. 1. p. 311.

Apud Bouquet T. VIII. p. 101. Necrolog. Fuld. apud Leibni. T. III. p. 763.

Schweitzer. Chronic. c. 32. p. 299.

Der Kunig beſande ſich drat
Nach der Fürſten rat
Von Beyern und von Swaben
GOTT ſi ſich alle ergaben &c.
Da was gevochten ein michel ſtrit,
Manich Unger verlos da den lip,
Die Beyer rachen chint und wip.
Ir war da ſo viel erſlagen,

Das es niemen chan geſagen,
Und niemen erzelln mach,
Si ſlugen ſi nacht und tach
Unz an der Lita ſtat.
Dannoch waren ſi nicht vechten ſat. &c.

Copioſiſſime prælium iſtud apud Aventinum cum plurimis locorum, rerum, perſonarumque circumſtantiis deſcriptum legitur, cujus narrationi quanquam non pauci fidem integram præbeant; ego tamen cum Brunnero ſcribere malim: *Nihil præter felicis pugnæ eventum proditum eſt. Etſi Aventinus eam hiſtoriæ lacunam ingenti fiducia licentiaque ariolandi egregie explevit pro more & ſæculi ſui ſimplicitate abuſus, & poſteritati illuſurus.*

Brunner. Annal. Boj. P. 2. l. 2. ad An. 913.

ANNUS 913.

Abſolutum templum S. Georgii.

Hoc anno ducta eſt ad faſtigium moles Eccleſiæ Divi Georgii. (a) Architectus operis erat Mirobojus propter peritiam hujus artis Principi impenſe charus. (b) Induſtria artificis tantum probata eſt Wratislao, ut non alibi quam in eo templo ſe tumulandum eſſe amicis quibusque declararet. At vero multum de Principis lætitia decerpſit Epiſcopi, qui hanc ædem ſolemni ceremonia ſacraret, dicaretque, penuria. Neque enim eo tempore ullus erat in Bohemia ea poteſtate præditus, neque aliunde vel maximis ſumtibus evocari potuit. (c)

Caruit conſecratione.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXIII.

ANASTASII III. PAPÆ 3. LUDOVICI III. IMP. 14.
SPITIGNÆI 19. TUTONIS *Ep. Rat.* 20.

(a) Stredovskius addit: *pium opus Joannis Podivinensi Episcopo approbante. Quo tempore non solum in Bohemia authore Wratislao Duce & zelantissimo Cleri ardore Christiana religio magna sumebat incrementa: verum etiam in Moravia pace tunc sub novi Regis cura florente Apostolico Joannis Episcopi Podivinensis studio, sacerdotumque laudabili ministerio sacra videbantur florere universa.* Ita nempe ubivis locorum nobis Joannem Podivinensem Episcopum obtrusit, & sacris muniis immiscuit, cum tamen ne uno quidem loco legitimis tabulis testatum fecerit eum seu aliquando exstitisse, seu his temporibus Moraviæ Boemiæque præfuisse. Nos alium Joannem ignoramus, quam Archiepiscopum a Joanne IX. Papa anno 899. ad Moraviam missum, qui utrum his temporibus ultra superfuerit, nihil uspiam proditum, quin Bohemiam Ratisbonensis Episcopi jurisdictionem respexisse certo scimus. *Stredovsky l. 5. c. 1. p. 464.*

Unde hoc ædilis nomen depromtum sit, quis vatem agat? Non majoris faciendum est, dum scribit Pessina, molem hanc ædificatam esse *ad instar illius, quam Ratisbona eidem S. Georgio dicatam aliquando viderat Wratislaus.* *Pessina Phosph. sept. p. 127.*

(c) Christannus ait: *Cum præfatus Dux Wratislaus in regno fratris sui defuncti succederet, firmato regno basilicam in honorem B. Georgii Martyris statuit, sed morte præventus ejus consecrationem diu desideratam minime perspexit.* Nempe circa annum 921, quo Wratislaus Ducatum auspicatus, Henricum inter Aucupem omnesque Slavos ædeoque etiam Bohemos erant simultas & inimicitiæ, quæ procul dubio obstitere, utne Wratislaus ex Henrici regno Episcopum, sub cujus diœcesi Boemi erant, evocare posset, aut Episcopus Ratisbonensis invito inimicoque Henrico auderet Boemiam ingredi. *Vita SS. Ludmillæ & Wenc.*

PRÆTERMISSA.

Superiorem anni eladem hoc anno reparare conati sunt Hungari, quare novis exercitibus belli aleam periclitati sunt. Legitur enim

Herm. Contr. apud Caniſ. ad h. a.

apud Hermannum Contractum: *Ungarii ingreſſi Alemanniam vaſtant.* Seu ut habet editio Piſtoriana; *Hungari Alemanniam depopulantur.* Cladem Hungarorum, quam nonnulla Chronica huic anno apponunt, jam ſupra oſtendimus ad prioris anni geſta pertinere. Ceterum anni hujus ſterilitatem non difficile eſſet narrationibus Peſſinæ atque Stredovskii explere, at quoniam omnia ſine veterum authoritate prolata comperimus, magis conſultum arbitrati ſumus ea prætermittere, quam incertis hiſtoriis lectorem diſtinere.

ANNUS 914.

Nihil in humanæ vitæ deliciis majus viſum Wratislao patri utroque filio, quos quanquam ambos tenero affectu complecteretur, primas tamen ferebat puſio Wenceslaus. (a) Hunc ſuper Chriſtianam pietatem literis quoque informandum conſtituit pater. Magna per id tempus fama celebrabantur Budecenſes ſcholæ ad erudiendam latinæ linguæ veneribus adoleſcentiam inſtitutæ. Huc bona Ludmillæ gratia diſcendi avidum puerum mittit Wratislaus. (b) Quo in tyrocinio tam celeres fecit progreſſus, ut patris aviæque ſpem non falleret, & magiſtri (c) exſpectationem ſuperaret. Nec vero inter has ingenii exercitationes curam ſalutis pietatisque projecit nobiliſſimus juvenis, cui imo arreptæ literæ quidam quaſi gradus erant ad virtutem, Deique timorem altius animo implantandum. Nam ſingulis diebus in templo Apoſtolorum Principum Budecii ſacerdoti ad aram operanti ſerviebat, altarique de vino & luminaribus proſpiciebat. (d)

Wenceslaus mittitur ad Budecenſes ſcholas.

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXIV.

JOANNIS X. PAPÆ 1. LUDOVICI III. IMP. 15. SPITIGNÆI 20. TUTONIS *Ep. Rat.* 21.

(*a*) Amorem hunc Joannes de Novo Foro Episc. Litomislienſis & Olomucenſis his verbis exprimit: *Magnum tripudium patris ejus; quoties in illum obtutum figebat, replebat animam, dum ipſum videbat corpore tum ſpecioſum, & omnium virtutum moribus adornatum: ruebat aſſidue delectabiliter in oſcula ejus, totus nimio præ gaudio lacrymarum imbre perfuſus divinam collaudabat clementiam pro dono prolis tam excellentiſſimæ.* *Vita Mſ. S. Wenc.*

(*b*) Anonymus, qui juſſu Ottonis II. vitam S. Wenceslai ſcripſit, ita loquitur: *Mire claritatis ac amande indolis puer, dum floridam juventutis etatem primum attigiſſet, patre adhuc vivo ad literarum diſponi exercicia deſiderans, paternumque crebro flagitans auxilium, & deflectens animum, ejus transmiſſu in civitate Budeſi litteris addiſcendis eſt diſpoſitus. Cujus itaque ingenio celeri capacitate divinitus inſtructo brevi ſtudio librum pſalmodialem, ceteraque divinorum complura perdidicit, & ſolidius interiori memorie retinuit.* Vita vero, quæ Hizoni tribuitur, inquit: *Miſit eum in urbem nuncupatam Budecz, ut ibi diſceret pſalterium a quodam reverenti presbytero nomine Uneyo.* *Mſ. Metr. Bibl.*

(*c*) Nempe Uneyo dicti, quem, ut ſupra advertimus, præter veterum authoritatem *Nicenum* vocat Dubravius. Quod vocabulum plane in ſiniſtrum ſenſum detorſit Adrianus Bailletus, dum in Gallica vita ſua S. Wenceslai presbyterum ex civitate Sileſiæ Niſſa fecit, ita ſcribens: *Un prêtre de la ville de Neiſſe en Sileſie.* *Acta ſanctorum ad 28. Sept.*

(*d*) Ad hunc locum ex Balbino noſter P. Victorinus: *Ferunt Wenceslaum etiam tum puerulum id ſibi veluti proprium arrogaſſe: ut ſacerdotibus panem vinum ac lumen in uſus ſacros quotidie e peculio puerili præberet.* Verum recte advertere Eruditiſſimi Viri Bollandiani hæc in veterioribus nuſpiam legi. *Balbin. Dec. 1. l. 1. c. 4.* *Acta SS. ad 28. Sept.*

PRÆTERMISSA.

I. Cum mortuo Saxoniæ Duce Ottone Conradus Germaniæ Rex Ottonis filio Henrico non omnem eam hereditatem poteſtatemque,

quam pater habuit, concederet, non modo is adverso in Conradum esse cœpit animo, sed & Duces quique & Comites Conradi imperium magis magisque contemtui habere, tum supremam in Ducatibus potestatem usurpare ausi. Sed vertit quibusque pessime consilium: Nam Erchangerus, ut inquit Chronicon S. Galli, *a Rege comprehensus & in exilium missus est.* Postea plane cum fratre Bertholdo decollatus, Arnolfus vero una cum uxore & liberis ad Ungaros profugere compulsus, quam fugam jam quidem in annum præsentem reponit Sigebertus, at posterius factam fuisse, suo loco videbimus. Porro Erchangero hoc anno in exilium, ut diximus, acto, non præsentius visum præsidium quam in Hungaris, eosque amicos sibi conciliare; quare illi sequente anno junctis sibi Boemis, alia etiam parte Erchangero popularibus suis bellum movente Conradi regnum misere laniarunt.

Chron. S. Galli ad h. a.

Sigeb. Gembl. ad h. a.

De gestis vero Boemorum Moravorumque rursum hoc anno altum apud veteres silentium. Stredovskius quidem more suo loquacissimus est: narrat is novum Wratislai bellum contra Henricum susceptum, vastationemque Saxoniæ ob vindicandas ditiones olim Hostiviti tempore a Germanis extortas. Moraviam rursum ait lacessitam ab Hungaris, Wratislai denique implorato auxilio vim depulsam. Joannem Podivinensem Episcopum vult hoc anno universalem Ecclesiæ Moravicæ Præsulem fuisse creatum, denique sanctos Cyrillum & Methudium a Joanne X. in catalogum Divorum adscriptos, quæ oppido paradoxa videri debent iis, qui tantilla fide res istiusmodi mercari non solent.

Stredovsky l. 4. c. 1. p. 2.

ANNUS 915.

Aperiente se anno quinto decimo supra nongentesimum Wratislaus Dei monitu seu potius visione nocturna, (a) ut ipse aliquando testatus, aliud templum SS. Bohemiæ Apostolis Cyrillo & Methudio moliri cepit. (b) Locum, quo ædes has sacras posuit, a minore filio suo Boleslao Boleslaviam appellari jussit, (c) quæ in hunc usque diem veteris Boleslaviæ nomen obtinet. In id tem-

Boleslaviæ conditur templum SS. Cyrilli & Methudii.

templum, quo frequentioribus personaret sacrorum exercitiis, idem conditor Præpositum primum dictum Bohuslaum, Decanum cognomento Wssemylum, duos præterea Canonicos induxit. (d) Et vero ea tempestate sic virtutibus sacerdotalis inter se ordo & sacerdotum æmulatrix plebs, denique Dux ipse piissimus piorum fautor Christianæ vitæ officiis certabat, ut vix alias habita sit ferventior Bohemia in prosequendo Dei cultu. *Priscapietas.*

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXV.

JOANNIS X. PAPÆ 2. LUDOVICI III. IMP. 16. SPITIGNÆI 21. TUTONIS *Ep. Rat.* 22.

(a) Stredovskius adjicit: *Ipsi SS. Apostoli Cyrillus & Methudius structuræ locum monstrant, aream templi designant, ac futuram loci illius gloriam Principi spectandam objiciunt.* *Stredovsky l. 5. c. 1. p. 468.*

(b) De hac Ecclesia a Wratislao condita tacent omnes veteres. Balbinus nihilominus ad pervetustos temporum Annales provocat, quos si prodidisset, qui sint, aut quo loco lateant, magnam a posteritate iniisset gratiam. Idem addit: *Jam vero a quonam Præsule prima hæc Collegialis Ecclesia Boleslaviensis Deo consecrata sit, nullibi scriptum inveni. Quidsi Joannes Bolessoviensis, aut Kunovicensis Episcopus S. Methodii apud Moravos successor (cujus initia in hac tempus incidunt) consecrationi Ecclesiæ Boleslaviensis operam suam commodare ex proximo voluisset?* Quod jam aliquanto confidentius videtur asserere Pessina, Stredovskius vero tanquam rem certissimam statuere non dubitat, ait enim tum Joannem Polessovienseim Episcopum Pragæ exstitisse, cum SS. Cyrillus & Methudius a Pontifice in sanctorum syllabum relati fuissent, quare lætum id nuncium per universum Bohemiæ Ducatum fecisse publicari, Wratislaoque stimulo etiam fuisse ad condendum opus. At magna in his hallucinatio cum Joannis Archiepiscopi Moraviæ, qui Successor erat S. Methudii, initia in hæc tempora rejiciuntur, quem productis Joannis IX. Papæ literis jam ostendi- *Balbin. Epit. p. 4. Idem ibid. p. 17. Pessina Rad. 3. p. 129. Stredovsky l. 5. c. 1. p. 468.*

oſtendimus anno 899. ad Moraviam miſſum, nec ab eo anno veſtigium ejus amplius in veteribus deprehendi.

(*e*) Mihi veroſimilius videtur locum nomen Boleslaviæ accepiſſe, poſteaquam Boleslaus ex curte & palatio urbem fecit, quemadmodum teſtatam habemus rem ex Coſma. Non vero locus hic primum poſt Martyrium S. Wenceslai in urbem tranſiit, quemadmodum paſſim noſtri cum Hagecio ſentiunt, ſed id nonnullis annis prius accidiſſe ſuo loco ex Coſma & Chriſtanno oſtendemus.

Peſſina Rad. 3, p. 128.

(*d*) Ad hunc locum noſter P. Victorinus: Acute obſervat Peſſina: perperam Hagecium quatuor illos presbyteros Boleslaviæ a Wratislao fundatos Præpoſiti, Decani, & Canonicorum nominibus inſignire, adeoque & innuere Eccleſiam Collegiatam tunc fuiſſe erectam: cum ejusmodi dignitatum nomina non fuerint Bohemis nota, minus vero uſitata prius, quam Cathedra Epiſcopalis ad D. Viti Baſilicam Pragæ fundata exiſteret. Quæ is fuſiſſime diſputat contra antiquitatem hujus Collegiatæ Eccleſiæ argumento præcipuo allato: quod Brzetislaus in diplomate ſuo monaſterium ſeu Collegium Canonicorum a ſe demum conſtructum dicat, quodque ibidem primum his Canonicis certos reditus aſſignet. Conſequi ergo: Wratislaum tantum ſimplices presbyteros in Boleslavienſem Eccleſiam, quemadmodum & alteram Divi Georgii induxiſſe. Hactenus ex Peſſina noſter P. Victorinus.

PRÆTERMISSA.

I. Tota vi ad laniandum Conradi Regnum hoc anno incubuere Hungari, quo in molimine adjutores habuere Bohemos, ipſumque Erchanger Alemanniæ Ducem cum complicibus ſuis, duravit autem terrarum illarum vaſtatio tribus continentibus annis. Scilicet Chriſtianis quibusque Principibus Germaniæ, Italiæ atque Galliarum debuere nonnunquam Ungari eſſe præſidio, ut cum ſe pares hoſtibus ſuis non viderent, Ungaros præmiis prædarumque ſpe invitarent ad ſcindendas, infringendasque vires hoſtilis exercitus. Generatim Hungrorum in Alemanniam irruptionem his verbis inſinuat Continuator Reginonis: *Hungari totam Alemanniam igne & gladio vaſtaverunt*, quæ pene eadem verba repetit Marianus Scotus & Chronographus Saxo. Sigeberrus vero Gemblacenſis ad hunc annum ſcribit: *Hungari Berengario confœderati Alemanni-*

Cont. Regin. ad h. a.

Sigeb. Gembl. ad h. a.

manniam vastant, & a Bojariis & Alemannis graviter caduntur. At vero loco *Berengario confœderati* legendum esse *Erchangero confœderati* suadet historia horum temporum, quam vocem verosimillime seu sciolus quidam, seu historiarum rudis *Erchangero* substituit. Nam Berengarius nusquam hoc tempore in Alemannia fuisse, aut Ungaris fœderatus legitur. Tam obscurum est, quæ illa victoria sit a Bojoariis & Alemannis contra Hungaros obtenta, & contrarium suadet Arnulphi Ducis Bajoariæ jam clancularia cum Hunnis inita societas, quæ tandem annis duobus posterius prodita eum solum vertere compulit. Verosimillime autem hic ea Bojoariorum victoria a Sigeberto Gemblacensi innuitur, quam Bajoarii Duce suo Arnulpho contra Conradum his temporibus retulerunt, de qua Witichindus: *Rex* (Conradus) *profectus in Bajoariam dimicavit cum Arnulfo, & ibi, ut quidam tradunt, vulneratus revertitur in patriam suam.* E quo vulnere Conradum postea mortuum tradit vetus Teutonicum rythmicum Chronicon a Maibomio in notis ad Witichindum p. 676. recitatum, idemque ex auctore vitæ Mathildis conjicit Hahnius. Quod vero Erchanger Dux Alemanniæ hoc anno ex exilio suo redux bellum Alemanniæ concivibusque suis intulerit, legitur ex Chronico S. Galli his verbis: *Erchanger de exilio reversus cum Burcardo & Berchtoldo, cum ceteris patriotis suis pugnavit, & eos apud Walawis vicit.* A quo tempore perpetuo hic tyrannidem exercuit omnibus cognatis in armorum societatem excitis, quorum auxilio plane Salomonem Constantiensem Episcopum maximo opere sibi infensum cepit, ut narrat Ekkehardus junior: *Luitfridus sororis amborum* (Erchangeri nempe atque Bertholdi) *filius juvenis pertinacissimus - - - extracto gladio, nisi ab ambobus premeretur, Episcopum occidisset. Ipse autem, ut jugulum declinaret, cum citius equo diverteret, a fratribus ambobus freno tentus, comprehensus est.* Dum vero isthic Erchanger cum cognatis suis, illic Arnulphus Conradum infestis armis petunt, Ungari junctis Boemis usque ad ipsa pene Visurgis & Albis ostia prædabundi penetrant. De quo Adamus Bremensis vetus Chronographus: *In diebus illis immanissima persecutio Saxoniam oppressit, cum hinc Dani & Slavi, inde Boemi & Ungari laniarent Ecclesias. Tunc Parochia Hammaburgensis a Slavis, & Bremensis Ungarorum impetu demolita est. Interea Confessor Dei Hogerus obiit & sepultus est in Ecclesia S. Michaelis cum decessore suo anno domini DCCCCXV.* Quæ eadem verba repetit Albertus Stadensis in suo Chronico. Quorum denique barbariem in Clerum locunque sacra exertam acri stylo c. 46. depingit Adamus Bremensis. Nihil vero inter veteres exploratum est, cur

Witichind. l. 1. p. 636.

Reichshistorie in Conrado §. 5, in notis Chron. S. Galli ad h. a.

De casib. Monast. S. Galli c. 1. p. 17.

Ad. Brem. hist. Eccles. c. 44 p. 17.

Boemi se se Ungaris in hac expeditione sociaverint, aut qui Boemi hi fuerint, num a Spitigneo, num ab aliquo subregulo Boemiæ missi? an ab Erchangero pretio conducti? an non forte Ungarorum manus, quæ colonias suas in Bohemia nuper auspicata erat, ac propterea Boemi existimati? an denique fortassis præter tributum annuum etiam militare auxilium Duces Bohemiæ Hungaris pacti? quæ quis divinet?

II. Hoc anno Chronicon Monasterii Mellicensis mortem Spitignei Ducis Bohemiæ, & Wratislai successionem his verbis adnotat: *Defuncto Spitigneo Duce Boemorum Wracizlaus frater ejus succedit.* Quæ verba cum Pezius minori charactere excudi fecerit, juxta alibi dicta innuit a posteriore manu in hoc fat vetus Chronicon fuisse inserta. Et profecto haud verior hic mortis annus est, quam alter Hagecii: cum Spitigneum usque ad tempora Henrici Aucupis superfuisse dein ostensuri simus. Tam obscurum est, quæ bella ante hunc annum Wratislaus cum Bojis, Ungaris, Saxonibusque gesserit, cum Balbinus memoret eum *bellis Boicis, Ungaricis & Saxonicis fessum* hoc anno tandem animum applicuisse ad condendam Boleslaviæ SS. Cyrilli & Methudii Ecclesiam. De bellis quidem a Suatopluci morte cum Bojis gestis nihil uspiam proditum habemus, cum Ungaris & Saxonibus genti nostræ quæpiam inimica intercessisse nonnulla inter veteres vestigia sunt, at expeditum non est sub Spitignæone an Wratislao hæc acta sint. Recentiores (qui multa, ut paginas implerent, novitatibusque lectoris benevolentiam conciliarent, acervavere) haud moramur.

Hier. Pez. T. I. p. 217.

Balbin. Epit. p. 17.

ANNUS 916.

Wratislaus filius Borzivoji Dux Bohemiæ, Christianarum virtutum exemplo nemini secundus, sensérat corpus suum langueſcere, se seque ex mortalis regni anguſtiis ad æterna vocari; accitis itaque regionum præfectis ceterisque primoribus valetudinis suæ afflictas vices exponit, simul eorum curæ atque vigilantiæ impuberes filios Wenceslaum atque Boleslaum commendat, id

Wratislaus moriturus ordinibus Boh. filios commendat.

præ

ad an: 916.

Wratislav. Wenzeslav.

præ ceteris petens, ut si mori eum contingeret, utrumque salubribus monitis & præceptis in bono firmarent, ad clientum subditorumque amorem, ad mansuetudinem eos accenderent, Christianæ religionis studium, quo per baptismum se authore initiati essent, in illis magis magisque perpolire satagerent, (a) tum vero sedulo prospicerent, ne unquam Luzenses seu Zatecenses ethnicos altius cristas erigere sustinerent. (b) Quæ cum omnes sancte se impleturos pollicentur, piissimus Princeps septimo ægrotationis die mortalitatis debitum exsolvit. (c) Tumulatus magno populi ejulatu in Ecclesia S. Georgii à se condita, jamque olim pro tumulo designata. (d) *Moritur.*

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXVI.

JOANNIS X. PAPÆ 3. LUDOVICI III. IMP. 17.

SPITIGNÆI 22. TUTONIS *Ep. Rat.* 23.

(a) Quin hæc sub mortem Wratislai (alio tamen & posteriori anno) ita geri potuerint, disputare nolim, at nego hæc uspiam in veteribus prodita deprehendi.

(b) Hæc ex eo errore profluxere, quod Hagecius Drahomiram gente Luzensem seu Zatecensem fuisse crediderit.

(c) Quo anno mortuus fuerit Wratislaus nullibi legitimis tabulis testatum habemus, annis tamen facile 3. aut 4. posterius satis cessisse persuadet regimen Spitignæi, quem usque ad Henrici Aucupis imperium annumque 921. superfuisse constat. Posterius reponendam esse mortem Wratislai jam advertit Balbinus, Pessina & Hammerschmid. An tamen certus sit emortualis annus 926. ut illi sentiunt, nihil omnino exploratum. Diem tamen obitus certam habemus decimam tertiam *Balbin. Vita Arnesti p. 106 Pessina Rad. 3. p. 130. Ham-*

merſchmid. hiſt. S. Georg. p. 76. Peſſina Rad. 7. p. 699.

Februarii, quam non modo Codex Mſ. *Diſtributionum Eccleſiæ Pragenſis* a Balbino laudatus, ſed & *liber anniverſariorum* a Peſſina commendatus exhibet. Calendarium feſtorum immobilium, quod præmiſſum eſt officio B. M. Virginis ad uſum Monaſterii S. Georgii anno 1654. Pragæ excuſum ad eundem diem XIII. Februarii literis rubris ejus obitus his verbis meminit: *Obiit Dux Wratislaus.* Quem emortualem diem ſervavit etiam Lupacius in ſuis Ephemerydibus, Weleslavinus in Calendario & Crugerius in ſacris Pulveribus. Quemadmodum vero in anno obitus, ita etiam in annis ætatis regiminisque mira inter authores diſſenſio: Chriſtannus noſter ei XXXIII. annos tribuit: *Migrante ex hac vita* (inquit) *ferme annorum trigenta trium.* Sed jam alias innuimus numerum hunc annorum non legi in vita antiqua S. Ludmillæ, ceterum rebus verbisque Chriſtanni pene reſpondente, quare merito nobis videri illum a poſterioribus intruſum. Et profecto calculus hic annorum nequaquam conciliari poteſt cum aliis veteribus documentis. Si enim Wratislaus jam anno 895. fuit in Comitiis Ratisbonenſibus, ibidemque cum fratre Spitignæo inter primores Ducum refertur, ſi ſucceſſit fratri Spitignæo in Ducatu univerſæ Boemiæ, ut omnes veteres ſcribunt, longior merito ei ætas concedenda erit, quandoquidem indubium eſt Spitignæum adhuc anno 921. ſuperfuiſſe. Quodſi tamen in hoc numero *triginta trium annorum* (quem etiam refert vita brevis S. Ludmillæ e Codice Dresdenſi a Menkenio edita) quæpiam vetuſtatis reliquiæ, ajo: hos triginta tres annos ſummum explicari poſſe de annis regiminis, quibus nempe Wratislaus tam cum fratre Spitignæo, quam ſolus Bohemiæ præfuit. Ducis hujus piiſſimi ſimulacrum rurſum ex toties laudato Mſ. picturato cum effigie filii ſui S. Wenceslai lectoris obtutibus ſpectandum exhibemus. Manuſcriptum Monetarium, Ducum & Regum Bohemiæ numos deſcribens, etiam Wratislao quempiam bracteatum primæ magnitudinis attribuit, verba compilatoris iſtius haud adeo veteris audire libet: *Bracteatus primæ magnitudinis* mit einem ſitzenden Bild in beyden Händen ein Creutz haltend: weilen Wratislaus ſeinem Vater verſprochen den Chriſtlichen Glauben fortzupflanzen, und auch von ſeiner Gemahlin vor ſeiner ehelichen Verbündnuß dergleichen Verſprechen erhalten, ob ſie es ſchon nicht gehalten. Als wollte er durch die 2 Creutze ſagen, daß von beyden Seiten die Chriſtliche Religion zu treiben ſeye. Quem bracteatum bona fortuna in Ludevigii Tomo VII. reliquiarum manuſcriptorum Tabula III. numero 89. excuſum reperi, quem & ipſe tabula I. num. IV. a calcographo copiatum exhibeo. At vero cum nu-

Menken. T. III. p. 1808.

ad Ann. 916.



Simulacrum argenteum S. Ludmillæ.



numus hic omnibus indiciis careat, problema esto: num potius ad historiam Brandeburgiæ, ut vult Ludevigius, an ad Duces Bohemiæ referendus sit? cum etiam inter aliarum gentium monetas non raro veteres Duces Regesque cum duplici cruce, vexillo, palma, lilio, aut hasta repræsentati inveniantur. Ceterum Treverus in sua disquisitione de origine Aquilæ bicipitis ostendit, plures numos a Ludevigio T. VII. pro Brandeburgicis habitos, ad historiam nostram remque monetariam Bohemiæ pertinere.

(*d*) Hodiedum tumulus Wratislai Ducis Bohemiæ spectatur in ejusdem Ecclesiæ Divi Georgii navi ex cornu epistolæ ad ingressum sacrarii, infra cæmento & lapide supra pavimentum elevatus, supra vero opere ligneo tectus; in hujus posteriore parte exhibetur Wratislaus cum pileo & Ducali amictu limbo redimitus templique cujusdam iconem utraque manu gerens, ad cujus pedes hæc Gothico rudissimoque charactere legitur inscriptio: HIC JACET BEATUS WRATIZLAUS PATER SI WENCESLAI FUNDATOR H. ECCLESIE. Cujus structuræ imaginem Tabula I. proponimus. Quod ad molem ligneam, scripturamque attinet, eam haud tribus sæculis vetustiorem autumo, ut tum demum positam existimem, cum sedatis tumultibus Hussiticis, Sanctimoniales Divi Georgii in possessiones suas restitutæ sunt. Ad hanc scripturam respexit Balbinus, dum ita de Wratislao commentatur: *Optimus Princeps, cui Beati titulum ut hodieque legimus, ipsa tumuli affirmat inscriptio.* Ex hac ipsa denique inscriptione passim nostri, quemadmodum & Schœnleben in anno sancto Habsburgo-Austriaco Wratislaum *Beati* titulo nobilitare soliti, quem tamen ei ab antiquitate donatum fuisse nuspiam hactenus legi. Imo Florianus Hammerschmid, qui historiam S. Georgii scripsit, sollicitique vetusta monumenta hujus Parthenonis congessit, nuspiam vetus aliquod documentum profert, quo *Beati* titulo donatus legeretur. Multo magis vero ait adhuc sæculo XIV. officium & Missam defunctorum pro eo dici solita fuisse. Quare & eruditissimi Continuatores operis Bollandiani nihil de cultu ei exhibito sibi constare innuunt.

Balbin. Epit. l. 1. c. 5. p. 18.

Hammerschmid. hist. S. Georg. p. 14. & 15. Acta SS. ad 28. Sept. §. 2. n. 30.

PRÆTERMISSA.

I. Cum anno superiore Continuator Reginonis narrasset Hungaros totam Alemanniam igne & ferro vastasse, subjungit: *Sed Thuringiam & Saxoniam pervaserunt, & usque ad Fuldam monasterium pervenerunt*

anno DCCCCXVI. Quem eundem annum observat Hermannus Contractus apud Canisium, & Bouquet, Marianus Scotus, & Annales Hildesheimenses; sed ad superiorem annum narrat jam Schafnaburgensis, uno denique anno posterius Sigebertus Gemblacensis, haud aliam ob causam, quam quod tres continuos annos hæc vastatatio duraverit. Verum dicet nonnemo, quid ubivis Hungarorum historiam persequar? Pertinet ea nempe multis titulis ad Annales nostros, tum quod Hungari Moraviam (cujus memorias me perinde ac Boemicas tractaturum sub frontem operis pollicitus sum) occupaverint, tum quod nonnunquam Boemorum fœderati fuerint, ac maxime quod ex eorum gestis historia nostra mirum quantum illustretur. An vero hoc solido triennio Boemi in Germaniæ vastatione Hungarorum socii perstiterint, nihil in veteribus proditum reperio.

Nec quod ad anni hujus lacunam explendam ultra apponam ad manus est, nisi Concilium in vicina nobis Bavaria apud Altheimium celebratum commemorare libet, de quo Hermannus Contractus: *Ipso anno apud Altheim synodus habita.* Quæ magis elucidat Aventinus: *Anno ab orbe servato CMXVI. Indictione IV. duodecimo Kalendas Octobris, Regnè Conradi piissimi & Christianissimi Regis quinto Concilium sacerdotum frequens apud Althaim in pago Rhætiæ cogitur ab Ottonensi Episcopo legato Joannis X. Pont. Max.* Monet vero Pagius loco *Ottonensi* legendum esse *Ortonensi*, qui plura hujus synodi capitula ad præsentem annum publicavit, inter quæ etiam legere est adversus Richvinum Archiepiscopum Salisburgensem & Episcopos Saxoniæ objurgationem, quod ad hanc synodum vocati venire renuerint. Num huic synodo etiam quidam de Clero Boemico interfuerint, nihil quidem proditum, at invitatos fuisse vix dubitare velim, quandoquidem Boemia Ratisbonensis Episcopi, qui huic synodo interfuit, jurisdictionem respiciebat. Si acta universa hujus synodi ad posteritatem fuissent transcripta, fortassis quædam vestigia hujusce rei ex illis eruere liceret.

Apud Canis. ad h. a.

Aventin. Annal. Boj. l. 4.

Ad h. a.

II. Anno ut ut a memoriis patriis jejuno famem eam historicam exsaturare nituntur Pessina & Stredovskius, quorum prior hac sermonis ubertate utitur: *Erat tum temporis Imperator* (imo Rex Germaniæ tantum) *Cunradus I. qui cum viribus sufficere, & tam immanem hostium* (nempe Hungarorum) *multitudinem ferro superare non posset, muneribus & auro eam deligere, & pacem pretio emere necesse habuit. Quo audito Moravi in sollicitudines distrahebantur varias, metuentes ne Hungari, uti pro more suo inquieti, jam-*

Pessinæ Mars Morav. l. 3. c. 1. p. 228.

jamque tot mortalium funeribus pasti, at nondum satiati, denuo in Moraviam, ruptis prout antea persæpe inducierum pactis, prædatum excurrerent. Neque secus accidit, quam timebatur, nam in ipso reditu, cum ex Bavaria reverterentur, rei bene gestæ feroces in Moraviam Danubio viciniorem vastabundi irruperunt, incolis, qui post tot calamitates & clades supererant, nihil tale opinantibus, partim immani truculentia ferro exciſis, partim in captivitatem abductis, pagis vero & oppidis cum supellectili multa, quæ accipi non poterat, incensis. Quapropter Moravi virium suarum, quæ ad resistendum permodicæ erant, haud ignari, novis rursum legibus pacem flagitare, & cum ferro non possent, eam extorquere, auro mercari, seque majore quam antea tributo quot annis pendendo obstringere cogebantur. Quippe nulla, quantumvis fœda conditio respuenda videbatur, modo cum ferociente vicino, ac velut incubante hoste paciſci, & patriam ab extremo discrimine eximere possent. Hactenus Pessina, qui in narrationis suæ præsidium in margine citat Hermannum Contractum ad annum 916. Peucerum l. 4. Chron. in Cunrado, Cosmam l. 1, Hagecium ad annum 916. Verum ignoro, qualesnam editiones aut exemplaria Contracti, Peuceri, Cosmæ aut Hagecii præ manibus habuerit Pessina, nam in meis de Moravia ne verbum quidem reperio. Nihilominus narratis his utroque pollice subscripsit Stredovskius, imo ea amplificavit pluribusque adjectis auxit. Nam narrat reducem ad Moraviam Joannem Episcopum deprehendisse Ecclesiam Welehradensem ab Ungaris eversam, quare parietibus restantibus superimposuisse tectum, sacellumque inde efformatum SS. Cyrilli & Methudii honori consecrasse. Quæ utinam quanta facilitate scripta sunt, tam roborata sint veterum testimoniis. Carolus IV. in vita S. Wenceslai ait Ecclesiam Welehradensem sub patrocinio S. Viti fuisse, nec aliud documentum supperit illo antiquius, quo alius Ecclesiæ hujus patronus statueretur.

Stredovsky l. 5 c. 2. p. 470. 471.

Acta SS. ad 28. Septemb. n. 1.

ANNUS 917.

Necdum Wratislaus obtorpuit, & jam Drahomira occupare Bohemiæ fasces aggressa est. (a) Procerum namque senatum, omnium urbium & provinciarum Præfectos Wisselıradum cogit, flagitatque, ut per eorum sententias liceat sibi Principatus habenas tenere. Argumen-

Drahomira Wisselıradi cogit concilium.

menta erant: se se alto principalique prognatam sanguine, uxorem mox demortui Ducis, matrem filiorum impuberum. Inter quæ hac confidentia sermonem ad circumfusam concionem instituit: „ Viri! alioquin integrum vobis non est „ novum Ducem deligere superstitibus filiis mariti mei, ad „ quos Ducalem thronum pertinere ne ipsi quidem negave- „ ritis. Eos autem cum tenera adhuc ætas a clavo imperii „ arceat, cui potius, dum adolescant, hanc spartam, quam *Invadit Principatum.* „ mihi conferendam censebitis? „ Proceres, atque ii cum primis, quibus Wratislaus pater impuberum filiorum ætatem commendaverat, deliberatione capta Drahomiræ gubernacula deferenda esse statuunt, dum filii annos administrandæ reipublicæ idoneos attingant. (b) Quibus præterea Comitiis Ducatum Bohemiæ inter utrumque filium partiendum esse decernunt: Wenceslao cavebatur de Pragensi Principatu, totaque Australi, quam lata erat, regione usque ad Curimensium fines; cavebatur item Boleslao de transalbina septentrionali, ea conditione, ut Albis utriusque Principatus limes esset, quam nempe regionis partitionem jam Wratislaum patrem mente agitasse non ignorabant. (c) Cavebatur etiam Ludmillæ de Tetinio, dum viveret, post cujus obitum is tractus rursum ad Wissehradum rediret. (d) Cautum denique erat: Boleslaus matri Drahomiræ permitteretur Wissehradi educandus, (e) Wenceslaus Budecii bonis literis insudaret. (f) Verum Drahomira quanta quanta ad omnem astutiam, tyrannidemque comparata id perpetuo versabat animo, ut Wenceslaum cum universo Christianorum

Wenceslao cisalbina regio.

Boleslao Transalbina conceditur.

Drahomira odit Christianos.

rum grege Ducatu exueret, Boemiaque exigeret. Nec alia fuit causa, quod Ludmillam socrum suam omnibus odiis destinaret, quam quod Wenceslaum Christianis rudimentis instituisset. (g)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXVII.

JOANNIS X. PAPÆ 4. LUDOVICI III. IMP. 18. SPITIGNÆI 23. TUTONIS *Ep. Rat.* 24.

(a) In his Hagecius secutus Dubravium. Invasionem quidem principatus innuere videtur Christannus de Drahomira ita loquens: *Viduata viro solio ejusdem utebatur.* At hæc tyrannis & usurpatio erat, tutela enim suffragio procerum delata erat S. Ludmillæ, ut mox videbitur.

(b) Contra omnium veterum mentem Hagecius hanc tutelam a proceribus & populo Drahomiræ concessam scribit; omnes enim veteres cum Christanno eam Ludmillæ tribuunt. Verba Christanni sunt: *Genitore* (Wratislao) *interim ex hac vita migrante - - - revocatur* (Budecio Wenceslaus) *Metropolitanam in urbem Pragam, sedemque in paternam ab omni plebe sublimatur. Sed quoniam pueritie vel adolescentie necdum perfecte florem mundaverat, inito cuncti satrapæ prudenti consilio beate memorie Ludmile Christi famule Ducem ipsum rudem cum fratre suo Boleslao educandos commiserunt, donec illis robur ætatis favente Deo accresceret.* *Mſ. Biblioth. Metropol.*

(c) Multi scriptores posteriores jam hanc Ducatus partitionem a Wratislao factam, hisque conditionibus ejus testamentum conditum fuisse adstruunt. Neutrius tamen in primis vitæ S. Ludmillæ atque Wenceslai scriptoribus mentio. Quo argumento Clarissimi Viri Bollandiani hanc terrarum partitionem tanquam posteriorum commentum evincere conantur, nec concedere volunt Boleslaum separatæ cujusdam regionis Ducem in Bohemia fuisse. At quanquam lubens confiteat hujus partitionis in nullo veteri fieri claram, verbisque expressis mentionem, at vero indubie ea ex veterum relatis eruitur; præsertim si con- *Acta sanct. ad 28. Septemb.*

ſuetudo patria ad declaranda veterum ſcripta adhibeatur. Certum eſt ex hiſtoriis noſtris, cum plures Ducales filii a patre relicti ſunt, eos certas quasdam Ducatus Bohemiæ portiones accepiſſe (nolim enim hic de Moravia loqui, quæ in plures regiones diviſa plerumque ſecundo genitis filiis in poſſeſſionem dabatur) verum non raro ab ipſa Bohemia avulſas portiones, ut Gradicenſem, Glatovienſem, Satecenſemque, accepere minores natu fratres. In quibus quidem terris pleno jure Ducalique illi dominabantur, at nexu quodam fratri majori ligati, ut eum quaſi primum magnumque Principem agnoſcerent, in iisque, quæ ad ſalutem reipublicæ Bohemæ ſpectare viderentur, obedirent. Ea ſcilicet plane ratione, qua anno 894. a Suatopluco teſtamentum conditum fuiſſe ad eum annum ex Porphyrogenito retulimus. Jam certum eſt ex Chriſtanno: Boleslaum, antequam univerſæ Bohemiæ Ducatum interfecto fratre Wenceslao fuiſſet indeptus, curtem habuiſſe Boleslaviæ, certum etiam eſt ex eodem & Coſma: Boleslaum Boleslaviam urbem effeciſſe, atque *Romano opere*, ut inquit Coſmas, condidiſſe, quibus verbis haud obſcure authores hi innuerunt, regionum illarum tractum Boleslaum in portionem ſuam accepiſſe. An vero omnem transalbianam ditionem, ut noſtri volunt, acceperit, item an eam teſtamento patris, an procerum Bohemiæ ſuffragio obtinuerit? definire quidpiam haud auſim. Id certum eſt Boleslaum ditionem Boleslavienſem certo quodam plenoque jure tenuiſſe.

(*d*) Id ex conjectura hauſit Hagecius, cum conſtet S. Ludmillam usque ad obitum ſuum Tetinenſem regionem tenuiſſe, poſt cujus martyrium Drahomira eam ſeu ſibi ſervavit, ſeu percuſſoribus obtulit. Nam ait Chriſtannus: *Præfata autem Domina* (Drahomira) *perfidorum uſurpans ſupellectilem ſocrus ſuæ cunctam, cum anteſatis Tyrannis regnare cepit, ditans eos propinquosque eorum ac familiam opibus eximiis &c.*

Pulkava Mſ. (*e*) Id primum aſſerentem deprehendo Pulkavam: *Drahomir autem*, inquit, *uxor ſua nutriebat ſecundum filium Boleslaum.* Vetuſtiores omnes S. Ludmillæ quoque educandum traditum fuiſſe docent. Niſi fortaſſis dicere libet: Drahomiram contra procerum ſententiam vi Boleslaum Ludmillæ eripuiſſe, atque nutriiſſe. Quanquam cum Ludmilla pauciſſimo tempore hanc tutelam geſſerit, haud incongrue dici poſſit: tam Boleslaum quam Wenceslaum a Drahomira enutritum.

(*f*)

(*f*) Wenceslaum Budecio ad solium vocatum fuisse supra ex Christanno vidimus, ut eo remissus fuisset, non modo nuspiam in veteribus indicium est, sed plane adversa ex ejus biographis leguntur. Ceterum hæc multo posterius gesta fuisse ex dictis anni superioris liquet. Nec vero credibile tum Wenceslaum nonnisi octennem fuisse, quemadmodum ex calculo Hagecii asserit Balbinus, res enim, quas statim sub initium occupati paterni solii ab eo gestas memorat Anonymus (qui ejus vitam jussu Imperatoris Ottonis II. scripserat) majorem ætatem exposcunt. *Balbin. Dec. 1. l. 7. c. 14.*

(*g*) Nolim impugnare hanc inter ceteras etiam causam fuisse, at ambitionem cunprimis obtendit supra laudatus Christannus: *Mater*, inquit, *supra dictorum puerorum - - - diabolo instigante totum venenosi pectoris animum in famulam Dei Ludmilam accendit, malisque suspicionibus arctatur, æstimans ob educationem juvenum, quos socrui suæ cunctus commiserat populus educandos, se Regno, rebusque privari, illamque sibi dominatum nanciscituram universum, initoque perversissimo cum viris Belial consilio, toto annisu eam extinguere molitur.* Quod etiam postea perfecit. Prævideratautem hæc Wenceslaus puer per cœleste visum, & clientibus suis vatidico ore prædixit, quemadmodum id non modo in vita jussu Ottonis II. scripta, sed & Christanno, posterioribusque omnibus legitur.

PRÆTERMISSA.

Tertius is annus est, quo Hungari per Germaniam longe lateque grassati omnia igne & ferro pessumdabant. Hermannus Contractus ad hunc annum rursum scribit: *Hungarii pervasa, ut ceperant, Alamannia Basileam urbem destruunt, indeque Alsatia vastata Lotharii regnum* (id est Lotharingiam) *multa mala facientes, invadunt.* Chronicon Augiense vero: *Ungari per Alemanniam in Alsatiam, & usque ad fines Lotharii regni venerunt.* Quæ pene eadem verba refert Continuator Reginonis, Marianus Scotus, & Excerpta e diversis Chronicis apud Bouquet. In Burgundiam etiam Hungaros pervasisse docet Chronicon S. Medardi Suessionensis: *Hungari Europam, Franciam, & Burgundiam vastaverunt*, de qua vastatione etiam Adamus Bremensis: *Ungari non solum nostram Saxoniam, verum circa Rhenum, aliasque trans Rhenum provincias, Lotharingiam & Franciam demoliti sunt.* Nempe inrestina civiliaque inter Principes Germaniæ his annis enata bella Hungaros seu prædæ spe, seu invitatione

Apud Canis. ad h. a.

Apud Bouquet T. VIII. p. 101.

Acherii Spicil. T. II. p. 785. Adam. Brem. hist. Eccles. c. 47.

ne & pacto ſocietatis fœdere tam longinque patriis ſedibus exciverunt. Luit vero hoc ipſo anno conſpirationis ſuæ cum Ungaris initæ pœnam tam Erchanger fraterque ejus Bertholdus, quam Arnulphus Bajoariæ Dux. Nam ut narrat Hermannus Contractus: *Erchanger, qui Ducatum Alemanniæ invaſerat, cum fratre Bertholdo Regi Cunrado rebellantes, eique tandem ad deditionem ſpe pactionis venientes, ipſo jubente apud villam Ædingam decollantur XII. Kalend. Februarii.* Quod luculentius narrat Eckhardus Junior: *Rex primo colloquium publicum Moguntiæ, poſtea generale edixit concilium, ubi tribus illis (Erchangero, Bertholdo, Luitfrido) lege abjuratis & præſcriptis, prædiisque eorum in fiſcum redactis, majeſtatis rei capitis damnati ſunt.* Quam juſtitiæ ſeveritatem cum merito Arnulphus metueret, ſupplicii paris timore ſolum vertit, ſic enim Luitprandus: *Arnoldus, nimio Conradi terrore coactus, cum uxore & filiis ad Hungaros fugit.* Et Sigebertus Gemblacenſis improprio anno: *Solus Arnoldus ad Hungaros cum uxore & filiis fugiens usque ad mortem regis* (Conradi) *ibi manſit.* Atque hæc ſunt, quæ de finitimis moribus cognita ſunt: de gentis enim noſtræ Moravorumque geſtis hoc anno ubivis in veteribus Chronicis altum ſilentium. Stredovskio nihilominus commemorabilis hic annus eſt a novo Moraviæ Marchione Burchardo. Poſtquam enim ille narraſſet Drahomiram Principatum Bohemiæ invaſiſſe, ſubjungit: *Id Moravi audientes, & parum ſubſidii, ſi qua de improviſo ingrueret vis, expectari poſſe, haud perperam judicantes, Bohemicum Imperium ſunt deteſtati. Ideo ſuadente potiſſimum Joanne Epiſcopo, qui religionem in Bohemia peſſumdari dolenter ferebat, ultro fidei ac tutelæ Cæſaris Conradi, tum Bavariam in ordinem redigentis, ſe ſe per legatos ſalva libertate avita ſubmittunt, orantes, ut moderandos Moravici Regni arriperet faſces, quem unicum communibus ſuffragiis pro ſupremo rerum arbitro populares exoptarent. Annuit Moravorum poſtulatis Cæſar, & ſuſcipiens moderamen Regni eidem reliquit, qui ſuo nomine rempublicam curaret, Burghardum Comitem Buchhornenſem, quem etiam Moraviæ nominavit Marchionem.* Principium hujus univerſi commenti depromſit Stredovskius ex ſummo illo nugatore Abrahamo Hoſemanno, qui omnium hiſtoricorum jam calculis mille impoſturarum damnatus eſt. Hic *in Pompa regii ingreſſus in ſuperiorem Luſatiam in præfatione* ait: Hat Kaiſer Conradus, der erſte den ſtreitbaren Kriegshelden Graf Burkharden von Buchhorn auf den Reichstage zu Regenſpurg zu einem Markgrafen in Mähren und Lauſitz gemacht, wie in der alten Mähriſchen Chronica c. 181. fol. 265. Ita nempe ſycophanta hic paſſim cerebro ſuo effictis libris fidem verbis ſuis conciliare, & univerſo literario orbi imponere conatus,

Apud Caniſ. ad h. a.

Ekkard. de caſibus Monaſt. S. Galli c. 1. p. 18.

Luitprand. l. 2. c. 7.

Gemblac. ad An. 914.

Stredovsky l. 5. c. 2. p. 472.

tus, adeo ut Peſſinam quoque in hunc errorem traxerit. Quanquam is merito fateatur ſe hoc Moraviæ vetus Chronicon nusquam reperire potuiſſe. Sic verò ille: *Quale autem ſit vetus illud Moraviæ Chronicon, cujus hic mentionem facit Hoſmannus, nullam ejus copiam adhibita ſit diligenti inquiſitione habere, ſed neque de illo quicquam reſcire vel audire, ne quidem in præcipuis per Bohemiam & Moraviam Bibliothecis potui.* Nempe necdum Peſſinæ ævo Hoſemanni impoſturæ, ut hodie, cognitæ erant. *Peſſina Mart. Morav. l. 3. c. 1. p. 228.*

ANNUS 918.

In magnum res Chriſtiana hoc Drahomiræ dominatu (a) prolapſa diſcrimen. Pagani enim diſſimulante Drahomira in confiniis urbis Pragæ multis adverſitatibus Chriſti addictos legibus adflixere, quorum interfecta mutilaque corpora inter compita, oppida, domosque paſſim reperta ſunt ſicariis clanculum ubique graſſantibus. Nec mota ſunt hujus immitis leænæ viſcera ad Chriſtianorum querelas, planctus, criminationesque, plane palam faciens ſe ſe hæc latrocinia ſi non probare, certe haud penſi facere. Contra unius ethnici noxiis manibus decem continuo Chriſtianorum ſuppliciis parentatum. (b) *Drahomiræ tyrannis adverſus Chriſtianos.*

In Polonia per id tempus demortuum Leſtkonem IV. in principatu excepit filius Zemanislaus, (c) cui uxor nomine Gorka filium oculis captum peperit. Erat ſorte duodecimus ab ortu dies, isque luſtricus, quo pater ad genitales menſas turbam procerum, nobilitatisque invitarat. Cum ex inſperato inter epulas nunciatur puerum oculorum lumen accepiſſe. Ilicet exſiliit gaudio pater, illatumque triclinio puerum in orbem per convivas circumtulit ſingulis ex ordi- *Miesko Pol. Dux coecus naſcitur.*

ne ſpectandum ſuaviandumque præbens. Nomen vero non præter matris patrisque tripudia infanti impoſitum Mieſko. (d)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXVIII.

JOANNIS X. PAPÆ 5. LUDOVICI III. IMP. 19. SPITIGNÆI 24. TUTONIS *Ep. Rat.* 25.

(a) Manuſcriptum de Monetis Ducum & Regum Bohemiæ etiam ſub dominatu Drahomiræ quendam numum ejus imagine inſignitum excuſum fuiſſe perhibet. Verba Anonymi ſunt: *Bracteatus primæ magnitudinis* mit einer ſitzenden Bildnuß in jeder Hand einen Zweig haltend, entweder die Andacht der Wittwen, oder ihre Vormundſchaft vorſtellend, welche ſie mit Conſens der Groſſen des Reichs geführet, als wollte ſie ſagen: ſie habe 2 Söhne mittels dieſer zweyen Zweigen aus der Przmiſlaiſchen Familie. Verum quod ante de Wratislai moneta dictum, idem de præſente Drahomiræ ſentiendum, cum omnibus indiciis careat. Bracteatum ejusmodi nuſpiam mihi hactenus videre licuit, at ſolidum ejusdem pene figuræ ſpectare licet in Tomo VII. Reliquiarum manuſcriptorum Ludevigii Tab. VI. num. 141. quem ut Lector coram ſpectare poſſit, eum Tabula I. num. V. exhibemus. Qui ſi fortaſſis compilatori monetarum noſtrarum cognitus fuiſſet, majus is argumentum habuiſſet eum Drahomiræ vindicandi, quandoquidem averſa fronte ſpectantur duo juvenes coloſſum, ſeu fortaſſis rectius imperialem baculum haſtamve, tenentes, quos pro filiis Wenceslao & Boleslao explicare potuiſſet.

Dubrav. (b) Eadem etiam habet Dubravius. In veteribus tamen hujus crudelitatis memoria non habetur. Exorſa vero eſt Drahomira, ut iſti ſcribunt, tyrannidem ſuam ab odio adverſus Divam Ludmillam, quæ poſtquam Drahomiræ machinatione fuiſſet tutela ſua ipſaque vita exuta, tandem de percuſſoribus ſcribit Chriſtannus: *Regnaverunt in tota provincia Bohemorum velut magnifici Duces, ſed non ex Deo.* Quæ ultima verba num fortaſſis ad eam crudelitatem reſpiciant, obſcurum; in vitæ ſcriptoribus nihil proditum reperio.

(c)

(*c*) Kadlubecius primus Poloniæ ſcriptor eum vocat *Zemonysl*, alii ſcriptores Poloni *Zemovitum*. *Hiſt. Pol. l. 2. epiſt. 10.*

(*d*) Aliter hæc narrat mox laudatus Kadlubecius: *De Zemomysl autem ille famoſus Mieſzko cæcus gignitur, cæcus ſeptennio educatur, qui anni exitu ſeptimi divinitus illuſtratur, viſuque recepto ætatem vicit induſtria. Sed tantiſper lumine caſſus ratione cæcutire viſus eſt, quod ſeptem ſcortis pellicum, quas conjuges nuncupabat, nocturnales variare vices conſueverat. His tandem repudiatis de Bohemia quandam, Daubrowkam nomine, matrimonio copulat, cujus felici conſortio glacies infidelitatis diſſolvitur, & noſtrorum labruſca gentilium in veræ vitis palmites transmigrat.* Eadem de ſeptennio narrat Dlugoſſus, mire tamen viſus in tonſurationis ejus ſolemnitate recepti circumſtantias amplificat. Paſſim denique ſcriptores Poloni ejus nativitatem ſerius ad annum 931. reponunt. *Ibid.* *Dlugoſſ. hiſt. Pol. l. 1. p. 86*

PRÆTERMISSA.

Ante anni hujus exitum X. Kalendas Januarii, ſeu ut Hepidanus loquitur: *Ante Natale Domini* mortuum fuiſſe Conradum Germaniæ Regem prodit Necrologium Fuldenſe, Hermannus Contractus, Marianus Scotus, aliique. Is quanquam cum Henrico Saxoniæ Duce Ottonis filio vivens aliquoties prælialus ſit, moriturus tamen haud alium, quam illum, etiam fratre prætermiſſo, Regio nomine dignum deputavit. Rem narrat Ekkehardus junior Monachus S. Galli: *Conradus virili prole carens, Liberhardum autem fratrem habens, ad regni gubernacula, ſi ſuperviveret, aſpirantem, ſenſit eum nec regno virtute quidem habilem, nec populo moribus acceptum, rogantemque, cum ipſe jam ſeneſceret, ut ſe populo commendaret, crebro fruſtravit. Incipiens autem mori clam loquitur fratri: „ Video, „ ait, germane mi, & ſemper vidi te a populo nolle accipi, ideoque quod ſæpe „ rogaras, ne te contriſtarem, tacite diſtuli. Conſilium autem meum ſi nunc „ feceris, ut in Deum ſpero, inglorioſus non eris. Eſt in Saxonia, cui nemi- „ nem in regno æquiparem, ſcio, Heinricus quippe Comes Mathilda conjuge „ clarus. Sumens ergo coronam & ſceptrum nocte dieque accelera ad ipſum, „ teque & regnum ei meis verbis in manus dato, & mei vitæ memores fore „ umbos rogato. „ Fecit igitur, ut Rex juſſerat, veniensque ſecretum Comitis petiit alloquium. Eliminatis omnibus ipſe oſtium clauſit, chlamydeque exuta ad pedes viro corruens nimis ſtupenti coronam & ſceptrum detegit, & quæ juſſus eſt, enarrat. Cui ille inter cætera, ſi fecum in fide, qua dixerat, ſentire vellet,* *Hepidan. ad ann. a. Apud Leibnit. T. III. p. 763. In caſibus Monaſt. S. Galli.*

om-

omnia, quæ tanto nuncio decerent, facturum spoponderat. Et ne per longas ambages vadam, fit colloquium publicum, Heinricus Saxonum & Francorum consensu elevatur & ungitur in Regnum. Quæ tamen sequente anno primum accidere. Sub hujus vero Henrici imperio rursum reviviscet aliquantum historia patria, quæ cum Regni Moravici everſione pene intermortua erat. Ceterum Conrado huic Germaniæ Regi subjectos fuisse Boemos præter veterum fidem aliorumque recentiorum opinionem contendit Goldastus: nempe pene rei nulli alteri, quam novorum atque novorum vinculorum genti nostræ injiciendorum fabricæ intentus. Sic vero ille: *Conrado I. Regi, superioris Ludovici IV. successori & agnato Bohemos fuisse subjectos patet ex rescripto quodam Henrici I. Regis ad Arnulphum Bavariæ Ducem exarato apud Aventinum.* Sed haud solidum Goldasto in Aventino fulcrum, quem tot res vel in historia nostra præter frontem effinxisse, non uno loco superioribus annis ostendimus. Quin hoc decretum Henrici I. ad Arnulphum exaratum solertissime in Aventino quæsitum nuspiam reperio. Colloquium Henrici cum Arnulpho Duce omnino libro quarto deprehendo, in quo author hic fingit ab Henrico pacis conciliandæ causa Arnulpho concessum fuisse *Bajoariæ regnum locupletissimum, Nariscos, Allemannos, Chamabos, Boethos, Sudinos, Ilisos, Marcomannos, Quados, Vindelicos, Noricos, Charinos, Venedos, Carnos, Pannonios.* Vocabula populorum partim exstincta, partim nunquam sub regno Germaniæ comprehensa, partim ejusmodi gentium, quæ his regionum confiniis ante plura sæcula emigrarunt, partim denique ipsiusmet Aventini cerebro (ut de Ilisis, per quos Silesios eum intellexisse palam est) excogitata sunt. Quæ inter gentium nomina cum Goldastus *Marcomannos*, nomen alias genti nostræ dari solitum, deprehendit, procul dubio hanc argumentationem de Boemorum subjectione procudit. Quo verosimillime Goldasti, & supra memorato Hosemanni loco Pessina deceptus etiam Moravos se se Conradi imperio submisisse, in fidem & clientelam tradidisse scribit.

Goldast. de Reg. Boh. l. 2. c. 2. §. 33.

Avent. l. 4. p. 292.

Pessina Mart. Morav. l. 3. c. 1. p. 228.

ANNUS 919.

Sic cruentam semel scenam Drahomira ingressa, aliam mox tragœdiam adornat: sitibunda nempe Christiani sanguinis ad se Praga quosque evocat, quos in cultu ri-

rituque ethnico obstinatiores noverat. Cum illis capto clanculum consilio statuit: seu hunc seu certe sequentem annum Christianis postremum in Bohemia futurum, non jam ex occulto sæva, sed posita larva apertum Christo bellum indicens. Creaverat per eos dies Drahomira Pragæ Prætorem Palhogum hominem natura sævum immitemque, & cui inde a puero Christianum nomen instar mortis erat, prorsus patella dignum operculum. (a) Is truculentus tyrannus, ut Drahomiræ responderet votis, præturam suam a Christianorum persecutione exorsus est. Nam quadam nocte cum sexcentos omni armorum genere instructos domi suæ sub signis haberet, eos sine tumultu, & ab diversis urbis regionibus vicisque in Christianorum ædes inrumpere, spoliatos rebus omnibus neci dare præcepit.

Drahomira execratur Christianos.

Palhogus Prætor insidias struis Christianis.

Hæc quamquam occultissime administrarentur, tanto tamen silentio geri non poterant, quin Christiani multis indiciis odorarentur parari sibi insidias. Re penitus explorata circiter quadringenti in quandam veteris fori domum cum armis occultissime se conjiciunt, quorsum tandem Prætorianus furor evasurus esset, cum silentio e proximo speculantes. Secunda circiter noctis vigilia erumpunt e Prætoriana domo sceleste ethnicorum capita, & prope sitas Christianorum ædes expugnare atque diripere occipiunt. Id Christiani per suas edocti excubias facta manu acriter prætorianos invadunt, reque inexspectata perculsos ædes omittere, conglobatosque circa signa pari marte decertare compellunt. Ibi collato pede per mediæ noctis tenebras, raris tantum

funalium ignibus interlucentibus, cruentiſſime inter voci-
ferationes, armorumque ſtrepitus dimicatum, civibus urbis
aliis in auxilium ethnicorum manipulo, aliis Chriſtianos ſuf-
fultum accurrentibus. Nec ante hunc diem rubentibus
ſanguine vicis atque ædibus ſimile quid funeſtum in urbe vi-
ſum. Evenit tamen propitii Numinis clementia, ut Chri-
ſtiani haud ſane incruenta victoria potirentur, cæſis inter
vicos domosque ethnicis facile quadringentis, totidem pene
ſuorum amiſſis. Quibus tamen viciſſe ſat fuit. (b) Orto
jam ſole mœſtiſſima ubivis rerum viſa facies: hinc opertum
cadaveribus forum, viæque humano ſanguine lubricæ, hinc
matrum familias, uxorum, proliumque ejulatus corporum
funera efferentium. Drahomira audita clade tantummodo
eventum percontari ex nunciis: utrane videlicet parte plu-
res paucioresve cecidiſſent? cum cæſorum pene æqualem
numerum intellexiſſet, „ ſalvusne, quærit, Prætor eſt Pal-
„ hogus? ſalvus eſt, inquiunt, manibus Chriſtianorum elap-
„ ſus poſtes domus ſuæ adhuc fortuito attigit. „ Ad quæ
veſana mulier, „ ſat, inquit, nobis ſit, clade hac Chriſtia-
„ norum numerum ad pauciores redactum. Jacturam qua-
„ lem qualem demum noſtrorum æquo ferre animo oblivio-
„ nique tradere par eſt. „ At vero ethnici jam cautius
conſilia tegere edocti Chriſtianos nihil tale ſuſpicantes me-
tuentesque haud multo poſt concubia nocte adorti, trecen-
tos eorum plus minus jugulaverunt. (c)

Victoria Chriſtianorum adverſus ethnicos.

Ethnici inopinatos opprimunt Chriſtianos.

Inflata ea victoriæ oſtentatione Drahomira confeſtim
in regionem Zatecenſem ad Brzoslai patris buſta carpento
ſe

se proripit, (d) ibi caput suum per patrios manes stygiis suppliciis devovet, ni propediem omnes Christianos, ne quidem venia filio Wenceslao data, exstinxerit. Reducem eam inter itineris moras proclamasse ferunt: „ Primum hoc „ Drahomiræ jusjurandum esto: quodsi secundo se sacramen- „ to obstrinxerit, ædepol perpaucos Christianorum superstites „ videre fas sit, si tertio ad tumulum patris accessero (inquit) „ tum actum omnes putent de Christiano nomine, nec enim „ ulli eorum in hoc Principatu vitali aura frui concessum „ esto. Hanc omnium acceptissimam Marti Bellonæque „ victimam futuram arbitror. „ *Drahomiræ triplex jusjurandum.*

His atque similibus exitialibus furiis cum agitatur immanissima mulier, rursum Palhogo Prætori in mandatis dat, ut Christum profitentes inopinos opprimat, neminique illorum vitam concedat. Herilium flagitiorum administer seu imprudentia, seu præteritæ cladis fiducia consilium istud non tam secreto ut prius, imo propalam tractare ausus, coacta quanta potuit ethnicorum multitudine diem proximam lanienæ Christianorum destinat. Christiani haud inscii, quod hic armorum apparatus sua spectet jugula, ad vim repellendam se omni industria apparant. Jamque aperto Marte in Pragensi foro (e) tanta pugnatum pertinacia, ut in arena quingenta ex utraque parte corpora sternerentur. Christianorum manus, quanquam numero multo impar esset, tamen cœli beneficio rursum laureas ex hostibus messuit, (f) quarum ea maxime luculenta fuit, quod infensissimus hostis Palhogus domi suæ cælus, inglorieque tumulatus sit. (g) *Pugna inter Christianos & ethnicos.* *Palhogus Prætor cæsus.*

Hac ſuorum ſtrage efferata magis magisque impotens animi ſui femina inter lacrimas ejulatusque ob amiſſum Prætorem inſanienti ſimilis extemplo ad buſta genitoris ſui evolat, excitatis ſuper ea ignibus Deos vario victimæ genere in vindictam provocat. Eodem percita furore Wiſſehradum redux incendio deleri jubet ædes ſacras, Teynenſem nempe, tum Divi Georgii (b) alteramque ſancto Joanni ſacram inferiori caſtri Pragenſis loco conditam. (i) Alia templa ſeu a fundamentis everti, ſeu pariete aditus ad ea claudi jubet. Non poterant vero non execranda matris facinora Wenceslai filii animum ad ſummum dejicere mœrorem. Contra quæ haud præſidium opportunius validiusque cogitabat, quam ſpem optimam in ſupremi Numinis protectione reponere, id itaque aſſiduo deprecari, ut confringeret potentias arcuum, infeſtumque Chriſtianis matris animum ad manſuetudinem & miſericordiam inflecteret.

Drahomira templa evertit incenditque.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXIX.

JOANNIS X. PAPÆ 6. HENRICI AUCUPIS 1.

SPITIGNÆI 25. TUTONIS *Epiſ. Rat.* 26.

(a) Primus omnium, quod conſtat, hanc univerſam præſentis anni hiſtoriam cum prætore ſuo protulit Dubravius. Hagecio etiam prætori iſti nomen Palhog invenire placuit.

Dubrav. l. 4.

Cruger. ad 3. April.

(b) Hæc tam certa deputavit Crugerius, quod eam Chriſtianorum victoriam (de qua tamen usque ad ipſum ſæculum XVI. in omnibus antiquioribus ſilentium) ad III. nonas Aprilis in ſuis ſacris Pulveribus defixerit. Quo quidem loco ad Hagecii calculum provocat, qua ta-

tamen ſuppuratione hæc eruatur dies, haud video. Ceterum primus harum pugnarum prolator Dubravius paulo aliter iſta narrat, quæ tamen, quoniam ex antiquitate petita non ſunt, illuſtrare prætermittimus.

(c) Multo aliter hæc narrat Dubravius, aitque Drahomiræ juſſu arma omnia a Chriſtianis depoſita fuiſſe, atque ita inermes oppreſſos. Hunc vero Chriſtianorum ſtragem rurſum Crugerius ad IV. Idus Aprilis ſeu X. illius menſis affixit. Peſſima etiam, nescio, quos Comites Biſovæos, Wrtbæos, Kolowratæos, item Kolodogios & Rziczanios e Chriſtianorum factione, quemadmodum ex altera Wrſſovecios, Aprugnæos, & Bivogii ſanguine cretos adducit. Sed quod ſit Clariſſimi Viri Continuatoris operis Bollandiani, qui S. Wenceslai vitam diluci-davit, de his judicium, verbis illius referre libet; hic poſtquam brevem Æneæ Silvii locum de crudelitate Drahomiræ generatim adverſus Chriſtianos exercita adduxiſſet, ſubjungit: *Ego quoque dubitare nequeo, quin ejusmodi mulieris, qualis erat Dragomira, regimen impotens, ac cruentum fuerit in Chriſtianos, quos ſuperſtitioni ſuæ ceterisque ſceleribus adverſarios noverat, oderatque; ut tamen iſta ejusdem peculiaria geſta, quæ Hagecius, Dubraviusque narrant, pro veris non exaggeratis ſine ſcrupulo admittam, vellem, ut ea antiquioribus monumentis probarentur.*

Cruger. ad 3. April

Peſſima Phoſph. ſept. Rad. 3.

Acta SS. ad 28. Sept. n. 64.

(d) Hæc omnia a poſterioribus excogitata fuiſſe, vel id argumento eſt, quod Drahomira neque Comitis Boemi filia, neque ex Satecenſi regione orta fuerit, ut alias luculenter oſtendimus. Jurisjurandi autem iſtius etiam primus prolator eſt Dubravius.

(e) Ad hunc locum noſter P. Victorinus: *Hæc prælia in foro ſenioris Pragæ geſta, vetus Curia Pragenſis (vulgo* Stara Rychta*) parietibus extimis hodieque depicta exhibet.* Sed nec hæc ipſa pictura Hagecii ævo antiquior.

P. Victorinus MS.

(f) Et iſti pugnæ Crugerius certam diem, nempe octavam Auguſti deſtinavit, quo fonte, ignoro.

Cruger. ad 3. April. p. 14.

(g) Ante S. Ludmillæ martyrium, ut jam ſupra innui, nihil de ejusmodi ſanguinis effuſione in ulla vita S. Wenceslai legitur, ſed quomodo ex generatim Vitæ S. Wenceslai narratis ſæculorum curſu hæc creverit hiſtoria, jam videre libet. Chriſtannus igitur poſtquam nar-

raſſet: quod S. Wenceslaus cæſa avia ſua matris Drahomiræ procerumque jugum excuſſerit, atque in utrosque verbis acerbius invectus ſit, ſubjungit: *Orta eſt poſtmodum pro ejusdem rei cauſa, variisque rebus aliis diſſidio pregrandis inter ipſos primarios, qui lateri Ducis religioſi inhærebant, & inter reliquos, qui partes nequiſſimas domine impie juvabant; diriſique ſunt conſiliarii invicem & primates terre, diſcordiarumque inter eos ſpine pullulaverunt ad ſanguinis usque effuſionem. Verum pars juſtorum, licet minima foret, prevaluit tamen adverſus partem multimodam, ut ſemper, iniquorum.* Hem argumentum! unde ſcenam poſteriores adornarunt. Iſti ſcenæ prælu-

Mſ Bibl. Metrop.

Dalemil.c.27. dium fecit Dalemilus, dum ita verſificat:

Drahomiꝛz gie ſie pohanſtwa ploditi,
A wſſeczko zakowſtwo z zemie puditi,
A kdez zaka neb Krzeſtiana uzrzieſſe,
Ziwa gemu byti nelze bieſſe.
Kromu gy gegie Sloba przipudy,
Ze Pohany na Krzieſtiany wzbudi.
Proſtrzed Prahy taky boy wzlechu,
Az krwawi potoczy teczlechu.
Sobu Strranu mnoho zbitych lezieſſe
A ona to rada widieſſe.
Kzkucz, na to przegi ſmrti mym Pohanom,
Aby ſie tiem umenſſilo mocz Krzieſtanom.

Id eſt: *Drahomira cæpit ethnicismum multiplicare, & omne magiſterium Ducatu exigere. Ubi literatum aut Chriſtianum hominum deprehendit, ei vitam non conceſſit. Ad id eam iracundia perduxit, quod ethnicos adverſus Chriſtianos irritaverit. In medio Pragæ prælium geſſerunt, adeo ut ſanguinei torrentes decurrerent. Ex utraque parte multi cæſi jacuerunt, & id Drahomira libenter vidit. Dicens: ideo æque fero mortem meorum paganorum, modo Chriſtianorum numerus imminutus ſit.* E quibus Dalemili verbis poſteriores tria prælia, & nominum, locorum, rerumque circumſtantiis adjectis hanc pene immenſam hujus anni hiſtoriam conflarunt.

(*b*) In horum templorum exuſtione Dubravium quoque ſecutus eſt Hagecius ſilentibus veterioribus omnibus, qui id ſolum dicunt: Drahomiram ægre tuliſſe, ac pati noluiſſe, ut S. Wenceslaus tanroopere afficeretur Clericis, graviusque ſuorum in vitia animadverteret, quare

re Drahomiræ & ejus administris ita exosum factum Clerum, ut pene omnes gratiis ingratiis Bohemia exturbarent, imo etiam mortem inferre attentarent. Verba Christanni sunt: *Genitrix ipsius perfida cum quibusdam sibi assentientibus filiis Belial invidentes actibus illius, studiisque sanctissimis* (Wenceslai) *inito invicem consilio dixerunt*: „ *Heu quid agimus, quove nos verte-* „ *mus? Princeps siquidem noster, qui a nobis in regni fastigio sublimatus est,* „ *perversus a Clericis, & ceu Monachus factus per abruptam & assuetam vitio-* „ *rum nostrorum semitam nos gradi non sinit. Et si hoc nunc in pueritia vel* „ *adolescentia gerit, quid putas facturus est in juventute vel senectu?* „ *Ab illo ergo die nimis importuni ei esse cœperunt - - - Siquidem & Clericos ejus, & quosdam religiosos, quorum doctrina ipse pascebatur, insidiis assiduis impii appetentes trucidare moliti sunt, minisque maximis terruerunt, quod nemo illorum ad eum accessum quiret habere.* Primus Joannes de Novo-Foro Episcopus Litomislienſis & Olomucensis ait ab Drahomira valvas Ecclesiarum fuisse obstructas minime tamen combustas. Sic vero ille: Drahomira *exultabat in rebus pessimis, Christi nomen per omnia quærens exterminare, cultumque idolorum, quibus ipsa deserviebat, iterato propagare: nam valvas Ecclesiarum obstruens Clericos & sacerdotes de patria pepulit, sub capitali sententia inhibens, ne quis illorum in aula amplius compareret, aut sancto Duci colloquia auderet. Si quis vero hanc sententiam amore Christi ac tanti Principis parvipendens ipsum videre volebat, fustibus graviter maceratus ad exteras propellebatur nationes omni substantia privatus.* Quæ quantum exaggerata sint ex superius Christanni narratis verbis liquet. Porro hos Bohemia exturbatos Clericos ad Joannem Episcopum Moraviæ confugisse, ab eodemque liberaliter exceptos, author est Stredovskius passim res ejusmodi sine tabulis scribens. *Mſ.* *Stredovsky l. 5 c. 2. p. 474.*

(*i*) Hanc Ecclesiam narratis Dubravii adjecit Hagecius, Balbinus vero etiam Boleslavienſem apposuit. Peslina hoc sacellum vicinum fuisse dicit Ecclesiæ S. Georgii, sed nuspiam de eo in veteribus memoria. Capellæ S. Joannis Evangelistæ in castro Pragensi meminit quidem Marignola, sed eam ab ipso S. Wenceslao ædificatam intraque muros Ecclesiæ S. Viti fuisse comprehensam docet, in qua ille postea Boleslavia Pragam translatus tumulatus est, quæ itaque posterius condita. Ceterum cum Hagecius dicat *inferiori castri Pragensis loco* hanc Ecclesiam fuisse conditam, haud aliam is intellexerit, quam templum S. Joannis Baptistæ sub rupe, quod hodiedum Micro Pragæ infra castrum Pragense perstat. Quod posterius conditum fuisse suo loco ostendemus. *Balbin. Epit. p. 19. Peſſina Rad. 3. p. 136.* *Marignolæ Mſ.*

Stredovsky l. 5. c. 2. mus. Stredovskius tamen inquit hoc templum circa annum 913. a Wratislao I. exstructum, ac demum a Joanne Podivinensi Episcopo consecratum fuisse. Sed nos præter nuda verba authoritatem veterem flagitamus.

PRÆTERMISSA.

I. Henricum (*Aucupis* nomine posterius notum) Germaniæ Principibus a morituro Conrado commendatum hoc anno in Regem Germaniæ electum, coronatumque esse docent vetustiora quæque Chronica. Hermannus Contractus: *Heinricus Comes natione Saxo in regem electus sine regali unctione regnavit annis octodecim.* Quem annum primum imperii eidem etiam tribuit Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Chronicon Saxonicum, Annales Hildeshemenses aliique. Fridisleri Regem electum esse prodit Witichindus: *Eberhardus* (frater defuncti Conradi Regis) *congregatis Principibus & natu majoribus exercitus Francorum, in loco, qui dicitur Fridisleri, designavit eum Regem coram omni populo Francorum atque Saxonum.* Mirum Glafeysium non rursum suffragium Ducis Bohemiæ, Bohemorumque in electione Henrici hujus expoposcisse. A quibus autem Henricus electus sit, explicat Auctor supplementi: *Henricus Dux*, inquit, *consensu Francorum, Alemannorum, Bavarorum, Thuringorum, & Saxonum Rex eligitur.* Ego tamen Witichindo assentiri malim, qui tam Conradum præcessorem, quam Henricum a solis Francis & Saxonibus electum scribit. De Bavaris certe suspicionem movet Luitprandus, qui hoc anno Arnulphum ab exilio & Hungaris reducem exstimulatum ait a suis concivibus ad suscipiendum Regnum. Verba Luitprandi sunt: *Hoc eodem tempore Arnoldus* (Arnulphus) *cum uxore & filiis ab Ungaria rediens honorifice a Bajoariis, atque ab orientalibus suscipitur Francis, neque enim solum suscipitur, sed ut Rex fiat, ab eis vehementer expoſcitur.* Quæ pene verba repetit Annalista Saxo ad præsentem annum. Quod populi suffragium audaciam ingerebat Arnulpho, ut imperium animo agitare, & pluribus proceribus faces ejus ambitioni admoventibus Henrico statim sub principium resistere auderet, procul dubio Hungarorum suorum præsidio innixus, præsertim si vera sunt, quæ Vitus Prior Ebersbergensis l. 3. c. 10. prodit: Arnulphum habuisse uxorem Regis Hungariæ Agnetem nomine, sororem scilicet Beatricis uxoris Wernheri fratris sui & Comitis de Scheyern. Porro quanquam hactenus annos Imperatorum numeraverimus, iis tamen prætermissis

Apud Canis. ad h. a.

Witichindus l. 2. p. 637.

Ad An. 920. p. 74.

Luitprand. l. 2. c. 7.

Annalista Saxo ad An. 919.

Oefelius T. II. p. 709.

missis jam ab Henrici Aucupis Regis Germaniæ imperio supputationem auspicamur, non quod Lectori persuasum velimus eum Imperatoris nomen gessisse, sed quod passim ab Italiæ tyrannis imperium occupatum fuerit, quorum res gestæ quanto minus cum historia patria connexionem quandam habent, tanto notitia annorum Regni Henrici magis ad illustrandos Annales nostros necessaria. Ordimur autem regni illius annos ab ingressu regni & occupati solii, quamquam non nescimus eos ab aliis ab anno sequente primum supputari.

II. Passim Hungariæ Chronographi hoc & sequentibus annis Ungaros quietos se se intra limites suos continuisse affirmant. At certum est ex vetustissimis, coævisque Galliæ scriptoribus Hungaros hoc anno non modo in Lotharingiam, sed Gallias quoque excurrisse, imo partem etiam Italiæ vastasse. Id lamentatur Gorzienſis Monachus in translatione S. Gorgonii Martyris, & Adso Abbas Dervensis in libello de translatione S. Basoli, id denique his verbis ad præsentem annum recenset Frodoardus in Chronico: *Hungari Italiam partemque Franciæ, regnum scilicet Lotharii, deprædantur.* Cujus irruptionis etiam meminit in historia sua Ecclesiæ Remensis: *Hungaris denique*, inquit, *regnum Lotharienſe deprædantibus dum Karolus proceres Francorum in auxilium sibi contra gentem ipsam convocarat, solus his præsul* (nempe Herveus Remensis) *ex omnibus Regni hujus primatibus cum suis tantum in defensione Ecclesiæ Dei regi occurrit, habens armatos secum, ceu fertur, mille quingentos.* Intactum autem ab illis mansit hoc & sequentibus annis Regnum Henrici, verosimillime, quod annua munera seu tributa eis pactus sit, seu quod vim suam potissimum in Gallias converterint, seu denique quod Arnulphum clientem in Ducatum Bajoariæ restitutum cognoscerent. *Hoc Bajoariæ*, inquit Sigismundus Calles, *Rectore aliquanta ab Hungaris quies aut icto cum Arnulpho fœdere, aut annuo tributo conservata.* Ceterum cum authores quique primo statim anno bellum Henrico ab Hungaris intentatum scribunt, decepti sunt illo Luitprandi loco: *Per idem tempus dum Conradi Regis interitum, atque Henrici in regno successionem Hungari audirent, tali se se mutuo sermone sunt aggressi: Regnum Henrici cædibus atque immensis depopulamur incendiis, non Bajoariorum, sed Saxonum ac Thuringorum terra facile depopulatur, quæ nec montibus adjuta, nec firmissimis oppidis est munita.* Sed jam advertere alii Luitprandum scriptorem exterum in his fuisse hallucinatum, motusque eos bellicos Hungarorum ad posteriores spectare annos.

Script. Rer. Gall. T. IX. p. 122. & 125.

Frodoardi Chron. ad h. a.

Idem hist. Eccles. Remens. l. 4.

Annal. Austr. l. 4. p. 240.

Luitprand. l. 2. c. 8.

Hahn. Reichshistorie in Henrico I. p. 26.

Goldaſt. Reg. Boh. l. 3. c. 14. §. 4.

III. Goldaſtus cum narraſſet donatam ab Arnulpho Boemiam Suatopluco, ſubjungit: *Quum Henricus I. Cæſar* (imo Rex tantum Germaniæ) *annis poſt XXVIII. præter propter idem tentaret, & Bohemiam Arnulpho ſeu Arnoldo Bavariæ Duci, quo æmulo & adverſario utebatur, ut cum hac ſibi gratia pacaret & conciliaret, ſubjicere vellet, Bohemi injuriam queſti ab Imperatore rurſum defecerunt, armis libertatem ſuam defendere parati.* Quo loco Goldaſtus provocat ad Aventini Annal. Boj. librum 4. p. 378. Eſt vero idem Aventini locus jam ſuperiore anno in Prætermiſſis recitatus, quem ibidem ſat ſuperque elidimus. Quibus nempe hic etiam Goldaſto adjicere libuit: Bohemos injuriam queſtos rurſum ab Henrico defeciſſe. Sane Bohemi hactenus ad Henricum nec ſocietate, nec tributi penſitatione aut alio clientelæ genere acceſſerunt, qui igitur illos ab eo defeciſſe dici poſſit, non video. Haud majoris faciendum eſt, quod ad annum jam præſentem Chronologus vernaculus Puczalka adſcripſit; *Wratislaus* (inquit patrio ſermone) *bellum geſſit contra Henricum Imperatorem, eo quod ei provinciam Miſniæ ademerit.* Cui conſentanea pene ſcribit Peſſina: Hoſtiviti tempore Miſniam a Germanis vi extortam tradens, de qua Wratislaus poſt bellum anni 919. cum Henrico amice tranſegerit. Verum narrationi huic prorſum nihil conforme in veteribus ſincerisque hiſtoriis. Nam Miſnia, quæ hoc ævo paſſim Dalemnciæ, ſeu Glomaciæ, Serbiæve nomine indigitabatur, ſemper peculiarem Slavicam rempublicam, Ducemque habuit, in eamque hactenus Germaniæ Reges præter tributum quandoque annuum nihil juris habuere. Sub Suatopluco Moraviæ magnæ Duce paruit illa quemadmodum aliæ vicinæ Slaviæ reſpublicæ ejus imperio, ut multo prius ex Ditmaro innuimus. Poſt illius mortem ſæpe bella geſſere Dalemincii cum Ottone Duce Saxoniæ Henrici hujus patre, donec Henricus annis facile ſeptem aut octo poſterius tributarios fecit, ac denique penitus dominatui ſuo ſubjecit conſtituta iſthic Miſniæ urbe atque militari præſidio. Nec enim legitimum adhuc documentum ad manus pervenit, quo teſtatum fieret Daleminciam hoc aut priore ſæculo ad Bohemiam pertinuiſſe, aut ab ea avulſam, vindicatamve fuiſſe.

In Navi Eccleſiæ ad h. a.

Peſſina Rad. 3. p. 130.

AN-

ANNUS 920.

Nihil jam crudeliſſimæ Jezabeli ad ſummam immaniſſimarum cædium deerat extra Ludmillam ſocrum ſuam, aviamque Weneeslai, ad quam de medio tollendam omnes intendit machinas ſanguinaria mulier. (a) Erant tum in Drahomiræ palatio duo Germani fratres Tuman & Kuman (b) viri oppido in Bohemia nominati, quos vulgus, quod gentilitium inſigne caput apri ferrent, paſſim *Aprugna capita* vocabat, (c) ortum enim trahebant ex Biwogii domo, qui, ut alias memoravimus, ante tria ſæcula, nempe anno decimo ſexto ſupra ſeptingenteſimum, aprum per aures captum in caſtrum Wiſſehrad humeris deportaverat. Hæc duo hominum ſcelera clam ad ſe vocat effera nurus, hortatur, obſecrat, pecuniis & ſpe præmiorum emit, ut amicitiæ ſimulatione, viſendique ſpecie Tetinium, (d) quod olim utriusque majorum ſedes erat, (e) accederent, Ludmillæque quaqua demum arte aut dolo fas eſſet, mortem inferrent. Hac auri præmiorumque fame æſtuantes ſicarii facinus in ſe alacres recipiunt, atque ante ſolis ortum jam intra Tetinenſis arcis valla conſiſtunt. Advertit illico boni genii inſtinctu Ludmilla hoſpites hos (f) in caput ſuum armatos adeſſe, quare præter moram accito Paulo Capellano ſuo vetulo omniumque fidiſſimo in mandatis dat, ut in ædicula Divi Michaelis Archangeli (g) incruentum ſacrificium litet ſupremo Numini. Ibi illa in genua procidua humili confeſſione reatus ſuos expiat, animamque inter ſacrificandum in manus

Drahomira ſubornat Tuman & Kuman.

Ludmilla præſcia mortis ſe ad viam æternitatis comparat.

Creatoris redemptorisque sui commendans, se se tanquam certo moritura, ad viam æternitatis comparat. Tum sacerrimum corpus sanguinemque Christi e manu sacerdotis devotissime accipiens pietatis officiis pro more aliquamdiu vacavit. Ex sacello redux ad hospitales epulas insidiatores admittit, atque nulla humanitatis prætermissa significatione cum eis cibum capit. (*b*)

Hospites convivio excipit.

Sublatis mensis posteaquam perditissimos cives aulicorum obsequiis diligenter commendasset, vocatis ancillulis, ceterisque id genus servitiis mercedem numerato ære persolvit, ac unamquamque, tanquam valedictura, postremum amplexata est. (*i*) Ea re confecta ad conclave suum rediit, seque totam coram Deo in preces effundens, sero tandem inter suspiria quieti dedit. Interea percussores observato conclavis ostio noctis silentio, locique solitudine audacter freti, impulsis levi negotio postibus ad eam irrumpunt. Quos cum in se impetu præcoci ruere videt, filios compellans: „ Quid filii amati, inquit, tanta vi irruitis? an non „ vos mihi magis quam Drahomiræ officiis obnoxii? an ex„ cidere memoria vestra beneficia, quibus vos pridem cu„ mulavi? domi meæ parvulos eduxi, fovique. „ At vero latrones ad verba tam mansueta surdi immisericorditer sanctam Ducem e strato in humum effundunt. Ad quos illa: „ Suspendite vim parumper, dum preces ad finem per„ ducam, „ quibus absolutis iterum ad sicarios infit: „ Id „ unum vos filios exoratos cupio: ne tam dedecorosam he„ ræ inferatis mortem, laqueoque præfocetis. En cervi-

Sicarii in conclave Ludmillæ irrumpunt.

ces,

„ ces! quas ultro præcidendas porrigo; geſtio enim pecca-
„ trix omnium maxima ſanguinem Chriſti amore profunde-
„ re. „ Sed parricidæ incepto obſtinate inſiſtebant, atque per linteum gutturi injectum hinc atque illinc in transverſum trahentes tamdiu matronam omnium honoratiſſimam toto conclavi raptant, (k) dum feminecem ad ſaxum, quod precanti ſcabelli vice ſerviebat, pertraherent; ibi Ludmillæ ſacrum caput ſic ad Saxum alliſum, ut erumpens e vulnere largus ſanguis id magna ex parte tingeret, quem hodie eo in ipſo ſaxo ſpectare licet. Si quis ea incredulitate eſt, ut fidem verbis noſtris non adhibeat, accedat enim vero Tetinium, palam hauſturus oculis, quod hic aſſerimus. (l) Sic præfocatam piiſſimam Martyrem ſarcophago repoſitam famulitium Chriſtianum duce Paulo presbytero in cemeterio Eccleſiæ S. Catharinæ adſito (m) magna pietate inter lacrymas ejulatusque tumulavit. At vero Tuman & Kuman citatis equis Wiſſehradum revecti a Drahomira exitus comperiendi avida plurimam auri argentique vim parricidii mercedem tulere. (n)

Linteo præfocant.

Lapis eius ſanguine tinctus.

Præmiantur percuſſores.

Quin uterque ab ephebis regionis Tetinenſis optime gnarus, pedem iſthic defigere, ſedemque poſthac deligere ſtatuit. Nec id ab Drahomira impetrare difficile viſum, cujus gratia principatum iſtum extemplo invaſere diviſis inter ſe montibus, ſilvis, agrisque. (o) Haud multo poſt iſthic Tuman villam poni juſſit Wranice appellatam, ab aliis Wranowska Hourka dicitur. (p) Kuman quoque ſuper edito monte ligneam domum condidit, & quoniam is ſe

Occupant Tetinium.

primum omnium WLADIKUM seu nobilem appellabat, ei domui nomen *Wladek* adhæsit, quam postea Teutones corrupte Waldek dicebant. (q) Et ab his quidem duobus fratribus originem trahunt illi, qui se hodie Wranowsſtios de Waldek scribunt, (r) qui omni tempore in hastiludiis atque bellis aprugnum in aureo campo caput pro domus suæ insigni ostentabant.

Waldekii ab iis descendunt.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXX.

JOANNIS X. PAPÆ 7. HENRICI GERM. REG. 2. SPITIGNÆI 26. TUTONIS *Ep. Rat.* 27.

(a) Præmature ad hunc annum Hagecius martyrium S. Ludmillæ reposuit. Pertinet id ad annum 927. quemadmodum eo anno in Prætermissis difficultates omnes enodabimus; ubi veriora etiam ex proximis ei ævo scriptoribus de illius Martyrio recensebimus.

(b) Varie scribuntur illorum nomina: Vita S. Ludmillæ Bibliothecæ Clementinæ S. J. vocat *Tumiam* & *Gumonem*, Christannus ex Balbini editione *Cumiam* & *Gomonem*, codex Metropolitanus *Tumiam* & *Gommonem*. Alia manuscripta *Tuniam* & *Gormonem*. Vita jussu Ottonis II. scripta nomina illorum plane prætermisit.

(c) Hæc somnia sunt scriptorum sæculi XVI. qui priora omnia tempora moribus & ritibus ævi sui metiebantur. Habemus vero vitas hactenus ineditas S. Ludmillæ sæculo XIV. & XV. scriptas, quibus, quanquam is clypeorum usus jam obtinuerit, tamen authores illarum hæc somnia minime somniarunt. Copiose autem jam Parte II. Annalium nostrorum p. 19. 163. & 147. tractavimus: clypeorum hereditariorum principium ad sæculum demum XII. rectius referri.

(d) Monachus Pirnensis vocabulo *Tetschen:* dicit locum *hunc* antiquitus dictum fuisse *Tatbin*, multorumque esse sententiam: S. Wen-

ces-

ceslaum isthic fuisse educatum. At vero *Tetschen* ubique antiquitus nominatum legitur *Dieczin*, distinguendumque a Tetinio, cujus situm jam alibi explicavimus.

(*e*) Hæc tam certa credidit Balbinus, ut asseereret: *Apparet arcem Tetin ab Hoskiis ad Bivogios, & qui ab ipsis descendebant, Hazmburgios proceres seu commutatione aliqua seu conjugio pervenisse, postea ad Principes Bohemiæ pertinuit, in eoque Borzivojus & Ludmilla anno* 905. *habiturunt.* Ego vero antiquiora documenta non reperio, quod Tetinensis regio ad Hazmburgicos & Aprugnæos, quam sæculo XV. & XVI, spectaverit. *Balb. in Auctuario I. S. Monetis*

(*f*) Non amicitiæ simulatione sed manifesta vi hæc omnia acta esse innuunt vitæ veteres S. Ludmillæ. Ea, quam e Codice Dresdensi publicavit Menkenius, plane inquit: *Qui assumentes secum exercitum magnum perrexerunt in castellum Tetyn*, quod idem innuere videtur Christanus cum ait: *Valida cum manu.* *Menken. T. III. p.* 1808.

(*g*) Hæc sacra ædes teste Christanno primum post martyrium S. Ludmillæ, atque ubi illa miraculis inclaruisset super tumulum illius a Drahomira condita fuit. Verba Christanni sunt: *Tandem rursus venenosum instaurans consilium* (Drahomira) *apparitores suos Tetbinis misit, quo venerabile corpus tumulatum jacebat, in mandatis jubens: quod domum super tumulum B. Ludmile statuerent in modum basilice, aptans ei nomen in honore B. Michaelis Archangeli, quo si deinceps inibi claruisset signum aliquod, non meritis beate Martyris, verum sanctorum, quorum pignora ibi detinerentur, deputaretur.*

(*h*) De his hospitalibus epulis nihil veteres, qui de sola vi loquuntur. Imo Dalemilus ait: S. Ludmillam de hoc consilio Drahomiræ vique sibi intentanda informatam prævie fuisse a suis clientibus & fidelibus. *Dalemil. c. 26.*

(*i*) Neç hæc leguntur in aliquo veteri. Alibi vero Christannus liberalitatem illius amoremque erga servitia prædicat.

(*k*) Verba Christanni sunt: *Funesti ergo carnifices preces ejus verbaque spernentes func gutturi ejus immisso suffocatione vitam illi abstulerunt presentem, victuram in evum cum eo, quem semper dilexerat, JEsu Christo Domino.* Su- *Mss. Metrop. Bibl.*

sce-

ſcepit autem martyrium felix Deoque devota famula Chriſti Ludmila ſeptima ſabbathi die & XVII. Cal. Octobr. prima vigilia noctis.

(*l*) Ad hunc locum noſter P. Victorinus: memorabile eſt, quod guttæ ſacri illius cruoris ex capite alliſo fuſæ lapidem ipſum ita penetrarint, ut intus & foris ſpectari poſſint. Ejusdem lapidis poſtea ſecti pars altera in Parthenone S. Georgii Pragæ ad corpus D. Ludmillæ aſſervatur, bisque in anno multitudinis venerationi exponitur. Partem alteram templum S. Catharinæ Tetini primum, mox erecta honori D. Ludmillæ ædes ſacra, ad quam anno 1698. translata eſt, accepit. Hactenus ex Bezkowskio noſter P. Victorinus. At mirum nec alliſi ſacri capitis, nec ſaxi iſtius mentionem in ulla vita S. Ludmillæ aut hiſtorico Hagecio antiquiore fieri. Apponere libet doctiſſimi Continuatoris operis Bollandiani hoc ſuper ſaxo, quod ipſe in Eccleſia S. Georgii ſpectaverat, commentationem: *Vidi ego illud ſaxum*, inquit, *hoc anno* 1753. *in prædicta Eccleſia in altari ejusdem ſanctæ retro vitrum incluſum, & rubras in eo maculas obſervavi, quæ tamen utrum ex affuſo ſanguine factæ, an ſaxo innatæ eſſent, non ſatis potui diſcernere. Ceterum, ſi ea Pragenſium traditio vera ſit, miror Chriſtannum de hiſce martyrii adjunctis nihil meminiſſe, eum tamen res ipſa id poſtularet. Nam cum Ludmilla ab eo diſerte dicatur* exemplo martyrum ſanguinem fundendo, teſtimonium Chriſto perhibere geſtiens, *rogaſſe parricidas, ut caput ſibi potius amputarent, quid eſt, cur illam ea ſaltem ſanguinis effuſione voti compotem factam eſſe non aſſerat, ſed ad aliud recurrat mox ſubdens:* Quam etiam (*Martyrii palmam*) non dubitamus eam promeruiſſe ſacra ſcriptura teſtante: Juſtus quacunque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. „ *Nulla certe alia ſilentii hujus ratio probabilior occurrit, quam quod adjuncta illa ignoraverit biographus, quæ tamen, ſi vera ſint, difficulter eum latere potuerunt.*

Bezkowsky hiſt. Bohem. c. 18.

Acta SS. ad 16. Septemb. §. 5. n. 53.

(*m*) Nihil rurſum de cemetrio S. Catharinæ veteres, qui generatim de loco ſepulturæ loquuntur, ſic vero Chriſtannus: *Poſt hæc recedentibus crudeliſſimis carnificibus ad funeris ejus officium magno cum metu & ululatu convenientes, honeſtiſſimeque cuncta, quæ ad ſepulturam fore cernebantur, peragentes, terræ glebam ejus ſanctiſſimam commenduavere.* Et dein narrat prodigiis ad hunc tumulum factis mandato Drahomiræ ſuper ejus ſepulchrum excitatam fuiſſe domum in modum Baſilicæ, honori S. Michaelis Archangeli conſecratam, quod num in cemetrio S. Catharinæ fieri potuerit, iis diſcutiendum permitto, qui ſitum utriusque loci hodie

die quoque ſuperſtitis inſpexere. Imo dubium eſt: an ante excitatam a Drahomira S. Michaelis ædem Tetinii templum aliquod ſacellumque publicum ſteterit, de quo apud veteres omnes ſilentium.

(*n*) Chriſtannus non modo percuſſores, ſed propinquos etiam illorum *opibus eximiis auri argentique, veſteque pretioſa inæſtimabili* donatos innuit.

(*o*) Chriſtannus amplius ait: *Regnaverunt in tota provincia Bohemorum velut magnifici Duces, ſed non ex Deo.* Quibus verbis ſtatim ultionem divinam in eos omnemque eorum propaginem ſubjungit.

(*p*) Ejus nominis locum nuſpiam in his regionum confiniis hodie in tabulis Geographicis reperio, niſi forte nomen aliquantum mutaverit.

(*q*) Hodie inter deſertas arces in Beraunenſi regione cenſetur, eſtque in ditionibus Excellentiſſimi Comitis Eugenii de Würben, haud procul a cœnobio S. Benignæ diſſita. De ea ita Balbinus: *Waldek arx tota in ruinis, ſic ut nec ſtet, nec jaceat. Wranovſtii de Waldek lineæ Hazmburgicæ eam condiderunt, vide Hagecum anno 920.* Scilicet provocat ad hunc ipſum locum annumque Hagecii, quod eo antiquius documentum non repererit. Quod vero Hagecius dicat *Wladik* in *Waldek* a Germanis detortum, prorſum ridiculum eſt. Habeo hujus vetuſtæ familiæ diplomata varia in manibus e ſæculo XIV. & XV, in quibus illi ipſi ſe *Waldekios* ſcribunt. *Balbin. l. 3. c. 8. §. 4. p. 111.*

(*r*) Hæc repugnant relatis Authorum vitæ S. Ludmillæ, ac cumprimis Chriſtanni, qui utriusque hujus percuſſoris ſtirpem partim emigraſſe, partim penitus exciſam narrant. Quæ cum Hagecius prætermiſerit, hic ex Chriſtanno ſupplenda: *Quibus* (nempe percuſſoribus S. Ludmillæ) *opipare viventibus, atque ineſtimabiliter gaudentibus, letantibusque, ultio juſta divine vindicte improviſe ſubſequitur impios, qui tam grande, tumque crudele piaculum non horruerunt patrare, quo manus ſuas inhoneſtiſſimas in preclariſſimam Chriſti famulum moverent absque cauſſa. Namque, patre ſuo Principe diſcordiarum diabolo exagitante, coævos coetaneosque ſuos ceperunt contemtui habere omnes; qua de re excrevit diſſenſio, odiumque pernaximum inter ipſos primarios ſupra notatos, Tunnam videlicet Gommonemque, Dominamque* *Mſ. Bibl. Mutrop.*

que ipſorum, ita ut omnis cogitatus ſermoque Domine de interitu ipſorum die noctuque verſaretur. Quod cernens memoratus Tyrannus Tunna irruente in ſe pavore horribili cunctis cum ſibimet affinitate junctis ex eadem provincia fuga labens, omnibus exoſus, vagus, profugusque huc illucque verſatus eſt, nemoque ex ſtirpe illius progenitus, in propria ulterius reditum habuit. Gommo autem cum fuge latibulum germano cum ſuo quereret, comprehenſus, atque capitali ſententia addictus, cum fratre vitam preſentem pariter & futuram amiſit. At vero Domina eorum cernens eos fugientes omnem venenoſi pectoris furorem in poſteros eorum diffundens, univerſos eorum a majore usque ad minimum una die unaque ſententia perdidit. Hoc quoque primum ſignum ſancte Ludmile claruit, dum Dei diſponente providentia ex interfectoribus ejus nullus ſuperfuit: Alii propriis de habitaculis ſecedentes, in diverſaque fugientes cunctis exoſi effecti, divina ultione tacti exhalaverunt ſpiritum vite, parvuli eorum impiiſſima morte defuncti, quam plures vero capite gladio plexi ſunt. Liberi ergo ſunto Waldekii noſtri, (quorum reliquiæ hodiedum e linea muliebri in quibusdam illuſtribus familiis ſuperſunt) ab ea infamia, quod eorum genus ab his percuſſoribus procedat.

PRÆTERMISSA.

Goldaſt. de Reg. Boh. l. 2. c. 3.

Goldaſtus ad hunc annum ex Alberto Stadenſi & Curæo jam Henrici Aucupis irraptionem in Bohemiam reponit, eamque tributariam factam aſſerit. Cujuscemodi aliam expeditionem contra Bohemos ex eodem Alberto Stadenſi anno ſequente 921, aliam ex Spangenbergio 922, aliam denique ex Reginonis Continuatore anno 928. refert. Sed male conciliavit hos Chronologia diſſidentes authores Goldaſtus, ut haud immerito Balbinus dicat: eum mera nova bella ſomniaſſe. Loquuntur enim hi hiſtorici de uno eodemque bello Bohemis anno 928. intentato, quod cum in plerisque veteribus authoribus poſteriores præter anni deſignationem narratum reperiſſent, in diverſos annos perperam rejecere. Superiore autem & præſente anno haud alia cura fuit Henrico, quam ut Principes Comitesque Germaniæ, qui ſupremum dominatum ambiebant, eique parere detrectabant, in ordinem redigeret. Sic primus ejus vim expertus hoc anno Alemanniæ Dux Burchardus, ut narrat Albericus Monachus Trium Fontium, & copioſe his verbis rem perſequitur Witichindus: *Hoc ordine Rex fuctus Henricus perrexit cum omni comitatu ſuo ad pugnandum contra Burchardum Alemanniæ Ducem. Hic cum eſſet bellator intolerabilis, ſentiebat tamen, quia*

Balbin Epit. l. 1. c. 6. & l. 3. c. 1.

Alberici Chronic. ad h. a. Witichind. l. 1. p. 637.

val-

valde prudens erat, congressionem Regis sustinere non posse; tradidit semetipsum ei cum universis urbibus & populo suo. A Burchardo domitò, conciliatoque arma conversa in Arnulphum æmulum Bajoariæ Ducem, de quo Luitprandus: *Rex Henricus cum jam obtemperare suis omnes jussionibus, Arnoldumque solum resistere cerneret, pervalido collecto exercitu in Bavariam tendit.* Luitprand. l. 2. c. 7.

Ulterius rem narrat Witichindus: *Rex* (Henricus) *in præsidio urbis, quæ dicitur Reginesburg obsedit Arnulfum. Videns autem Arnulfus quia resistere Regi non sufficeret, apertis portis egressus est ad Regem tradito semetipso cum omni regno suo. Qui honorifice ab eo susceptus amicus Regis adpellatus est.* Witichind. c. 1.

Luitprandus addit: omnes Bojoariæ Præsules ejus potestati fuisse concessos subjectosque, qua intemperanter postea usum queritur Otto Frisingensis. Quod vero hæc præsente anno contigerint, indigitat Sigebertus Gemblacensis his verbis: *Henricus Rex contra Arnoldum ab Hungaris regressum cum exercitu in Bajoariam profectus, eum virtute & sapientia sua ad gratiam suam inflexit.* Sig. Gembl. ad h. a. Annis vero sequentibus 921. 922. & 923. Henrico rem fuisse cum Carolo simplici propter Regnum Lotharii, quod is a Germania avulserat, legere est in Frodoardi coævi Chronico ad dictos annos. Quæ idcirco hic attulimus, ut palam sit seu hoc seu sequentibus annis ab Henrico nihil motum contra Bohemos. Haud secus recte Hochwartus atque Hundius jam consecrationem Ecclesiæ S. Viti a Tutone Ratisbonensi Episcopo factam huic anno illigavit, quam multo posterius accidisse suo loco ostendemus. *Hochwart. apud Oefel. T. I. p. 174. Hundius T. I. p. 128.*

ANNUS 921.

Wenceslaus ex Drahomira Wratislao patre progenitus, fraterque natu major Boleslai Budecio Pragam subiens vocari ad se tutores suos proceres, nobilitatemque Christianam jussit, quibus in frequenti concione aperuit: haud se ultra cædes ac latrocinia, quæ matris suæ consilio passim peragerentur, æquis intueri posse oculis. Erat vero ad consessum hunc etiam evocata mater Drahomira fraterque Boleslaus. Wenceslaus igitur in *Wenceslaus cogit concilium*

atrio palatii Wiſſehradenſis medius inter circumfuſam ſuorum coronam conſiſtens hac orationis ſeveritate matrem allocutus eſt: „Pater meus, inquit, Wratislaus me ſupremis voluntatis ſuæ tabulis heredem tum terrarum tum populi Bohemi deſignavit, omnis procerum ſenatus, nobilitatis ordo, vulgusque me Ducem agnovere. Eja mater! feſſa imperandi curis impoſterum quieſce, dote tua deinceps contenta vive. Ego jam fidem, quam his, & univerſæ reipublicæ debeo, exſolvam, provincia tandem Deo propicio per me ipſum adminiſtrabitur.„ Cum hæc dixiſſet, multitudo ſublato clamore adſenſa eſt: „Ita cupimus, *Wenceslaum* „Principem expoſcimus,„ altum vociferans. Nec mora ſeniorum magiſtratus ornatum paternis inſigniis Wenceslaum in ducale ſolium extulit, præconisque voce Ducem Bohemorum proclamari fecit. (a) Alii acceptum Boleslaum deduxere Boleslaviam, omniumque ditionum ultra Albim dominum Principemque renunciarunt. (b) Alii denique Drahomiram ringentem Stachovium dotale oppidum feſtini ſecum abripuere. (c) At vero Wenceslaus priusquam concilium diſſolveretur propalam Chriſti fidem profeſſus edictum propoſuit, quo ſignificabat, omnes, quotquot in ſuo Principatu eſſent, ſe habere & eſſe velle Chriſtianos, cum ipſe Princeps hujus eſſet profeſſionis. Sacris Chriſti initiari nolentibus liberum eſſe ſolum vertere, & quasquas demum mundi plagas incolatui deligere: (d) Inde ad ædes ſacras a male nominata matre profanatas converſus, repurgavit contaminatas, exuſtas inſtauravit, dirutas a fundamentis erexit,

Matrem ad dotale caſtrum relegat.

Proclamatur Dux Bohemiæ. Boleslao tranſalbinæ ditiones conteduntur.

Edictum Wenceslai de Religione Chriſtiana.

xit, (e) ſacerdotes ludorumque magiſtros ab exilio reduxit. Et quod in Principe oppido mirandum: ipſe ſuper cetera probatiſſimæ virtutis opera in templis aſſiduus ſacerdotibus rem divinam facientibus quotidianus aſſiſtebat, (f) ſuis ipſe manibus, quæque ad ſacrificium attinent, conficere ſolitus. Nam & triturabat, & molebat frumentum; (g) pinſebat hoſtias, (h) uvas in vinum torculari præparabat. (i) Præter hæc pſalterium, quod vocamus, continenter ſub axilla ferre, atque ex eo precandi gratia ſervis voce præire eosque inſtituere ſumma erat voluptas. Nec vero diurnis duntaxat horis ea Ducis ſanctiſſimi pietas tenuit, noctibus etiam brumalibus maxime atque hybernis nudus ipſe pedes per nives perque glaciem ſacras ædes ex ordine adibat unico ſolum nocturnarum iſtarum ſupplicationum comite, (k) qui cum aliquando aſperitatem gelidiſſimæ noctis quereretur bene licet calceatus, juſſus Wenceslai veſtigiis inſiſtere, continuo occulta quadam vi incaleſcebat. (l)

Ejus opera pietatis.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXI.

JOANNIS X. PAPÆ 8. HENRICI GERM. REG. 3. SPITIGNÆI 27. TUTONIS *Ep. Rat.* 28.

(a) Contra mentem omnium veterum hæc ſcripſit Hagecius: Nam S. Wenceslaum ſtatim a patris morte fuiſſe Ducem ſalutatum, & quanquam ſe ſe in omnia Drahomira ingereret, penes eum tamen imperium ſtetiſſe illi produnt. Cum vero Drahomira aviam,

S. Wenceslai per ſicarios vita exuiſſet, Clerumque Bohemum variis calamitatibus preſſiſſet, tum enim vero Wenceslaus jam annos adoleſcentiæ egreſſus Drahomiræ ac cumprimis miniſtrorum ejus imperia & vexationes ultra ferre nolens, relegata in exilium matre, ipſe ſolus reipublicæ Bohemæ adminiſtrationem auſpicatus eſt. Ceterum cum hæc poſt martyrium S. Ludmillæ contigiſſe certo conſtet, ante annum 927, quo illa martyrii palmam aſſecuta eſt, haud accidere potuerunt. Narrabimus autem rei hujus ſeriem ſuo loco ſincerius ex ipſis hiſtoriæ patriæ fontibus.

(b) De hoc apud veteres omnes ſilentium; Boleſlaum tamen ditionem Boleslavienſem Ducali jure tenuiſſe indubitatum eſt, quem-
Acta SS. ad 28. Septemb. n. 51. admodum id ſupra expedivimus. Argumenta doctiſſimi Viri Continuatoris Operis Bollandiani in hoc ſolum adverſa ſunt, quod Boleslao Ducatus Bohemiæ portionem non eo ſummo jure, quo *Wenceslaus* tenuit, concedant, quod & nos ultro admittimus. *Nam Boleslaum* certis conditionibus atque legibus fratri ſeniori tanquam magno Bohemiæ Principi Ducique fuiſſe obnoxium ſtatuimus.

(c) Situm hujus caſtri jam ad annum 870. p. 118. indicavimus,
Balbin. l. 3. c. 8. §. 4. p. 111. de quo etiam Balbinus: *Stochow arx fuit & ditio dotalis Drahomiræ, ut ex Hageccio datur intelligi pridem condita; a Lutenſibus deinde everſa & poſtea anno 870. a Neklano Principe reparata.* Quæ omnia ex ſolius Hagecii memoriis deprompta ſunt. Pugnat vero maxime cum Chriſtianno huc Drahomiram fuiſſe relegatam, cum is extra regnum & patriam eam ejectam dicat. Sic vero ille: *Dux Wenceslaus ſolicitus de nanciſcenda pace, ſpiritu ſibi ſancto inſpirante corde conſilium captavit, quo genitricem ſuam, quæ cauſſa totius nequitiæ fuerat, proturbaret e patria.* Et poſtea: *Quæ cuncta juvante ſe opifice Deo opere complevit: nam matrem regno cum dedecore maximo pepulit, dignam ei ultionem omnipotente Deo reddente ob effuſionem ſanguinis innocentis B. Ludmillæ, quem ſine cauſſa fuderat.* Procul dubio autem Drahomira in Ztodoraniam ſeu Ztodor natale ſolum exilio mulctata ſe recepit, unde ſeu ſcribarum oſcitantia ſeu ſciolorum imperitorum errore ex Ztodor Stochow caſtrum enatum eſt.

(d) Hoc edictum primum etiam prolatorem habet Hagecium, ſed ultra, quam credibile ſit, acerbitatem ſpirat. Infeſtiſſimos ſane ſibi omnes feciſſet ethnicos Wenceslaus, ſi imperium ab ejusmodi auſtero edic-

edicto fuisset auspicatus. Quin etiam posterius ethnicorum non minimum fuisse numerum ubivis proditur in historiis nostris, adeo ut Constantinum Porphyrogenitum, post 30 facile adhuc annos scribentem, latuerit Bohemiam ad Christum fuisse conversam, quemadmodum alibi locum protulimus.

(e) Stredovskius ait Joannem suum Podivinensem Episcopum ad reconcilianda hæc polluta a gentilibus templa, atque ad ordinanda sacra rursus invitatum. Verum jam supra innui nuspiam in veteribus legi Ecclesias a Drahomira seu pollutas, seu exustas dejectasque, nam id Wenceslaus zelo divino æstuans nunquam admisisset, nec enim (quanquam sub matris tutela steterit) excluſus erat ab imperio. Ut quid questa fuisset Drahomira cum filiis Belial teste Christanno: *Heu quid agimus, quove nos vertemus? Princeps siquidem noster, qui a nobis in regni fastigio sublimatus est perversus a Clericis & ceu Monachus factus per abruptam & assuetam vitiorum nostrorum semitam nos gradi non finit.* Si penes Wenceslaum plane nulla fuit potestas? Quod vero Wenceslaus non obstante matris tutela clavum gesserit reipublicæ Boemæ his verbis prodit Vita omniam antiquissima jussu Ottonis II. scripta, quæ cæsa avia (cum jam sibi soli administrationem vindicaret Wenceslaus) ita eum inducit loquentem: *Puer ego in Principatum vestra censura patri mortuo natu fratribus major succedens per legum frena moderata & rempublicam Deo praestante disposui, & patriam contra infestantium molem pro viribus tutavi. Vos autem - - - - satis mihi injuriosos actenus jam pacior.* Quæ nihil aliud innuunt, quam Wenceslaum propter juventutem suam matrisque tutelam multa coactum fuisse dissimulare. Eadem vero vita aperit, quæ illa templa fuerint, quæ S. Wenceslaus, ejecta in exilium matre, restauravit: *Jam tunc*, inquit, *Deo serenante comprimuntur aliquantum sub ejus manu barbare mociones, surgunt autem Catholice Religionis leta incrementa, quomodo divino cultui templa dicata, paulo ante infidelium neglectu cadentia stabili reparatione fundantur.* Neglecta igitur, non exusta fuere templa.

Stredovsky l. 1. c. 2. p. 475.

Mſ. Bibl. Metrop.

(f) Joannes de Novo Foro in ejus vita ita inquit: *Infra missarum solemnia veste regali humiliter deposita, Christo ejusque sacerdotibus pium devotissime exhibebat obsequium, ut omnes ibidem assistentes humilitas tanti Principis mira ad serviendum domino inflammaret gratia.*

Vita Mſ. S. Wenc.

(g) Vita antiquissima jussu Ottonis II. scripta pluribus rem exprimit:

Mſ. Bibl. Met.

mit: *Messis etiam imminente æstu tuto noctis silentio per agellum tritici manipulos ipse falcicula succidens, gravisque fasce propriis impositus humeris in secreciori domus angulo abscondit, ibidemque triturатos, & inter saxa tritico fracto, ac purgamentis agrestibus ad mundam excussionem a sanctis manibus ipsius diligenter cribrato cum fontis aspersione, quem ipse solus presente tantum puerulo cum ydria producens, vere Trinitatis invocatione signavit.*

(*b*) Persequitur mox laudatus Anonymus: *Hanc farinulam massæ naturali congestam in libas sacrificales sacerdotum manibus offerendas ille proprio manuum labore coqui parabat.* Ferramentum, quo Wenceslaus pinsere solitus hostias, hodiedum ostenditur Vetero-Boleslaviæ, cujus quidem antiquissimum usum fuisse jam a sæculo VI. & VII. multis argumentis probat doctissimus Mabillonius. Udalricus l. 1. consuet. Cluniac. c. 49. ait: *In quinquagesima solent apponi ea, quæ in ferramento characterato de consperſione farinæ tenuissime fuerint, & ab hominibus Romanæ linguæ nebulæ, a nostratibus appellantur oblatæ.* Anonymus in vita S. Bardonis Arch. Mogunt. *Ferrum mire cælatum*, vocat, *in quo Missales oblatæ coquebantur.* Oblatæ vero dictæ sunt, quia ab ipsis fidelibus probis, præcipue virginibus, matronisque Deo devotis pinsi, ac dein sacerdotibus altaribusque offerri solebant. Normam temporis, coctionisque describit supra laudatus Udalricus l. 3. c. 13. *Quotiescunque fieri hostias necesse fuerit, præcipue tamen ante diem natalem vel sanctæ resurrectionis diem fieri solent. Postquam frumentum granatim electum magna cum reverentia molitum est, farina cribratur & conspergitur cum aqua frigida, quia inde fiunt hostiæ candidiores. Ferramentum, in quo sunt coquendæ, characteratum tenet conversus, manusque induit chirotecis. In ferramento vero possunt simul sex hostiæ poni.* Id autem cumprimis Sanctimoniales, quibus locis erant, in vigilia Nativitatis Dominicæ præstitisse docet Anonymus in libro de miraculis S. Wandregisili Abbatis c. 29. Porro ostenditur etiam Boleslaviæ pone portam inferioris templi culinula peranguſta, quæ pistrinum S. Wenceslai fuisse asseritur, pieque creditur ibidem sanctum hunc hostias in usum Ecclesiarum coxisse, de quo pluribus locis Balbinus. Quod tamen merito in dubium vocant Eruditissimi Viri Bollandiani eo cumprimis nixi argumento, quod S. Wenceslaus nusquam Boleslaviæ habitasse legatur, isque locus ad Boleslai ditiones pertinuerit.

Acta SS. Benedict. sæc. III. in præfat.

Acta sanct. ad 28. Septemb. §. 14. n. 261. & 262.

Mſ. Bibl. Met. (*i*) Mire id rursum descripsit Anonymus jussu Ottonis II: *Adveniente vindemia clanculum ac cito nimis, fidelitatis jam dicto sequace, vinearum sep-*

ſepta noctu tranſiliens, fiſcellulas utriusque dorſo dependentes gravidis implens racemis, cellulam pallacio remotiorem, ſibique adeo carum furto laudabili revi-ſit. Interim hoſpitioli foribus repagulorum cauta undique clauſura munitis in vas huic congruum vindemiole uvas piſtillo conterens, expreſſoque muſti tenero liquore per linei facculi mundam ſubtilitatem ſtudioſiſſima caſtarum impreſſione manuum excolavit, ſicque conſcio ſolummodo clientulo infuſum ſecreciusque repoſitum, conſiderata oportunitate, inter clericos comprovinciales cum oblatis - - - diſtribuit. Procul dubio autem id *laudabile furtum* e propriis S. Wenceslai vineis fuit, ideoque maxime clanculum ab eo res tractata, ut opera pietatis tegeret. Nam Joannes de Novo-Foro de his vineis ait: *Quas propriis manibus plantaverat.* Balbinus etiam dicit: *Monſtratur hodie-que vinea, quam ſancti Wenceslai vocitant, uno a Boleslavia noſtra milliari, Divæ Ludmillæ Mielnicenſi quondam Dominæ dotalis.* Aliam oſtendunt ad poſteriores caſtri Pragenſis gradus, quæ præter traditionem popularem haud aliud fundamentum habent in hiſtoriis, ut etiam ſentiunt Eruditiſſimi Bollandiani.

Balbin. Epit. p. 16.

Acta SS. ad 24. Sept.

(*k*) Ad hunc locum noſter P. Victorinus: Comes ille Podivin erat vir nobilis, comparticeps & conſors, ut Chriſtannus loquitur, univerſorum operum, quæ dudum a S. Wenceslao gerebantur, inter procetes fidei Chriſtianæ propagandæ zelantiſſimus, & in Bohemia de re Chriſtiana meritiſſimus, ideoque & illum S. Wenceslaus aulæ ſuæ præfecerat, & procerum omnium chariſſimum, ſuarumque actionum arbitrum & individuum comitem habebat. Hactenus P. Victorinus. In antiquioribus ego eum nusquam alio quam, *clientuli, ſervi, pueri cubicularis* & nonnunquam *ſecretarii* titulo impertitum reperio.

(*l*) Iſtud primum narrantem deprehendo Joannem de Novo-Foro. Verba rurſum vitæ juſſu Ottonis II. ſcriptæ ſunt: *Noctibus autem ſereniſſimo inſtans pervigilio lenis immemor ſoporis primo quietis nocturne conticinio ſpreto fulgentis ſtratu cubilis clam ceteris de thoro ſurgit, puerum cubiculatorem excitat, tacitus codicellum manuali frequencia rugoſum eripit, pallacium neſciis cuſtodibus egreſſus comite ſolo clientulo aſpera montium cacumina, vallium exicialia precipicia, diverticulorum ac ſemitarum lapilloſa vel glacie horrencia inter civitates itinera continua pſalmorum ceterarumque precum recitacione nudipes ſigillatim Eccleſias queritando perluſtrabat, in tantum itaque carnis ſufferens afflictionem, ut ſciſſis teneris plantis cruor defluus ſparſim notaſſet veſtigia. Domum autem reverſus &c.* Brevius vero Chriſtannus: *In quadrageſimali*

vel hiemali tempore per gelidum arduum callem discalceatus gradiebatur de civitate in civitatem Ecclesias Christi pedestris lustrans, ita ut vestigia ipsius cruore sanguinis madentia cernerentur. In quo utroque authore nullum supradictorum indicium.

PRÆTERMISSA.

I. Hoc anno adhuc Zpitignæum in Boemia Principatum tenuisse his verbis testatur Sigebertus Gemblacensis: *Ziptinæus Dux Bohemiæ ad Christi fidem conversus juste & religiose in Boemia principatur, & post eum Watizlaus filius ejus justitia & sanctitate præclarus, cui frater suus Bolizlaus nimis adversabatur.* Hæc Sigeberti Gemblacensis Chronologia passim a nostris exterisque quibusdam non modo vilipensa, sed etiam rejecta fuit, quod quædam contradictoria hoc ipso loco contineri viderentur, scilicet dum Wratislaus perperam filius Spitignæi asseritur, & gesta propria S. Wenceslai Wratislao patri adscribuntur. At vero ego rite lecto & interpunctuato loco nullam prorsus in verbis his contradictionem invenio, obscuritas quædam librariorum oscitantia inducta est, qui solum *comma*, & verbum substantivum *sum, es, est* omisere. Sic vero locum hunc restituendum autumo: *Ziptinæus Dux Boemiæ ad Christi fidem conversus juste & religiose in Boemia principatur, & post eum Wratizlaus; filius ejus* (nempe mox nominati Wratislai filius *Wenceslaus* isthic de nomine omissus) *justitia & sanctitate præclarus fuit, cui frater suus Bolizlaus nimis adversabatur.* Quod vero corruptus hic sit Sigeberti locus, nomenque Wenceslai omissum, authoritati nobis est Chronicon magnum Belgicum apud Pistorium T. III. quod Sigebertum exscribens laudansque Wenceslaum nominat, quanquam in eo rursum hallucinatum, cum etiam Wratislao nomen Wenceslai tribuit, eumque filium Spitignæi facit. Verba sunt: *Anno Henrici Regis secundo Spitignæus Dux Bohemiæ ad fidem Christi conversus juste & religiose in Boemia regnat, & post eum Wenceslaus filius ejus* (lege Wratislaus frater ejus) *& post Wenceslaum* (lege Wratislaum) *Wenceslaus rursus filius justitia & sanctitate præclarus, cui frater Boleslaus nimis adversabatur.* Ut itaque ex Sigeberti testimonio habeamus Spitignæum præsente anno adhuc superstitem fuisse, cui cum successor eodem anno Wratislaus jam ponatur, conjecturam capere licet, eum hoc ipso anno mortuum. Nec vero temere hæc nos asseruisse cuipiam videri volumus: antiquissima vita S. Wenceslai jussu Ottonis II. Imperatoris scripta, qua priorem nullam habemus, clarissimis verbis testatur Spitignæum adhuc Principatum Bohemiæ sub Imperio Henrici Aucupis

Sig. Gembl. ad b. a.

ges-

gessisse. Sic enim illa: *Regnante feliciis memorie preclarissimo Rege Henrico, quidam gentis illius* (Bohemorum) *progenie clarior ac potencia in cives eminencior Spitigneu nomine Principatus regimen sub Regis dominatu impendens divini cultus dulci voto attactus sacri fontis misterio regenerari non parum anhelans baptismo mundatur, & novo studio fervens domos Dei in Beatissime ejus Genetricis Marie Sanctique Apostolorum Principis venerandam memorationem construxit, in quibus postmodum innumera annuatim miracula ope divina cooperante fulserunt.* In quibus verbis non quidem baptismus Spitignæi, quem ante Henrici tempora accidisse verosimillimum est, sed fervor promovendæ Christianæ religionis & tempus producti regiminis ad Henrici Imperium pertinet, quæ magis dispescuit altera vita Ms. ejusdem sancti in toties laudato Codice Metropolitano incipiens: *Crescente per orbem universum Katholice religionis incremento &c.* Ante Hagecium profecto nemo omnium ob veterum silentium Spitignæi regimini certos annos defigere ausus est. Is vero neque historiis neque temporibus rite pensatis Chronologiam cerebro suo effinxit, ut omnibus pene superioribus annis vidimus, posteriusque visuri sumus. Quamobrem recte in eum jam quoque animadvertit Balbinus, dum scribit: *Ab Hagecio Chronologiæ ratio frustra petitur, qui male divisis temporibus historiam ipse suam perturbat.* Qui tamen cum hactenus unicus fuerit, qui Ducum primorum Bohemiæ gesta in certos annos dispescuit, tanquam oracula prolocutus fuisset, omnibus a sua ætate scriptoribus non modo Dux fuit, sed & Chronologia ejus instar cynosuræ suscepta, ad quam veterum historias posteriores accomodarunt, cum potius Hagecii Chronologiam ex veterum narratis expendere emendareque debuissent. Jam quamquam verum sit Spitignæum annis 905. & 906. Ducatui Bohemiæ, ut vult Hagecius, præfuisse, tamen primo erroneum est eum nonnisi anno 905. imperium auspicatum, cum ad annum 895. ex Annalibus Francofuldensibus ostenderimus: eum jam in Comitiis Ratisbonensibus Primorem inter Duces Bohemiæ vocari. Secundo cum Hagecius Spitignæo nonnisi brevissimum regimen per duorum annorum spatium concessit, fecit id quidem ex sententia Dalemili novitatum istiusmodi artificis, sed præter ullum aliud vetustatis indicium. Nam hæc ipsa regiminis brevitas minime cum primorum scriptorum Bohemiæ ac cumprimis Christanni relatis conciliari potest, is enim de illo ita scribit: *Suscepit pro eo* (Borzivogio patre) *regnum ejus primogenitus filius Spitigneu cunctis virtutibus bonitatis, famaque sanctitatis admodum fulgens. Imitator siquidem patris factus, fundator exstitit Ecclesiarum Dei, congregator sacer-*

Mss. Bibl. Met.

Balbin. Epit. l. 1. c. 4. p. 15.

dotum, Clericorumque, perfectusque in fide Christi peractis vitæ suæ annis quadraginta luce ex hac migravit astra petens. Quanta gesta lausque gestorum vix quidem duorum annorum curriculo absolvi, compararique potuere. Cum vero Christannus quadraginta annis eum vixisse asserit, numerum rotundum accepisse videtur, nam quadraginta aliquot annos Spitignæum explesse vix dubium est. Anno enim 895. jam titulo Primoris inter Duces Bohemiæ interfuit Comitiis Ratisbonensibus sub Arnulpho, a quo anno ad præsentem effluxere anni viginti septem. Si vero is nonnisi quadragesimum ætatis annum attigit, admittendum erit eum adolescentem annorum tredecim, & Wratislaum fratrem multo juniorem jam in placito Imperatoris comparuisse, quam dignam animadversione adolescentiam vix quidem Continuator Annalium Francofuldensium annotare prætermisisset. Nisi, quod crebro innui, dicere magis libet, annos hos vitæ & imperii Ducum nostrorum a posterioribus in vitas S. Ludmillæ fuisse intrusas, cum omnium antiquissima vita sejunctimque a vita S. Wenceslai scripta nullum prorsus annum exprimat. Si de testimoniis recentiorum exterorum Hagecio synchronorum aut paulo posteriorum agitur: etiam non pauci sunt, qui Spitignæi regimen mortemque multo serius quam Hagecius statuant: Chronicon monasterii Mellicensis decem annis posterius mortem ejus reponit. *Hier. Pez. T. I. p. 217.* Adamus Ursinus in Chronico Thuringico apud Menkenium T. III. p. 1250. ad annum secundum Imperii Henrici Aucupis, item Fabricius l. 1. memorab. Saxon. Rolewink in Fasciculo temporum plane sub Ottonis I. tempora rejicit, Carolus Piazza Trattato II. degli Spedali Nazionali aliique Itali sub Stephani VII. Papæ, qui anno 930. mortuus est, Pontificatum. Aventinus & Valerius Anselmus Ryd teste *Goldast. l. 2. s. 3. p. 159.* Goldasto in ipsum etiam Henrici Aucupis Imperium. Quæ authorum diversitas oppido ostendit hactenus nullum legitimum documentum inventum fuisse, cum in tot sententias scindantur. At vero quoniam ex legibus Criticæ: vetustioribus insistendum, hactenus autem Annymi vita jussu Ottonis II. scripta & Sigeberto Gemblacensi vetustius monumentum in lucem non prodiit, quod Spitignæi Principatum certo tempori illigaret, merito præ ceteris recentioribus istorum relatis innitendum esse censuimus. Annum autem præsentem Spitignæo postremum statuimus, non tanquam certissime proditum, sed ex conjectura quadam, cum hoc ipso anno Sigebertus Gemblacensis jam ei successorem Wratislaum subjungat, nec ab hoc ipso anno uspiam posterior ejus aliqua memoria in veterioribus occurrat. Quo tamen anno ille

su-

ſuſceperit baptiſmum, definire non audemus, quandoquidem ne probabili quidem conjectura fundamentum aliquod ex antiquis capere licet. Id multo ante etiam oſtendimus veſtigium nuſpiam ſupereſſe, eum ſeu a S. Methudio ſeu illius in Bohemiam miſſis presbyteris baptizatum fuiſſe. Quo loco quoque enodavimus, quid cauſæ ſit, cur ipſe a multis exteris pro primo Chriſtiano Duce Bohemiæ habitus fuerit.

II. Continuator Reginonis ad hunc annum ait: *Interim Henricus Rex ſtabiliendæ paci, & reprimendæ Sclavorum ſævitiæ fortiter reſiſtit.* E quibus verbis procul dubio poſteriores quique jam bellum contra Bohemos hoc anno geſtum eruerunt, per *Sclavos* illos Boemos intelligentes explicantesque, quorum antiquiſſimum teſte Goldaſto deprehendo Albertum Stadenſem. At vero ex Witikindi relatis palam eſt: primos omnium Slavos fuiſſe Hevellos, quibuscum Regi Henrico negotium erat, ab his arma converſa eſſe in Dalemincios, denique in Bohemos, ut itaque Bohemi ſuperioribus Continuatoris Reginonis verbis haud concinne explicari poſſint. Ultro tamen fateor obſcurum eſſe, qui Slavi illi fuerint, quorum ſævitiæ reprimendæ hoc anno Henricus reſtitit, cum bellum Henrici contra ipſos Hevellos & Dalemincios geſtum poſterius acciderit, ut ſuis locis videbimus. Veroſimillime tamen mihi videntur fuiſſe Dalemincii, qui ſtatim ſublato in Regnum Henrico motus quosdam ciebant. Nam vetus illi adhuc odium adverſus Henricum fovebant, tum propter ejus patrem, quicum non ſemel bellum geſſere, tum maxime propter Henricum ipſum, qui adoleſcens adhuc a patre in expeditionem miſſus illos non modica clade affecit, ut multo ante narravimus. Illis certe aliisque Slavis haud gratam fuiſſe Henrici in regnum Germaniæ ſublimationem haud obſcure innuit pervetuſtus author Ruotgerus, dum propter Henrici electionem ſcribit: *Centifidam Sclavorum rabiem barbarorum frementem inhoruiſſe.* Ceterum autem inimicitias has anni iſtius cum Slavis aut non fuiſſe tanti momenti, aut brevi ſopitas, ex eo colligere licet, quod præcipua cura & vis eo ab Henrico præſente anno collocata ſit, ut Lotharingiam vindicaret. Nam contra Carolum Francorum Occidentalium Regem moviſſe exercitum, Metenſem obſediſſe urbem, Carolum fudiſſe, atque apud Bonnam fœdus & pacem eo pacto iniiſſe, ut Germaniæ redderetur Lotharingia, legitur ubivis apud ſcriptores Gallicos.

Nec anno hoc Hungaros in Thuringiam aut Saxoniam irrupiſſe, ibidemque ab Henrico cæſos autumo, ut ex Chronico Reichenber-

Apud Piſtorii T. I.

Goldaſt. l. 2. c. 3. p. 159.

In vita Brunonis §. 3. p. 274.

Bouquet T. VIII. in Indice Chronol. p. CVIII.

Hanſiz. Germ. Jac. T. I. p. 187.

genſi, ſilentibus aliis omnibus, refert Hanſizius. Non enim leguntur Hungari expeditiones ſuas reaſſumſiſſe, quam cum viderent Slavos ſeptentrionales nimium ab Henrico premi, quibuscum ne par aliquando fatum experirentur, ſeu ultro, ſeu ab illis invitati poſtea arma pluribus annis continuata in Henricum expedivere. Hinc etiam Alberti Stadenſis relata ad hunc annum poſteriores ſpectant annos.

ANNUS 922.

Confirmatis nonnihil in Principatu rebus memor aliquando eorum Wenceslaus, quæ Ludmilla, dum viveret, recte ſancteque egiſſet, quæque ſui inſtitutione olim merita fuiſſet, inito cum ſacerdotibus conſilio votum voluntatemque ſuam fidelioribus aperuit de illius elevando corpore, & pone patrem ſuum Wratislaum Pragæ tumulando. Quam cum illi probarent, miſſi extemplo delecti complures ex Clericorum laicorumque ordine Tetinium, unaque ductus Capellanus vetulus Paulus, ut locum, quo Ludmillam condidiſſet, indigitaret. (a) Ubi ad ſacrum tumulum ventum erat, egeſtaque humo putris & male cohærens tabula urnæ in conſpectu fuit, nullus erat, qui non ſentiret, diceretque: „ Si lignum ita putruit, quanto magis corpus ipſum in putredinem pulveresque abierit? „ Et jam porro ſarcophagum rimari haud animus erat. Unus Paulus ceſſantibus ceteris reſtitit, ſicque prolocutus eſt: „ Perſequar opus, atque ſi vel pulverem conſumti corporis „ reperero, deferam ad Principem, ut piiſſimæ ejus volun„ tati ſatisfiat. „ (b) Igitur amota gleba, quæ in ſacrum corpus inciderat, inveniunt illud integrum ab omni putredine

Mittuntur legati Tetinium ad levandum corpus D. Ludmillæ.

Invenitur corpus incorruptum.

dine alienum, (c) ſola ſpecies vultus nonnihil mutata videbatur. (d) Tum ingenti gaudio in jubila ſoluti grates immenſas Deo pro tanto theſauro referunt. Suſtollunt corpus illudque aræ ſanctæ Catharinæ imponentes (e) ſacrificium laudis, & gratiarum actionis ibidem decantant; ſacris peractis ſarcophagum corpusque lecticæ immiſſum, uno utrinque juncto equo, Pragam cum ſumma veneratione in Eccleſiam S. Matthæi (quam paulo ante obitum ſuum Spitihnæus ad portam Hradeczenſem ædificari curaverat) deportant. (f) Miſſique nuncii, qui Principi indicarent: aviæ incorruptum corpus adeſſe. (g) *Pragam deferitur.*

Poſtera die (quæ erat decima Novembris (h)) Wenceslaus accitis univerſi Cleri choris cum fidelium infinita pene multitudine obviam proceſſit ſacro corpori, quod ex Eccleſia ſublatum ſacerdotes humeris ſuis in urbem cum hymnis & jubilo gaudentes intulerunt, Principe in pullo ducali amictu cum proceribus, populique magiſtratibus ſacras reliquias ſubſequentibus; agmen claudebat vulgus immenſo pene numero. Qua ceremonia theſaurus iſte in ædes Divi Georgii translatus eſt. Iſthic de ſanctis Martyribus decantati quique piiſſimi hymni, concurritque ad translationis iſtius ſolemnia non modo omnis Chriſtianus ſed & ethnicus populus miraculo incorrupti corporis excitus. Conſilio deinde a ſacerdotibus accepto ſanctus Princeps B. Ludmillæ corpus evolutum, extraque ſarcophagum poſitum populo in Eccleſia ſpectandum exhibuit. (i) Qua admirabili membrorum omnium integritate commoti omnes magnalia *Deponitur in Eccleſia D. Georgii.*

Dei

Dei prædicabant, confitentes B. Ludmillæ corpus a Chriſto, cujus amore tam atrox martyrium ſubiiſſet, fuiſſe conſervatum. Multi infidelium etiam hoc prodigio permoti, virtutem Chriſti confeſſi, rejectis idolis vivo veroque Deo ſe impoſterum mancipaturos baptiſmi undis obſtrinxere. Locatus itaque theſaurus tantus in templo Divi Georgii a nepote piiſſimo, ubi hodiedum cum veneratione eum ſpectare licet. (k)

Ethnici prodigio incorrupti corporis perculſi baptiſmo initiantur.

Cœmeterium autem Tetinii, in quo primum ſanctæ Ludmillæ corpus tumulatum erat, ab eo tempore usque ad hodiernum diem nullius hominis, ne infantis quidem ſepulturam admittit, quin altero mox die cadaver e terra ejectum reperiatur. Atque hæc indubitata eſſe ego ipſe Wenceslaus Hagek, qui hæc ſcribo, teſtor, quippe qui ejus Eccleſiæ adminiſter ſex annis fueram, certamque relationem ab hominibus fide dignis, recentibus etiam exemplis confirmatam accepi. Unde oppidani Tetinenſes ad templum Divi Michaelis, quod ab Eccleſia S. Catharinæ dictoque cœmeterio medio jugero diſſitum eſt, ſepeliri conſueverunt. (l)

Cœmeterium non admittit ſepulturam alterius.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXII.

JOANNIS X. PAPÆ 9. HENRICI GERM. REG. 4.
WRATISLAI 1. TUTONIS *Ep. Rat.* 29.

(a) Nihil hac indigitatione opus fuit, quandoquidem antiquiſſima hiſtoria Translationis & Chriſtannus inquiunt ſtatim locum a ſepultura ejus miraculis inclaruiſſe, atque propterea illi inſtra-

stratam fuisse a Drahomira basilicam S. Michaelis, ut idcirco locus haud incognitus esse potuerit. Sed quandoquidem hæc ad annum 928. spectant, referemus ad mox dictum annum, quæ Hagecius prætermisit.

(*b*) Voluntatem omnino S. Wenceslai fuisse, ut vel pulverem consumtæ carnis ad se perferrent, his verbis innuit antiquissima historia Translationis S. Ludmillæ e Bibliotheca Clementina Inclytæ S. J. quam pene ad verbum exscripsit Christannus: *Inito consilio*, inquit, *sacratissimo cum sacerdotibus & religiosis quibusdam misit eos in prefatum castrum Thetin mandans eis, quo vel ossa seu pulverem consumte carnis digna translatione ad se usque perducerent.*

(*c*) Eadem historia cum aliis adjunctis rem narrat: *Cui* (Paulo) *cetera assensum prebentes unanimiter tabulam sublevaverunt, quam dum sustollunt, frangitur; ita ut memoratus Paulus cum humo super corpus jacenter caderet, qui concite surgens, humumque velociter removens cum sibi junctis sodalibus invenit corpus sacrum ab omni corruptione sejunctum.*

(*d*) Eadem historia de vultus mutatione nihil innuit, sed pulverulentum vultum fuisse ait ex fractione tabulæ & casu Pauli. Verba sunt superiora persequentis: *Præterquam quod super menum, videlicet vultum ejus pulverulentum, quod ei de fractura coopertorii, dum amoveretur, inciderat.* Balbinus verba: *super menum* in codice suo Trebonensi Christanni legit *supra memini.* Sed mea sententia minus recte, legendumque est *supra menam*, id est, fossam seu fodinam, nempe *quod supra menum* seu fossam *inciderat.* *Menam* enim barbaro-latine etiam fossam & fodinam significasse a Gallico vocabulo *mine* hodie etiam *mina* dicta, ostendit Ducheſnius. *Duſchenius in Gloſſar. Voc. Mena.*

(*e*) Minus recte Hagecius verba *S. Catharinæ* adjecit. Nam non modo historia Translationis Bibliothecæ Clementinæ, sed & omnes Codices vitæ S. Ludmillæ a Christanno scriptæ generatim dicunt: *Glebam ejus sanctissimam de terra sustollentes, lintheaminibus pretiosis, ut decebat, involventes, altari presentarunt.* Per quod altare vix quidem aliud intelligi potest, quam S. Michaelis Archangeli, in cujus basilica S. Ludmilla condita fuit. Non enim, ut Hagecius scribit, S. Ludmilla in cœmeterio S. Catharinæ tumulata fuit, sed in propria domo, in qua habitabat,

quem locum in Chriſtanni editione mutilum ſupplet, & illuſtrat vetus vita Mſ. Bibliothecæ Clementinæ. Ibi narratis prodigiis, quæ ſtatim a ſepultura ad ejus tumulum acciderant, ſubjungit vita hæc Mſ.: *Hoc audiens nurus ejus iniqua, captaque timore nimis mandavit, ut ſuper tumulum venerabilis corporis domus, in qua, dum viveret, matrona Chriſti habitabat, in modum Baſilicæ locaretur, quaſi ſub honore Beati Michaelis, ut ſi que deinceps miracula ibi fierent, non Beate Ludmille, ſed ſancto Michaeli adſcriberentur.* Credibile autem S. Ludmillam conditam fuiſſe in domus ſuæ oratorio, cum veroſimillime Tetinii adhuc ſacellum publicum non exſtiterit, de quo ſilent omnes veteres. Ceterum cum eadem vetus vita & Chriſtannus ait: *Glebam ejus ſanctiſſimam - - - altari preſentarunt*, non eſt cum Hagecio ſentiendum, eos corpus ſuper altare, ſed in conſpectu altaris poſuiſſe, ut vocem hanc explicat Carolus Dufreſne in Gloſſario. Nam advertit doctiſſimus Mabillonius antiquis temporibus graviſſime vetitum fuiſſe, reliquias aut corpora ſanctorum ſuper altaria ponere, quod innuit jam S. Ambroſius in epiſtola 85. ad Marcellinam ſororem de SS. Gervaſio & Protaſio agens: *Succedant victimæ triumphales in locum, ubi Chriſtus hoſtia eſt, ſed ille ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt, iſti ſub altari, qui illius redempti ſunt paſſione.* Clarius vero rem explicat Anonymus in vita S. Servatii Tungrorum Epiſcopi, cujus reliquiæ juſſu Caroli M. e tumulo erant levatæ. *Ante altare*, inquit, *poſitæ ſunt. Necdum enim præſumi fas erat, ut quidpiam ſuper altare poneretur præter ſacrificium, quia menſa eſt domini exercituum.*

Mabillon. ſæc. III. præfat.

(f) Nihil prorſum de S. Matthæi Eccleſia a Spitignæo condita, aut iſthic depoſito corpore veteres. Breviter enim eadem ſupra laudata hiſtoria Translationis: *Riteque cunctis peractis ſolemniter feretro eam imponentes, eadem nocte usque Pragam pervenerunt &c.* Nec ſcio, quid hoc ſæculo Hagecius venit per *portam* ſuam *Hradczanenſem*, per quam illam veroſimillime intelligit, quæ hodie ibidem inter domos Comitum Würben & Trautmansdorf ſupereſt, at eam multo poſterius excitatam, & ſæculo XI. adhuc hic loci meras ſilvas fuiſſe non uno loco, ſuis annis proferendo, teſtatum eſt. Erat tum *Nova-Praga*, quæ hodie *minor* dicitur, multo anguſtioribus limitibus circumſcripta, Portaque Hradczanenſis dicta erat in vico hodie Spornergaſſen appellato ſupra Eccleſiam AA. RR. PP. Theatinorum, hoc ſæculo primum ſublata, cujus demolitionis innumeri pene ſuperſtites adhuc meminere. Quæ quidem quam longe remota ſit a ſacello S. Matthæi nemo non diſpicit, cui ſitus locorum cognitus. (g).

(g) Notatu digna adjuncta prætermisit Hagecius, quæ tam Anonymus in historia Translationis, quam Christannus narrat: *Vehitores siquidem ipsius* (S. Ludmillæ) *priusquam eam urbi inferunt, ad Principem bajulos boni nuncii premiserunt, qui venientes sopori eum* (S. Wenceslaum) *membra collocasse cognoverunt, eumque leti suscitantes tale ei gaudium intulerunt, quod omnipotente Deo favente corpus tante talisque matrone, avie videlicet, incorruptum invenissent, qui continuo surgens, Ecclesiamque cum summa alacritate properans, Christo domino grates immensas persolvit.* E cujus Ecclesiæ mentione procul dubio posteriores Ecclesiam S. Matthæi supranominatam effinxere. Sed legenti historiam Translationis Christannumque haud obscurum est cognoscere, hic Ecclesiam intelligi vicinam palatio S. Wenceslai, quam illa adhuc nocte accessit, cum lucescente primum die obviam sacro corpori processerit, ut itaque Ecclesia illa seu Teynensis seu Wissehradensis, seu S. Georgii fuerit, penes quas S. Wenceslaus curtem suam habuit. Negavit quidem Berghauerus in Proto - Martyre suo pœnitentiæ ante Wladislai II. tempora palatium Regium in Castro Pragensi exstitisse, at clarum habemus ex continuatione Cosmæ Viennæ edita Curiam Regalem pone Ecclesiam Omnium Sanctorum jam sæculo XIII. stetisse. Sic enim ad annum 1271. scribit: *Induxit etiam idem Dominus Decanus Czeczonem Judicem totius Regni Boh. ad construendum Ecclesiam omnium sanctorum, quæ sita est in exitu claustri versus Curiam regalem.*

(h) Falsus Hagecius, dum ait Translationis diem fuisse decimam Novembris, in quem errorem postea induxit Lupacium, Weleslavinum, Crugerium, posterioresque pene omnes. Argumentari id vero viri illi sunt ex solemnitate Translationis S. Ludmillæ, quæ ut olim ita & hodie decima Novembris celebratur. Alibi autem causam proferemus, cur decima Novembris primum de hac Translatione habeatur officium. Historia Translationis crebro laudata inventum esse corpus ait XIV. Kalendas Novembris, adeoque XIX. Octobris, translatum vero Pragam, ibidemque depositum XXII. Octobris. Sic enim loquitur: *Repertum autem corpus felicis & Deo devote famule Ludmille Beate XIV. Kalendas Novembris hora XII. feria II. Intulerunt eam feria VI.* E quibus verbis emendandus corruptus Christanni locus, qui doctissimos viros Bollandianos ancipites in definiendo anno reddidit. Nam ex hujus feriæ II. calculo anno 929. detegemus, hunc verum indubitatumque inventionis atque Translationis S. Ludmillæ annum esse.

(i) Peculiaria quæpiam ab Hagecio omissa narrat eadem historia Translationis Clementina: *Sole vero terram irradiante, jubareque tenebras, accito Clero, turbaque fidelium processione cum ingenti obvius* (S. Wenceslaus) *ire properat. Occurrunt autem & illi fideles geruli vehentes sepe memoratam glebam sancte Ludmille. Quam statim sacerdotes, levite alacriter suis imponentes humeris benedicentes Deum cum psalmis ac laudibus intulerunt urbi, Ecclesiamque ingressi coram altari in pavimento, strepitumque ingentem cum sonitu personare ingentem,* Sed hic mutilus est locus, corruptusque: Codex Metropolitanus Christanni vitam SS. Ludmillæ & Wenceslai referens, sic hanc ultimam orationem reddit: *Ecclesiamque ingressi coram altari pavimento statuere, strepitumque sonitu ingentem personuere.* Sed neque hoc modo obscuritas tollitur, si ea, quæ sequuntur, cum prioribus conferantur. Desiderari igitur hic aliquid, & verosimillime eum sensum historiæ fuisse mihi videtur: quod posteaquam corpus reverenter coram altari fuisset depositum, solemnitate Translationis absoluta portæ Ecclesiæ fuerint clausæ, scilicet ut tumulatio alteri cuicunque diei destinaretur. Interim vero *strepitum ingentem cum sonitu personare* auditum in Ecclesia, ad quem excitum populum concurrisse quid esset, quod eadem historia & Christannus persequitur: *Quod popularis tam fidelium, quam infidelium curiositas perscrutans, quod secum erant in unum congregati, Ecclesiæ januas pecierunt, consilio dehinc Princeps inito cum sacerdotibus coram cuncta plebe sanctam detegi mandavit, ut omnes fidem adhiberent, eam incorruptam servatam. Cuncti intuentes magnalia Christi indefessis vocibus extulerunt, nemoque veritati obsistere quibat, quia cunctis patebat, integritas corporis, ac firmitas capillorum, vultusque nitescebat, veluti in hac vita constitute, vestimentorum insuper pulcritudo, integritasque talis splendebat, ac si eodem tecta foret* (Christannus habet: *texta forent*) *die, quod universi perspicientes, preconiorum vocibus persultantes, omni eam honore ac laude dignissimam judicaverunt.*

(k) Dignissima relatu, quæ circa hanc depositionem & evocationem Episcopi Ratisbonensis contigerunt, prætermisit Hagecius, quæ ad annum 929. quo spectant, ex eadem historia Translationis referemus.

(l) Hæc Hagecii asserta quomodo conciliari possint cum vetustissima historia Translationis omnibusque Christanni codicibus non video. Præterquam enim, quod neuter mentionem faciat Ecclesiæ S. Catharinæ, uterque super tumulum ejus dicit Basilicam S. Michaelis Archan-

changeli locatam, & historia Translationis expressis verbis ait: eam domum prius fuisse, in qua, dum viveret, S. Ludmilla habitabat, quæ in basilicam S. Michaelis transformata est; ut ita his habitis vetustis documentis vix aliud judicium ferre liceat, quam Hagecium nimis credule civium hujus loci popularem traditionem secutum. Nam quo loco illi hodie (nempe ad S. Michaelem) sepulturam habent, ibidem secundum historiam veterem & Christannum S. Ludmilla tumulata fuit. Nec fortassis mirum longinquitate temporis, & præsertim grassante per duo sæcula apud nos hæresi notitiam veræ sepulturæ S. Ludmillæ fuisse deperditam. Nisi forte dicere libet: templum hodiernum S. Michaelis Archangeli non eo loco stare, quo vetus primumque positum erat, & veteri diruto, novum sub titulo S. Catharinæ tumulo S. Ludmillæ fuisse superstructum; nec tamen sic Hagecio velificabitur, qui non in ipso templo sed cœmeterio S. Catharinæ B. Ludmillam conditam scribit. Lectiones quidem novæ Breviarii Archidiœcesis Pragensis dicunt: *Cœmeterium autem Beatæ Ludmillæ jam in Ecclesiam conversum.* Sed nec hæc, neç superiora lectione I. cum hac historia veteri & Christanno conciliari possunt, dum ajunt: *Quamvis* (Beata Ludmilla) *per triennium in cœmeterio injuriis aeris expositio quievisset.* Secundum historiam enim veterem & Christannum non in loco injuriis aeris expositio, sed in domo sua, quæ jam a Drahomira in basilicam S. Michaelis Archangeli transformata est, tumulata fuit. In lectionibus vero sex antiquis Breviarii Pragensis de Translatione S. Ludmillæ omnia pene ad verbum consona sunt historiæ veteri Bibliothecæ Clementinæ & Christanni, in quibus nec de ara S. Catharinæ, neç de cœmeterio, nec de corpore injuriis aeris expositio verbum ullum. *Ad X. Novem. lect. 6.*

PRÆTERMISSA.

I. Sigebertus Gemblacensis editionis Pistorianæ hoc anno quidem Saxoniæ, Franciæ, Alsatiæ, & Alemanniæ per Hungaros vastationem, clademque eorum ab Henrico acceptam commemorat, sed locus hic perperam a quopiam sciolo in Chronicon Sigeberti Gemblacensis intrusus est, eo enim caret Codex vetustus, e quo editionem suam adornavit Eruditissimus Vir Martinus Bouquet T. VIII. scriptorum Rerum Gallicarum & Francicarum, & cum *prælium ad Merseburch* factum indigitet, plane sciolus hic prodidit, se se Chronologiæ ignarum fuisse, cum certum sit hoc prælium posterius accidisse. Corri-

gendi itaque ſcriptores quique Hungarici, qui Sigeberti editionem Piſtorianam ſecuti, ſeu prælium ad Merſeburch jam huic anno adſcripſerunt, ſeu irruptionem Hungarorum in Thuringiam geminarunt. Spectavit vero præſente anno Hungarorum vis Italiam, non Germaniam, quo a Berengario invitati erant, de qua Frodoardus: *Hungari actione prædicti Berengarii multis captis oppidis Italiam depopulantur.* Quod locupletius narrat Luitprandus: *Italienſes nunciis directis hunc* (Rodulfum Burgundionum Ducem) *ad ſe venire, Berengarium vero expellere petunt. Inter agendum autem contigit Hungaros Veronam his ignorantibus adveniſſe, quorum duo Reges Durſac, & Bugat amiciſſimi Berengario fuerant. Adelbertus denique Marchio, atque Odelricus Comes Palatii, Gilebertus etiam Comes pluresque alii dum in montem Brixianæ civitatis, quæ quinquaginta milliariis a Verona diſtat, conventicula ob Berengarii dejectionem haberent; rogavit Berengarius Hungaros, ut, ſi ſe amarent, ſuper inimicos ſuos irruerent. Hi vero, ut erant necis avidi, bellandi cupidi, a Berengario mox præduce accepto per ignotas vias a tergo hos usque adveniunt, tantaque celeritate illos confodiunt, ut nec induendi, ſumendique urma ſpatium haberent &c.* Ubi porro Odelrici cædem, plurium captivitatem, Marchionisque Adalberti calliditatem in declinando Hungarorum furore narrat. Quæ hic apponenda cenſui, quod plerique rerum Hungaricarum Chronographi hæc prætermiſerint, ac præter veterum indicia bellum quodpiam in Thuringia geſtum indicaverint.

Frodoard. in Chron. ad h. a.

Luitprand. l. 2. c. 16.

II. Wratislaum ſeu ſuperiore ſeu præſente anno gubernacula ſuprema univerſæ Bohemiæ ſuſcepiſſe perſuadet tum ſupra allatus Sigeberti Gemblacenſis locus, quo jam anno 921. ſucceſſor Spitignæi ſtatuitur, tum altum poſtea ubivis de Spitignæo inter veteres ſilentium. De Wratislao autem haud aliud a priſcis Chronologis noſtris proditum habemus, quam quod Spitignæo ſucceſſerit. Vita tamen antiquiſſima juſſu Ottonis II. ſcripta præter ſucceſſionem etiam ejus induſtriam in condendo Divi Georgii templo commendat. Verba hujus Anonymi ſunt: *Hujus* (Spitignæi) *interim laudabilis vite diebus honeſtorum actuum exemplo in Principatu ſe publico aſſenſu eligente ſucceſſit, fraternamque aſſecutus religionem victorioſo Athlete Beato Martyri Georgio baſilicam Deo dicandam Criſtiane credulus erexit.* Ex quo cum ſimilia narrat Chriſtannus ſubjungit: *Sed morte præventus ejus conſecrationem diu deſideratum minime perſpexit.* Procul dubio autem vix aliam ob cauſam *conſecrationem diu deſideratam minime perſpexit*, quam quia Boemos inter & Henricum Ger-

Mſ. Bibl. Mer.

Vita SS Ludmilæ & Wenc.

ma-

maniæ Regem simultas toto Wratislai regimine intercedebat, quæ tandem in apertas belli flammas prorupit. Ob quam simultatem seu Ratisbonensi Episcopo commercium cum Bohemis interdictum, seu ipse Wratislaus alio Episcopo destitutus Ratisbonensem Episcopum ad consecrationem accire refugit. Neque enim veritate nituntur, quæ Balbinus ex libro (quem vetustissimum appellat) torneamentorum refert, Wratislaum Henrici Aucupis hastiludia cum Boema nobilitate frequentasse, verba illius sunt: *Quanti Bohemam nobilitatem facerent Henricus Auceps ceterique Imperii proceres ac Principes demonstrarunt institutis ab eodem Henrico Aucupe Othonis I. magni patre ludis hastarum, post annum* 900. *sexaginta quinque ex nobilitate Bohema illustres viros* (*Galeas illi vocabant*) *admisere, quorum primus Wratislaus Bohemiæ Dux in illo nobilissimo agmine comparuit, & glorioſe decurrit.* Quem libri hujus torneamentorum authorem pridem sententiis suis confixere critici, & impostura convicere. Porro cum Christannus noster dicat Wratislaum *diu desideratum* consecrationem non perspexisse, ex verbis his argumentari licet verosimillime hoc ipso aut sequente anno Ecclesiam Divi Georgii ab eo fuisse conditam, cum admodum breve illius regimen fuerit, nec diuturnum desiderium de posterioribus annis rite explicari possit; ut is autem illam vivente fratre Spitignæo condiderit, nullus mihi persuadeo, quandoquidem Praga, quo loco hoc templum conditum est, semper in magni Primariique Ducis Bohemiæ portione erat, nec credibile sit Wratislaum potius in fratris, quam suis terris Ecclesiam construxisse.

Balbin. Epit. l. 2. c. 12. in notis p. 142.

ANNUS 923.

Henricus Imperator (a) præscius mortem sibi instare (b) Ratisbonam evocavit Principes Comitesque de Imperii negotiis tractaturus. (c) Ad ea Comitia invitatus quoque fuit Wenceslaus Dux Czechorum seu Pragensis, quem venientem magno honore excepit Cæsar. Conventus autem iste Principum Imperii eo potissimum fine indictus, ut de successore statueretur, Ottoque filius ab Hen-

Wenceslaus invitatur Ratisbonam ad comitia.

Henrici morte Regnum acciperet, prout & deinde accidit. Itaque cum in hoc congreſſu Imperii Imperatorisque negotia ipſos quatuor & viginti dies diſcutiuntur, & Cæſar pro more quotidie cum Principibus ordine ſuo locatis ſublimi ſolio medius reſidet, contigit forte, ut quodam die Dux Wenceslaus (quod pro pietate ſua Eccleſias noctu perambulans precibus conſuetis moras longiores traheret) ad Comitia venire tardarit. Advenerat jam autem Cæſar, reliquique Principes ſinguli ſingulis conſedere exedris, cum Henricus animadvertens abeſſe Bohemiæ Ducem, Imperiique negotia ob ejus abſentiam produci, offenſus ea mora ſub pœna indignationis Imperatoriæ edixit, nequis tardanti Bohemo aſſurgeret, neve ullam venienti honoris ſignificationem exhiberet. (d)

Quo edicto propoſito ſimul Comitiorum cauſæ inchoantur, ſimul Wenceslaus palatii portam aperiens ingreditur, conſiſtitque, (e) quem ut primum obſervavit Imperator, ocyus ſolio conſurgens obviam venienti proceſſit, multaque veneratione exceptum ad imperialem ſedem deduxit, ſeque infra locavit, (f) quod Imperii Principibus tantam Cæſaris mutationem atque inconſtantiam intuentibus admirationi non eſſe non poterat. Eo vero ſitu ad veſperam usque de diverſis Imperii rebus deliberatum. Poſtera luce dum Principes, uti pridie, in Comitio frequentes adſunt, iterumque præſentia Wenceslai deſideratur, percontantur ex Cæſare, quamobrem heri contra ſuum graviſſimum edictum ipſe ſummum inſuetumque honorem Bohemo de-

Ad Imperialem ſedem ab Henrico deducitur.

detuliſſet. (g) Ad ea Henricus: „ Vidi ego, quod fortaſ-
„ ſe vobis intueri negatum erat, vidi, inquam, frontem
„ Wenceslai Comitium ingredientis aurea cruce coruſcam,
„ duos item utrinque angelos latus ejus ſtipantes, dumque *Angeli ſtipant latus Wenceſl.*
„ ille conſiſteret, animadverti hos cœleſtes comites ſublato
„ digito mihi cominantes. (h) Sacro itaque quodam horro-
„ re attonitus non potui non illi primas ſedes deferre, cum
„ hominem ſanctiſſimum tot proderent indicia. „ (i) Eo-
dem die Cæſar Wenceslaum ad menſam vocatum denuo ſuo ſupremoque loco accumbere juſſit, & cum remotis menſis hoſpiti Imperiales theſauros oſtendiſſet, rogavit impenſe, vellet in veræ amicitiæ theſſeram de regia gaza promere, quidquid animo collibuiſſet. Cum autem continentiſſimus Princeps nec auri ſe, nec argenti, gemmarumque pretio egere dixiſſet, inſtabat precibus Cæſar, ut ſaltem in memoriæ pignus quidquam ſumeret. Circumlatis Wenceslaus oculis cæteras inter opes brachium S. Viti clariſſimi *Petit brachiū S. Viti.*
Martyris argento indutum conſpexit, eo ſe donari efflictim petiit. (k) Neque Henricus in mora fuit, ſtatimque ſublatum deoſculatus magna cum veneratione Wenceslao porrexit, & ille non minore reverentia ſuſceptum tertio die, vale dicto Cæſari atque Principibus, in Bohemiam deportavit. (l) Pragam porro ut rediit, continuo religioſiſſimum atque auguſtiſſimum eidem ſancto templum cum ſublimi ce- *Condit templū Divo Vito.*
notaphio condere orſus, (m) in eo venerabile, quod diximus, brachium depoſuit, evocatumque per legatos Wolfgangum Ratisbonenſem Antiſtitem, ut eam ædem Deo, Divo-

que Vito ſacraret, oravit. (n) Nec moratus eſt Præſul, legatis enim extemplo ſe junxit comitem, Pragamque acceſſit, ubi a Duce ea, qua par eſt, obſervantia exceptus fuit. (o) Una ſtatim ſub adventum erat Wenceslai deprecatio, ut Antiſtes quantocyus Chriſtiano ritu hanc novitiam Eccleſiam dicaret, cui Præſul: „ Nihil, inquit, precibus „ opus piiſſime Princeps, ultro faciam, quod alioqui divi- *Quod S Wolfgangus conſecraverit.* „ no juſſu faciendum mihi incumbit. Nuper enim admo- „ dum cœleſti oſtento didici ædem hanc ab ipſo Chriſto ſum- „ mo ſacerdote Deo meo benedictam & ſanctificatam, di- „ xitque ad me dominus: Perge Pragam, & *abſolve bene-* „ dictionem meam. Nam illa Beati Viti *baſilica totius* „ Bohemiæ caput erit, eritque cathedra Præſulum, ſedes- „ que Archiepiſcoporum. „ (p) Itaque Eccleſia hæc S. Wolfgango conſecrationem debet. (q)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXIII.

JOANNIS X. PAPÆ 10. HENRICI GERM. REG. 5. WRATISLAI 2. TUTONIS *Epiſ. Rat.* 30.

(r) Henricus quemadmodum vitæ ſuæ tempore Romam non venit, ita quoque Imperator nunquam fuit. Non enim eo ævo ullus Imperatoris nomen ferebat, niſi qui Romæ a ſummis Pontificibus coronaretur. Id jam Benevenutus de Rambaldis in libro Auguſtali p. 11. animadvertit. Nec obſtat, quod Witichindus aliique veteres ſynchroni illi nomen Imperatoris impertiantur, quod in militari magis, quam politica ſupremæ poteſtatis ſignificatione accipiendum eſſe monet Hahnius. Laurentius Hochwartus tamen in Epiſcopis ſuis Ratisbonenſibus conatur Henrico Imperatorium nomen poteſtatemque vindicare ex textu diſt. 63. quo loco dicitur *Conſtitutio primi Henrici*

Reichshiſtorie in Henrico L. 5. 10. p. 39.

& primi Ottonis cum Romanis Pontificibus &c. At vero ſeu verbis his Henricum ſanctum, qui paſſim Italis primus audit, intelligi, ſeu nihil obeſſe, quo minus Henrici Germaniæ Regis quædam conſtitutiones receptæ ſint, peritiores quique juris ſentiunt. *Hochwart. l. 2. c. 19.*

(*b*) Peſſime Hagecius Chronologiam conciliavit, cum jam hoc anno Henricum moriturum, & de filio ſucceſſore tractantem inducit, cum hæc initia imperii ſui fuerint, conſtetque id annis duodecim poſterius accidiſſe.

(*c*) Nuſpiam legitur ab Henrico præſente anno Ratisbonæ Comitia ſeu placitum celebrata fuiſſe, imo ne poſterioribus quidem annis.

(*d*) Dalemilus id ſub pœna capitis interdictum fuiſſe ait, quem ſecutus eſt Joannes de Novo-Foro Ep. Litomiſl. & Olomucenſis, cujus verba ſunt: *Imperator ira permotus tale coram univerſis Principibus propoſuit edictum: ſi quis Duci Bohemorum in conſilio locum, cum intraret, daret, aut aſſurgeret, capite illico plecteretur.* *Vita Mſ. S. Wenceſl.*

(*e*) Joannes de Novo-Foro id accidiſſe perhibet tertio ab edicto die.

(*f*) Ejusdem Joannis de Novo-Foro verba ſunt: *Auguſtus vero ſolus cæleſti virtute perterritus ſurrexit, & occurrens propere ſuſcepit benigniſſime, tenensque manum blandiſſime ad ſolium duxit Imperiale, ſecum illum flagitans recumbere.*

(*g*) At vero idem author ait: Henricum vehementer objurgatum a Principibus, quorum furorem ut mitigaret, factum ſuum cæleſti viſione purgaſſe.

(*h*) Toties laudatus Epiſcopus Litomiſlienſis & Olomucenſis ait: *Vidi illum a duobus ferri Angelis, qui pedes ejus terram tangere non ſinebant: vidi vultum ejus ſuper claritatem ſolis reſulgentem: vidi in fronte ejus imaginem ſanctæ crucis luce incomparabili coruſcantem.* Dubravius addit: Moguntinum Archiepiſcopum a Cæſare interrogatum negaſſe, ſe quid ſimile vidiſſe. *Dubrav. l. 8.*

(i) Vita S. Wenceslai e codice Trebonenſi addit: *Quo audito Principes univerſi ſanctum Dei in reverentia maxima plusquam more ſolito habuerunt, & qui prius ad confuſionem locum ei denegare volebant, jam quidem primario ſuo aſſurgentes locum ſublimiorem offerebant.* Scilicet relatis Dalemili, qui primus omnium hiſtoriam hanc protulit, poſteriores quique, ut collibitum erat, addidere, detraxere, imo hic atque illic ejus narrata immutavere. Dubravius enim præterea S. Wenceslaum in ejusmodi Comitiis Regem appellatum, & aquilæ inſignibus donatum tradit. Prætermiſere vero omnes vitæ vetuſtæ S. Wenceslai & Ludmillæ omnem ſeu Comitiorum, ſeu viſionis Angelicæ commemorationem; nempe vita juſſu Ottonis II. ſcripta, item duæ aliæ vitæ in eodem Codice Metropolitano exſtantes, nec non Chriſtannus & Laurentius Monachus Caſſinenſis. Poſt Dalemilum tamen id aſſumſit Pulkava, Marignola, Æneas Silvius, nec non omnes vitæ S. Wenceslai poſterius ſcriptæ, videlicet ea, quæ a Carolo IV, a Joanne de Novo Foro, & Anonymo Trebonenſi concinnatæ ſunt. Nos quanquam miraculi hujus & hiſtoriæ fidem impugnare nolimus, at certum contra Hagecium ſtatuimus, id nec hoc anno nec in Comitiis Ratisbonenſibus accidere potuiſſe, cum necdum S. Wenceslaus ad clavum Ducatus Bohemiæ admotus fuerit, nec de placito Ratisbonæ toto Henrici imperio celebrato quidquam teſtatum habeamus, & Arnulpho ſupremam veluti poteſtatem Henrici indulgentia in Bivaria tenente, vix credibile ſit Comitia iſthic ab Henrico fuiſſe indicta. Dalemilus primus hujuſce narrationis prolator ſat circumſpecte rem ſcripſit, cum nec nomen Imperatoris, nec locum prodidit, quæ cum poſteriores conjecturis aſſequi vellent, alii ad Henricum alii ad Ottonem I. retulerunt, alii Comitiorum locum cum Hagecio Ratisbonam, alii cum Dubravio Wormatiam, alii Erfordiam, alii Aquisgranum deſignant, quorum tamen ſingulæ opiniones ſententiæque tot difficultatibus implicantur, ut merito hæreas vel unam earum amplecti. Eruditiſſimus Continuator operis Bollandiani, qui pene ſingulorum ſcriptorum noſtrorum ſententias ſollicite retulit, exhauſitque, ſubjungit tandem: *Ut tandem mentem meam candide edicam, ob iſtud antiquicrum, Chriſtanni inprimis, ſilentium omnino impellor, ut credam, ea, quæ de regia dignitate, inſignibus aquilæ, immunitateque Bohemiæ S. Wenceslao propter cœleſtem angelorum crucisque viſionem conceſſis a recentioribus tam varie ſcripta circumferuntur, dudum poſt ſancti Ducis tempora ab incerto auctore primum tradita, avideque, ut in ſimilibus frequenter contingit, arrepta apud Bohemos, non tamen omnes, fidem in-*

Mſ. Bibl. Trebon.

Dalemilus c. 29.

Dubrav. l. 5.

Acta ſanct. ad 28. Sept. §. 6. n. 115.

invenisse. Num Regiam dignitatem, & clypeum aquilæ S. Wenceslaus acceperit, ad annum 935. excutiemus, cum eo anno Erfordiæ Henricus placitum tenuerit, in quo S. Wenceslaum comparuisse contendit Pessina prolatis nonnullis veteribus Chronicis, sed erronee.

(*k*) Rursus tacentibus omnibus veterioribus hanc de thesauro, & brachio S. Viti Divo Wenceslao donato narrationem protulit idem, qui supra Dalemilus, in quo amplificando, adjunctisque exaggerandis mire variavere posteriores. Anonymus vitæ S. Wenceslai scriptor sæculi XV. e codice Trebonensi etiam historiæ huic visionem cœlestem, & aliud miraculum adtexuit: Verba sunt: *Dalemil. c. 29.*

Post celebrationem autem curie supradictæ, singulis Principibus ad sua redeuntibus Imperator sanctum Dei aput se retinuit, & seorsum alloquens hortabatur eum, ut postularet ab eo quitquit sibi videretur expedire. Dux vero sanctus deliberandi inducias impetravit, quidnam petiturus esset multis obsecrationibus Domino Deo committebat. Pernoctante igitur illo in oratione: ecce sanctus Vitus apparuit ei, hortans eum, ut brachium ipsius, quod in potestate ipsius Imperatoris erat, postularet. Dux vero sanctus ingenti gaudio perfusus Imperatorem aggreditur, predictas reliquias petiturus. Hic dicta vero peticione ipsius contristari Imperator vehementer cepit, quia ad reliquias sancti Viti etiam ipse Imperator speciali devocionis ducebatur affectu. At promissum suum minime irritum faciens, ducit sanctum Dei ad capsam, in qua omnes reliquie incluse servabantur, sciebat enim Imperator reliquias sancti Viti inferiori loco capse repositas, super quas omnes alie reliquie posite servabantur. Aperta autem capsa ecce Imperator dat licenciam eligendi brachium unum, quod magis placuerit, tali tamen conditione, ut si in prima vice brachium sancti Viti non acceperit, Imperator promissi liber permaneat. Vir autem sanctus oratione fusa capsam agreditur: & ecce brachium S. Viti super omnes alias reliquias miraculose elevatur. Quod Vir Dei cum magna devocione arripiens Deo & sancto Vito, nec non Imperatori multas referebat gratiarum actiones. Quorum similia pene cum prior illo jam narrat Joannes de Novo Foro, ait: *Cæsare aspiciente brachium B. Viti se mox contra Ducem eximium cepit flectere, & quod hoc esset, quod ipse desiderabat, evidenter ostendere.* Dubravius præterea memorat etiam reliquias S. Sigismundi Burgundiæ Regis fuisse a S. Wenceslao petitas, inde Goldastus commentus S. Wenceslaum pro brachio S. Viti brachium S. Sigismundi accepisse. *Mss. Bibl. Trebon.* *Vita S. Wenc. Mss.* *Dubrav. l. 5.*

(*l*) Id anno 935. accidisse contendit Pessina ex Martyrologio pragensi veteri; at vero annum hunc a posteriore nonnemine fuisse *Pessina Rad. 1. p. 5.*

intrusum suo loco ostendemus. Porro Samuel Wenceslaus Hattasch Decanus Chrudimensis in Scintilla sua Evangelica Pragæ anno 1672. vulgata ait: ideo S. Wenceslaum expetiisse reliquas S. Viti, ut cultum idoli SUANTEVIT apud Bohemos antiquaret, & affinitate nominis honorem, quem hactenus Witkoni seu Suantevito Bohemi deferebant, in S. Virum transferrent. Hinc narrat ex Venerabili Chanowsky S. Wenceslaum permisisse, ut nigrum gallum gallinaceum, alias idolo suo sacrificari solitum, Divo Vito Martyri offerrent, ex eo ritu vero consuetudinem inoleviſſe, ut adhuc ævo suo in metropolitana Pragensi Ecclesia quique homines pietatis magis studiosi annue in festo ejusdem sancti ejusmodi nigros gallos ad aram maximam deponerent, hancque ipsam haud aliam causam fuisse, quod passim niger gallus gallinaceus effigiei S. Viti appingi soleat. Verum Clarissimi Viri Bollandiani aliam verosimiliorem causam autumant, sic enim commentantur: *Præter rationes nobis ignotas impellere ipsum potuit celebre S. Viti nomen cultusque in Saxonia & reliqua Germania maxime Corbejæ, propter ejusdem reliquias sub Ludovico Pio Imperatore e Francia illuc translatas.* Sane Carolus IV. in vita S. Wenceslai scribit jam multo prius Suatopluci tempore Welehradii in Moravia Ecclesiam titulo S. Viti fuisse nobilitatam, scilicet eam ipsam, in qua Borzivogius baptizatus fuit. Quo fortasse opinio, quam multo prius attulimus, confirmari potest: vocabulum *Suatopluk* nihil aliud quam *sanctum puerum* id est S. Vitum connotare.

In Scintilla. Evangelica Thesaur. 16.

Vestigium Bohem. pie c. 2. p. 72.

Acta sanct. ad 28. Sept. § 7 n. 118.

(*m*) Ecclesiam hanc eodem anno 935. quo allatas Pragam S. Viti reliquias perhibet, Pessina conditam vult; verum haud alio anno quam 933. consecratam fuisse, ad eum annum ostendemus.

(*n*) Magnoopere hallucinatus Pulkava, qui primus id ad S. Wolfgangum refert, cum ille hoc tempore vix natus aut pueritiam ingressus sit, & post quinquaginta facile annos primum Episcopatum Ratisbonensem indeptus sit. Pulkavam vero perperam secutus Æneas Silvius, Hagecius, aliique. Tutonem ab anno 894. usque 930. seu 931. sedi Ratisbonensi præfuisse jam supra ad annum 894. testatum fecimus, quanquam nec is, sed successor illius Isangrinus Pragensem S. Viti Ecclesiam consecraverit, ut suo loco palam faciemus.

Pulkavæ Mſ.

(*o*) Vita S. Wenceslai jussu Ottonis II. scripta Tutonem Episcopum Ratisbonensem nominat, ad eum enim legatos missos ait. Ver-

Mſ. Bibl. Mon.

ba

ba sunt: *Vir Deo carus voto salutari propositum obligavit, se Deo donante Ecclesiam nobili operum artificio constructurum, Christi eam, victoriosique Athletæ ejus Beati Viti Martyris honori dicandam. Nec mora instat impiger factus, fervens autem propositi, missis Ratispone sedis Regie legatariis, Tutonem Episcopum tocius probitatis virum supplici rogatu, quo idem opus Deo sacrandum ejus licentia & assensu fieret, implorat. Dato juxta Beati Ducis votu ab Episcopo permissu, remissisque caritate nunciis artifices ipse celeri jussione convocat, fervet opus, labor impaciens effulget, Ecclesia ad perfecti ornatus extremam manum perducitur, miroque metallorum fulgore decorata exornatur. Invitato jam dicto Episcopo in honore sancti Viti Martyris consecratur.* Ubi verba *dicto Episcopo* solum ad *Ratisbonensem* respicere videntur, non item Tutonem; nam ab Isangrino consecratam verosimillime fuisse anno 933. ostendemus.

(*p*) Hæc ex Pulkava & Ænea Silvio non tam exscripsit, quam argumentatione quadam deduxit Hagecius, illi enim Ecclesiam jam divinitus dedicatam innuunt, de quo tamen apud vetustiores Pulkava & Ænea Silvio ubivis silentium. Profluxere autem hæc Pulkavæ verba ex non recte intellecto Christanni & alterius Anonymi Vitæ S. Wenceslai scriptoris loco, qui posterior ita inquit: *Eo namque tempore cogitavit templum ædificare domino, & per nuncios suscitavit urbis Ratispone Episcopum religiosum nomine Tutonem dicens: Pater meus edificavit templum domino Deo, ego autem cum tua licencia similiter opto condere Ecclesiam Domino Deo in honore sancti Viti. Episcopus autem Tuto expandit manus suas cum gratiarum actione ad Dominum ovans & dicens: ite narrate filio meo felici Wenceslao dicentes: jam Ecclesia tua constat ante Dominum Deum venustissime constructa.* His simillima adfert Christannus. Quibus verbis quis non videt figuram anteoccupationis fuisse a Tutone expressam, qua nihil aliud dicere voluit, quam sancti Wenceslai voluntatem de condenda Ecclesia S. Viti ita esse acceptam Deo, quasi jam in opus fuisset redacta, atque ante conspectum divinum constructa exstaret. Ex hac vero paululum obscuriori sententia posteriores Ecclesiam S. Viti a Christo dedicatam fuisse adstruxerunt, quo in argumento acerrimum propugnatorem se præbuit Balbinus, qui ab exemplis pluribus conatur rem evincere alias quoque Ecclesias a Christo ipso fuisse consecratas. Sed quæ Doctissimorum Bollandianorum, qui argumenta omnia diligentissime expendere, circa hoc judicium sit, quidve de Balbini assertis sentiant, audire libet: *Quod de ejusdem* (Ecclesiæ S. Viti) *per ipsum Christum dominum consecratione passim tradunt Bohemiæ scriptores, æterna sane memoria dignum foret*

Mſ. Bibl. Metrop. incipiens: Crescente fide Christiana.

Balbin. Epit. l. 1. c. 10. p. 89.

Acta sanct. ad 28. Sept. §. 7. n. 125.

Ibidem n. 127. *ret, si satis firmo testimonio, aut monumento niteretur.* Et postea: *Inficiari nolo Pragensem S. Viti Ecclesiam ex singulari privilegio a Christo consecrari potuisse; nec inquiro, an omnia exempla a Balbino producta satis certa & contestata sint; sed ut id Pragensi Ecclesiæ factum credam, certiores vades requiro, quam quos allegavit Balbinus.* Denique: *Silvius ea referens utitur voce* ferunt, *quæ adhiberi solet, dum non satis comperta narrantur.*

(*q*) Quin Ecclesia S. Viti consecrationem suam debet Isangrino Ratisbonensi Episcopo, ut postea videbimus. Ceterum non prætermittendum hanc ipsam Ecclesiam a Glabro Rodulpho vocari *Ecclesiam sancti Martyris Vitiscodi*; de S. Adalberto enim loquens inquit: *Adalbertus ex provincia, quæ lingua Sclavorum vocatur Bebem in civitate Braga regens Ecclesiam sancti Martyris Vitiscodi.* Quam postremam vocem in codice corruptam credidit Mabillonius, qui sæculo V. Benedictino hanc vitam edidit. At vero vox hæc ex diminutivo Slavico *Vitirko* (quasi dicas *Vitellum*, seu *parvulum* item *pucrum Vitum*) efformata est, e qua postea etiam per compendium nomen *Vitko*, quod crebro in historiis nostris occurrit, enatum est. Quam vero in ejusmodi diminutivis ex singulis substantivis adjectivisque efformandis locupletior omnibus ceteris linguis sit Slavica seu Bohemica, quamque ejusmodi diminutivorum studiosa gens nostra, jam alibi persecuti sumus.

Hist. sui temporis l. 1. *c.* 4.

PRÆTERMISSA.

I. Ad hunc annum Chronicon Salisburgense scribit: *Arnoldus Dux in Boemiam cum exercitu vadit.* Bernardus quidem Noricus & Vitus Arnbekius in Chronico Bajoariorum l. 3. c. 19. hanc Arnoldi seu Arnulphi Bajoariæ Ducis expeditionem jam ad annum 921. Goldastus vero ex Aventino ad annum 922. reponit, sed in hac Chronologiæ discrepantia primæ Salisburgc. si Chronico merito deferendæ sunt, quod jam ordiente sæculo XII. scribi cœptum tradit Hieronymus Pezius, ac proinde superiorum authorum ætate est antiquius. Ut vero ab hoc Chronico nihil præter nudam Arnulphi expeditionem in Boemiam annunciatur, ita nec in nostris, nec exteris historiis ultra proditum est, quamobrem nempe hæc expeditio susceptа sit, quo exitu absoluta, ea ne contra Wratislaum Ducem Bohemiæ, an aliquem regulum Ducemque finitimum adornata sit? nihilominus posteriores quique confidenter de re pronunciare ausi. Goldastus enim citato loco Arnulpho

Hier. Pez. T. I. p. 308. *Idem T. II. p.* 68. *Goldast. l.* 2. *c.* 3. *p.* 159.

pho adjungit Henricum, & Ducem gentemque Bohemorum ſub obſequium Cæſaris redactos ait. Verba illius ſunt: *Henricus Rex cum Arnulpho Bavariæ Duce in Bohemiam profectus Ducem gentemque Bohemorum ad obſequium redegit.* Goldaſt. cit. l. Stredovskius ex noſtris cum colloquium illud Henricum inter & Arnulphum multo ante ex Aventino prolatum tanquam rem certiſſimam deputaret, legeretque ibidem Henricum inter pluriuas gentes etiam *Marcomannos* Arnulphi poteſtati permiſiſſe, arguit Goldaſtum erroris, qui hoc Arnulphi bellum perperam ad Bohemos detorſerit, cum *Marcomannorum* nomine indigitentur Moravi, atque ad eos hæc pertineant. Narrat igitur hac Henrici facta Moraviæ ceſſione multum exacerbatos Moravos. Sed quid afferat author hic, verbis illius cognoſcere libet: *Cum majores, inquit, in Moravia aſſurgerent motus, jamque etiam Provinciales ſibi delegiſſent Principem, qui violatam ab Henrico Rege propugnaret avitam Regni libertatem: aſſumto Henricus Arnulpho Duce, ſuas cum Bavaricis educit ad ſubjugandam Moraviam copias. Quibus tamen Moravos in ordinem redegiſſe minime credi poteſt: ſed amica potius tranſactione ſibi offenſos reconciliaſſe videtur - - - Detulerant paulo ante Moravi ad Conradum Imperatorem Regni ſui faſces, & eo vivis erepto, Henricum in imperio ſucceſſorem communi votorum conſenſu ſibi quoque præeſſe exoptarunt, non ut leges libertatis amitterent, ſed ut eas ſub auſpiciis Germani Cæſaris conſervarent. Henricus tamen primò dominatus ſpatio cum Moraviæ regnum hactenus liberum nuſpiam ſibi armis aſſertum, ſed ſpontanea popularium acceſſione obtentum vellet in beneficium cedere Arnulpho Bojorum Duci, graviter publicam regni infringebat incolumitatem. Ideo ubi injuriam hanc Moravi, ſuæ defectionis cauſam Cæſari in patriam armato ruenti allegaſſent, haud juſte potuit æquiſſimus alias Princeps, libertatis avitæ jura tuentes citra omnem eorum delicti titulum invitos cogere armis in clientelare Arnulphi obſequium. Ergo ut agnitam injuriam expiaret beneficentia, cohibito milite, paceque oblata ſtuduit Moravos ſuis expugnare gratiis. Quo cuneo ceu libera gente dignißimo facillime ſibi lucratus eſt offenſorum animos.* Quibus in areolationibus fruſtra vel ſcintillam veritatis hiſtoricæ quæras, nec enim, ſi alia taceam, unquam ſeu Bohemi ſeu Moravi ſe Conrado ſubmiſere, ut ſupra teſtatum fecimus. Stredovsky l. 5. c. 2. p. 476.

II. Quod aliqua ratione ad hiſtoriam patriam ſpectare videtur: hoc anno plurima Chronica cum Reginonis Continuatore narrant: *Pretioſiſſimus theſaurus ſanguinis domini venit in Augiam VI. Idus Novembris.* Hoc theſauro poſtea ſæculo XIV. donata eſt a Carolo IV. Metropolitana Pragenſis Eccleſia, quod ipſe Carolus diplomate anno 1354. die IV. Contin. Regin. Herman. Contract. a. h. a. Marianus Scotus. Sigebert. Gemblac.

IV. Januarii ad ordines Regni Bohemiæ Moguntiæ ſub aurea bulla dato & proprii ſubſcriptione nominis teſtatur. Diploma hoc integrum adhuc exſtat in Archivo Reverendiſſimi Metropolitani Capituli, quod mihi oculis ſpectare manibusque tractare licuit, in quo maxime Piiſſimi Caroli noſtri ſcripturæ elegantiam miratus gaudioque exoſculatus ſum. In hoc inclyto inſtrumento Carolus IV. formam harum reliquiarum, & quo pacto ad occidentale Imperium pervenerint, enarrat. Pauca, quæ ad rem præſentem pertinent, exſcribere juvat: *Deinde* (inquit Carolus Imperator) *in monaſterio majoris Augye, quod ab Auguſta potentia nomen accepit, tales ſumus reliquias aſſecuti; videlicet medium partem crucis concave, in cujus una planicie imago Beatiſſime Virginis in modum crucis inventur extenſa, ſuper cujus capite apparet una manus quaſi de ſuperioribus benedicens: in cujus concavo ſanguis domini noſtri fuit reconditus. Quam quidem crucem Aſam urbis Hieroſolymitane Prefectus magno Imperatori Carolo per manus Hubaldonis dicti loci Abbatis, & Hunifridi Ducis Iſtrie legitur tranſmiſiſſe.* Ubi autem a Caroli M. tempore aſſervata fuerit, & unde hoc anno Augiam pervenerit, nihil teſtatum. Legitur quidem de ſanguine Chriſti Mantuæ tempore Caroli M. reperto in Annalibus Francofuldenſibus ad annum 804. ibidemque dicitur Carolum ejuſce veritatis eruendæ cauſa legationem miſiſſe ad Leonem ſummum Pontificem. An tamen is, an alius fuerit, ignotum.

ANNUS 924.

Inter hæc crudelis Drahomira exagitata dolore amiſſæ poteſtatis, & ſuperſtitionis ſuæ quotidie ad minores vires recidentis, contra rei Chriſtianæ perpetuis incrementis efflorescentis, clanculum inſidias animo agitat, ut filium Wenceslaum e medio tollat. Divertit illa aliquando ad inferius caſtrum, quod mariti ſui Wratislai erat, ibique filium Wenceslaum reperit; mox aſtuta mulier vulpem induta omnibus materni affectus lenociniis filio obviam it, religionem Chriſtianam præter morem laudibus ſuper cœlos ex-

extollit, quantoque desiderio percipiendi baptismi arderet, mendaciter expromit. Inter hæc medicata pocula, qualia olim Wlasta adhibuerat, e sinu explicans, barbara venefica Wenceslaum ad bibendum exstimulat. (a) Verum ille spiritu divino actus, hac orationis acrimonia matrem fraudulentam arcet: „ Scio, inquit, mater! scio, me tibi lucem „ hanc, qua fruor, debere, sed non sum quoque nescius „ consiliorum tuorum, quæ me vita, quam olim dedisti, privare meditaris. Necdum adest tempus, ut voluntati „ tuæ velificetur. Facesse hinc, & pace, quam reliquis „ vitæ tuæ diebus integram cupio, inperturbata fruere. „ (b) Exasperata magis hoc frustrato eventu vesana mulier, ethnicos clientes suos ad Boleslaum natu minorem filium mittit, monens, ut quod illa nequivisset, is quaqua demum via exequi conaretur. Hunc inter nudati sceleris ruborem, ingentesque animi furias jurejurando se impotens sui obstrinxit femina evolaturam illico ad patris sui busta, (c) & holocausti instar Diis suis omnium Christianorum excidium lituram pacturamque. Carpentum itaque furibunda insiliens, aurigæ; qui e Christianorum grege erat, mandat, Luticium se celeriter defetat. Vicus erat supra Pragam castro Pragensi S. Viti contiguus Pohorzelecz appellatus, eratque tum in eo ædes Divo Matthæo sacra statis sacrificiis religiosa. Huc cum citatioribus equis damnabilis mulier adveheretur, plane accidit, ut sacerdos sacris operans verbis Deificis panem vinumque in Christi corpus transmutaret: Rhedarius itaque audito forte in illa, qua diximus, æde tintinnabuli

Drahomira S. Wenceslao venenum propinat.

Fruſtratur.

Luticium profiscitur.

ſono confeſtim ab equis deſilit, poſitoque humi ſtimulo ad templi veſtibulum properat, ſublimem ſui inter ſacerdotis manus Deum ſuum veneraturus. Tum enim vero extreme furere infelix mulier, maledictis inceſſere Chriſtiana ſacra, blaſphemis faucibus cœlum terrasque fatigare, adeo ut ejus vociferatio vel ædis internæ parietes percelleret. Res horrenda dictu, rarumque divinæ ultionis exemplum! cum auriga ad rhedam ſuam properat, momento temporis terribili hiatu ſub pedibus diſrupta tellus muliebre ſcelus cum equis curruque hauſit, (d) emiſſaque ſulphurea igni permixta nebula coit, perinde quaſi functa officio, debitoque ſibi piaculo exſatiata. Illud permirum, quod felici rhedario ne ſuus quidem ſtimulus periit, repertus pone locum, quo labes facta, terraque deſedit. At vero ille in genua provolutus Chriſto gratias egit, qui ſe ex tam horribili diſcrimine eripuiſſet. Sacerdos peractis ſacris cum cetera Chriſtianorum turba accurrens adhuc trementem palpitantemque terram deprehendit, atque terribiles gemitus dirosque ejulatus ab imo audiit. (e) Locus iſte diu mortalium generi exitioſus fuit, atque execrabilis, ea de cauſa multa trabe præſeptus, quod ii, qui eum temere calcaviſſent, illo die maledictionis reatum, aut quod ſcribunt alii, ignominiæ notam non evaderent. (f)

Abſorbetur a terra.

Locus hodie oſtenditur.

Verum hæc omnia multo aliter, atque geſta fuere, nunciata ſunt Boleslao: matrem enim a Wenceslao per inſidias occiſam, atque in barathrum deſtinato paratum cum equis & curru præcipitatam, denique ingeſta deſuper humo obru-

obrutam falsus rumor spargebat. Quod nuncium tantam fidem apud Boleslaum reperit, ut furore accensus se facinus hoc adversus fratrem ulturum jurejurando devinxerit. (g)

Aliter hæc referuntur Boleslao.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXIV.

JOANNIS X, PAPÆ 11, HENRICI GERM. REG. 6, WRATISLAI 3. TUTONIS *Ep. Rat.* 31.

(a) Hæc venenati poculi propinatio etiam picturis quibusque vitam S. Wenceslai repræsentantibus hodie expressa conspicitur. At silent de ea omnes veteres, adeo ut ne Dalemilus quidem fœcundus ejusmodi rerum institor rem narret. Ante Hagecium hactenus reperi neminem hæc commemorantem. Recte igitur summa doctrina conspicui Viri Bollandiani: *Partim fabulosa apparent, partim certe falsa sunt, quæ Hagecius ad annum 924. de structis a Drahomira insidiis enarravit.*

Acta sanct. ad 28. Sept. n. 147.

(b) In exilium extra Bohemiam deportatam Drahomiram referunt veteres, nec prius rediisse, quam a S. Wenceslao revocata fuisset. Sic enim Christannus: *Sed quoniam timore casto, qui permanet in seculum seculi plenus erat* (Wenceslaus) *memor preceptorum divinorum, quibus patrem honorare debemus & matrem, eam rursus tempore elapso reduxit.* Id autem factum fuisse, cum odium fratris Boleslai adversus Wenceslaum cœpisset, narrat Anonymus Trebonensis. Certe Hagecius ipse anno 921. refert Drahomiram Stachovium relegatam, nec reditum illius uspiam adnotavit.

(c) Pessina addit Drahomiram ad fratrem suum Drugoslaum excurrisse, qui Drugoslaus nemini quoque ante Pessinam cognitus.

(d) Neque de hoc tragico Drahomiræ casu veterum ullus ante Pulkavam verbum: Pulkavam totidem pene verbis exscripsit Carolus IV. in vita S. Wenceslai, verba illius sunt: *Velut Dathan & Abyron a terra absorpta est in publica strata ante castrum Pragense versus occidentalem plagam, prout per vestigia telluris usque in hodiernum diem cernitur.* Quod dein

etiam secutus Æneas Silvius ceterique posteriores. At vero Christannus innuere videtur Drahomiram morte naturali obiisse, sic enim ille de reduce ab exilio Drahomira: *Verum honore dominationis pristinæ caruit usque ad obitus sui diem.* Quæ postrema verba num hunc tragicum casum, num potius naturalem mortem innuant? aliorum judicio definiendum relinquo. Subjungit quidem post verba hæc Christannus, quæque ipsa verosimillime huic tragicæ descriptioni occasionem dedisse videntur: *Sed hæc cuncta qualiter gesta sunt, ob sui enormitatem pretereuntes cepta prosequamur.* Quæ Christanni prætermissio num funestum hunc Drahomiræ casum, num quæ antea compendio de ejus dominatione, exilio, & revocatione narravit, respiciat, admodum obscurum. Balbinus quidem ex his Christanni verbis argumentatur: Christannum prudenter hæc silentio texisse partim ob verecundiam, partim ob venerationem & pietatem, qua ipse Drahomiræ aviæ suæ erat obnoxius. Sed quid causæ dicamus fuisse, cur id homo exterus, qui *jussu* Ottonis II. vitam S. Wenceslai scripserat, prætermiserit? cur Laurentius Castlinensis Monachus? cur secundus & tertius Anonymus ejusdem vitæ in Codice Metropolitano exaratus? cur antiqua vita S. Ludmillæ Bibliothecæ Clementinæ? cur Dalemilus? cur Joannes de Novo-Foro, alterque Anonymus Trebonensis? porro si Christannus (quem vitæ scriptorem Boleslai sævi filium fuisse nullus quidem induci possum, ut credam) pietatis filialis oblitus inverecunde omnia vulnera patris sui Boleslai detexit, si religioni sibi non duxit patrem alterum Cain, carnificem, diaboli contribulem appellare, an dicemus illi majorem pietatem fuisse erga ethnicam aviam Drahomiram? verum hæc contra opponere crisis suadet, ceterum cuique plenum arbitrium circa casus hujus historiam relinquentes.

Pessina Rad. 1. p. 17.

(*e*) Pessina addit: *Quo tam horrendæ divini Numinis vindictæ exemplo non pauci, qui adhuc suis pertinacius inhærebant superstitionibus tacti & permoti, inter quos erat ipse Drahomiræ germanus frater Drugoslaw, repudiatis pristinis erroribus religionem Christianam promti susceperunt. Boleslaus vero addictus quidem Christianorum nomini haud obscure antea, sed miserabili hoc matris suæ interitu percussus longe deinceps addictior esse cœpit &c.* Quorum narratorum quanquam Pessina nobis fontem non indicaverit, tamen in eo recte sentit, quod interitum Drahomiræ primum post S. Wenceslai Martyrium accidere potuisse statuat cum Balbino. Nam illam sub eadem S. Wenceslai superfuisse, ab eaque corpus illius fuisse humatum

tradit his verbis Christannus: *Ejusdem* (S. Wenceslai) *exanime corpus mater, quam nuper peccatis ipsius exigentibus pepulerat, rursumque in pace pro Christi amore revocaverat, quibusdam cum fidelibus rapientes humo cooperuerunt,* *Mſ. Bibl. Mat.*

(*f*) Caroli IV. & Pulkavæ tempore hoc loco hiatum quendam fuisse uterque innuit, cum ait: *per vestigia telluris usque in hodiernum diem cernitur*, qui tandem jam Hagecii ætate sepe cinctus erat. P. noster Victorinus inquit: *Hodie locus iste humili obeliſco ſignatus e regione domus ad aureum globum dictæ, & ex illo S. Matthæi templo factæ, in perenne tum funesti prodigii monumentum in Hradczanis visitur.* Restauratus is etiam obeliscus, reique gestæ historia pictoris penicillo apposita post penultimam oppugnationem urbis Pragensis, qua exercitus noster Gallos isthic obsessos tormentis bellicis premebat. Ceterum fortassis hic Drahomiræ casus tragicus ob veterum monumentorum defectum non majore fide ab eruditis accipietur, quam alter plane similis interitus Suatopolci filii Uladimiri Ruthenorum Principis, qui testantibus Chronicis Russorum etiam in Bohemia circa annum 1008, a terra absorptus asseritur, de quo tamen in historiis nostris nuspiam vestigium aliquod. Juvat audire Culcinium in hæc verba scribentem: *Suatopolcus Uladimiri filius interfectis crudeliter divis Boriſo & Hlibo fratribus ſuis occupaverat per vim ſedem imperii Kioviam, quærebatque opprimere reliquos fratres, ut ſolus eſſet Ruſſiæ Monarcha; ſed frater ejus Jaroslaus Novogorodenſium Dux a patre conſtitutus, pepulit invaſorem ab urbe Kiovia, quam tamen ipſe denuo recuperavit, vocato in auxilium Boleslao I. Poloniæ Rege: Jaroslaus tandem collectis e toto regno viribus, adſcitisque in ſocietatem conſanguineis Varagis, ejecit, ac fugere coegit impium fratricidam: qui profugus, quum nil impetruſſet a Polonis, abiit in Boemiam, ibique interiit, tellure ſub pedibus aperta, ut fertur, abſorptus.* *Culcin. in Appendice ſpecimini Eccleſiæ Ruthenicæ p. 111.*

(*g*) Hoc falsum nuncium ad Boleslaum delatum frustra in ullo Hagecio antiquiore exquiras.

PRÆTERMISSA.

Minus recte historici quique seu cum Continuatore Reginonis præsente jam anno Hungaros Henrici terras ac cumprimis Franciam orientalem invasisse, seu plane cum Sigeberto Gemblacensi Henricum pacem cum Hungaris per novem annos firmasse sentiunt. Bellum enim Henrici Regno non prius ab Hungaris, quam sequente anno intenu-

tentatum est, & pax altero demum abhinc nempe 926. inita, ut postea videbimus. Invitati vero fuere hoc anno rursum Hungari a Berengario ad Italiam, ut rem gestam accuratissimus scriptor Frodoardus narrat: *Hungari* (inquit) *ductu Regis Berengarii, quem Langobardi depulerant, Italiam depopulantur. Papiam quoque urbem populosissimam atque opulentissimam igne succendunt, ubi opes periere innumerabiles, Ecclesiæ XLIV. succensæ, urbis ipsius Episcopus cum Episcopo Vercellensi, qui secum erat, igne fumoque necatur: atque ex illa pene innumerabili multitudine ducenti tantum superfuisse memorantur, qui ex reliquiis urbis incensæ, quos inter cineres legerant, argenti modios octo dederunt Hungaris vitam murosque civitatis vacuæ redimentes.* Quicum accurate respondet Luitprandus ita loquens: *Usta est infelix, olim famosa Papia anno Dom. Incarn. DCCCCXIV. IV. Idus Martii Indictione XII, feria VI, hora III.* Prosequitur vero Frodoardus gesta Hungarorum: *His expletis Hungari per abrupta transeuntes Alpium juga veniunt in Galliam, quos Rodulfus Cisalpinæ Galliæ Rex, & Hugo Viennensis inter angustias collium Alpinorum claudunt. Unde inopinato per devia montis evadentes Gothiam impetunt, quos insequentes prædicti Duces sternunt ex eis, quos reperire poterant.* Et postea: *Hungari, qui Gothiam vastabant, pestem quamdam perpessi capitum inflatione ac dissenteria pene cuncti, paucis evadentibus, nunciantur esse consumti.* At vero Hungaros e Gothia expulsos fuisse a Raymundo cognomento Pontio Gothiæ Marchione discimus ex epistola Aimerici Archiepiscopi Narbonensis, Hugonis Episcopi Tolosani, & Raynaudi Episcopi Biterensis ad Joannem X. Papam scripta, quam mutilam ex Archivo Narbonensi recitat Catellus. Nihil igitur agit Pessina, cum Wratislaum Ducem nostrum hoc anno cum quadringentis equis Henrico in auxilium accurrisse contra Hungaros contendit. Nec enim apud Brunnerum, ad quem in margine se revocat, ejusce narrationis indicium. Balbinus id omnino ex fabuloso illo torneamentorum libro narrat, sed præter anni consignationem; imo hæc non ad Henricum Aucupem, sed ad ejusdem patrem Ottonem Saxoniæ Ducem pertinere ipse se corrigit. Nec credibile Wratislaum Henrico suppetias daturum fuisse, cum usque ad annum 928. Boemi ceterorum Slavorum socii fuerint, qui mirum quantum ab Henrico premebantur. Quod postea ex Witichindo testatum faciemus. Ceterum tamen jam hoc anno motus quosdam Slavorum contra Henricum excitos fuisse non obscure innuit Frodoardus; narrato enim Rodulfi Regis Galliarum languore subjungit: *Heinricus æque in ipsis Sarmatarum finibus valetudine corporis tota detinetur æstate.* Quo Sarmatarum no-

Frodoard. in Chron. ad h. a.

Luitprandus l. 3. c. 1.

Lib. 1. Comit. Tolosæ c. 14.

Pessina Rad. 3. p. 130.

Balbin. Vita Arnesti l. 2. c. 3. p. 105.

Balbin. Dec. 1. l. 7. c. 13.

Frodoard. in Chron. ad h. a.

nomine passim Slavos intelligi non uno loco alias explicavimus. Vix vero valetudine corporis affectus se tota æstate detinuisset Henricus in finibus Slavorum, nisi motus quosdam præsensisset, qui ejus vigilantiam præsentiamque efflagitabant, quemadmodum mox annis sequentibus in bellum erupere. Falsi autem nonnulli scriptores, qui illam primo loco a Witichindo recensitam Henrici expeditionem contra Dalemincios huic anno illigaverunt. Eam enim expeditionem ab Henrico susceptam fuisse mandante patre suo Ottone Duce Saxoniæ, qui anno 912. obiit, clarum est ex Witichindo, & nos jam multo prius retulimus.

ANNUS 925.

Interitu Drahomiræ Wenceslaus in ea rerum tranquillitate, veluti cœlo sudo, multo jam illustrius effulgere cœpit omni Christiana virtute. (a) Prima illius cura sacrarum ædium amplificatio exornatioque cum divini cultus incremento, secunda mansuetudinem illustribus exemplis exacuere. Nam de evertendis tollendisque carceribus, de proscribendis per omnes ditiones suas furcis intentissimum ejus erat studium. (b) Hue accedebat æquitatis ac justitiæ amor, summa utriusque accuratio. Judicibus enim omni austeritate invigilatum, ne præter fas quidquam admitterent, imo in jure dicundo cuique suum tribuerent. Inexpiabile piaculum illi visum innocentem sanguinem, horror nocentem profundere. (c) Non tulere tantæ pietatis tranquillitatisque radios Drslai (qui erat Mstibogii filius) Ducis Curimensis olim Zlicensis dicti (d) lippi oculi. Qui quantus quantus in proferendos fines suos vigil, ultra fossas, aggeresque pridem Wissehradensem inter Curimensemque

Pietas & mansuetudo S. Wenceslai.

Principatum conſtitutos dominatum protendere auſus eſt. Dehortabatur a tanto facinore per legatos ſuos ambitioſum hominem pacificis verbis Wenceslaus, at æthiopem lavabat, contumelioſe is enim renunciari juſſit: incubaret modo pedarius atque pientulus libris ſuis, ſpatiumque ſibi relinqueret totius Principatus illius occupandi. Nec mora, armis rem agere & Zidomerienſe prædium magna vi expugnare viſum famelico aliarum ditionum homini. (e) Wenceslaus quamquam mirum manſuetudinis exemplum videretur omnibus, tamen magis animo hoſtem ab incepto deterrendi, quam profundendi humani ſanguinis contra pervicacem Ducem arma ſuos induere juſſit, Ducem ſe ipſum præbens ſeptem bellatorum centuriis, in tutamen obſeſſi Zidomirienſis prædii egreditur. (f) Id cum ad aures Drslai deferretur, & ipſe delectu ſuorum facto cum manu valida extemplo Pragenſi Duci obviam procedit. Jamque utriusque exercitus ſigna in conſpectu ſtetere, cum Wenceslaus ad centuriones militesque ſuos converſus inter ſuſpiria exclamat: „ Heu quantum innocue profundendum ſanguinem proſpicio! quantum mortalium numerum unius „ hominis obſtinatio in tumulum deturbatura eſt! ite „ ite celeres ad Curimenſem Principem, & verbis meis „ nunciate, innocuo meorum ſuorumque ſanguini parcat. „ Si tamen eum tanta Principatus mei fames teneat, eja „ mecum ad ſingulare certamen in arenam deſcendat: (g) „ alteruter Principatus victorem ſequatur, victori uterque „ populus pareat. „ (h) At Curimenſi pene attonito nihil

Drslaus ei bellum infert.

Contra progreditur S. Wenceslaus.

Invitat Drslaum ad ſingulare certamen.

æque

æque optatum accidit, atque ex provocatione cum Wenceslao pugnare, timiditatis incurrendæ apud suos macula conditionem accipere prope coegit. Conventum igitur utrinque stipulatumque nunciis, ne quisquis demum miles alterutri labanti parti succurrere præsumat, quare uterque exercitus ad pagum Hruskoklati (i) teli jactu ab invicem sejunctus castra metari jussus.

Jam nihil cunctatus Wenceslaus equo eleganti insidens in campum Martium egreditur. Drslaus contra equo bellatore ferociter vectus cum impetu prorumpit: at miram subito scenæ mutationem! nec enim præstolatus, dum Wenceslaus arma consereret, ab equo præceps in genua procumbit, nudatumque ensem humi dejiciens exclamat: „ Vir „ Dei! gratiam impertire clienti tuo. En vitæ necisque „ imperium in manibus tuis esto. Tolle tibi Principatum, „ quo hactenus fruitus sum, concede vivere, & vel infimo „ clientis esse loco. „ Ad quem miti humilique voce Wenceslaus: „ Non mihi sed Christo fratrum optime, quid- „ quid gratiæ prædicas, debes. Habe tibi tuum tranquil- „ lus Principatum, eademque pace finitimum tuum uti con- „ cede. „ Illico utrisque copiis in mandatis datum, ad sua quietæ redirent. (k)

Drslaus in genua provolutus pacem flagitat.

At vero præliator uterque Princeps Zidomirium profecti conditionibus rem egerunt, ut perpetuis temporibus inviolata pax persisteret. Hic Wenceslaus occasionem aucupatus Christi Religionem Drslao persuadere cœpit tanta felicitate, ut is polliceretur se se cum omni populo suo ad

Christi castra transiturum, quod re ipsa paulo post præstitit. (l) Reverso in Principatum suum Drslao expostulatum ab omnibus, cur tam subito, & ne tentata quidem alea se Pragensi Duci subdidisset? quibus objurgationis capitibus is respondit; „ Ut primum ordinibus meis egressus sum, con„ festim sensi manus pedesque haud aliter quam vinculis „ constrictos stupescere, ubi vero etiam Wenceslaum in „ conspectu habui, vidi ejus frontem aurata cruce præfulgi„ dam, cœlestesque duos armigeros ejus latera stipantes, (m) „ quæ meum usque adeo attonitum reddidere animum, ut „ supereſſe nihil cogitarem, quam deditionem facere. „

Christi religionem cum populo suo suscipit.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXV.

JOANNIS X. PAPÆ 12. HENRICI GERM. REG. 7, S. WENCESLAI 1. TUTONIS *Ep. Rat.* 32.

(a) Drahomiram cæso S. Wenceslao superstitem fuisse anno superiore ostendimus.

(b) Vita jussu Ottonis II. scripta inquit: *Omnia patibula hominum suspendiis in ejus Regni locis quam pluribus erecta penitus dirui fecit, nec ulterius hoc tempore reparari toleravit.* Ex quo ceteri nostri omnes id exscripsere. Huc vero spectant illa de S. Wenceslao Witichindi verba, quæ pene legentes omnes suspensos reddidere, cum ait: *De quo* (Wenceslao) *quædam mirabilia prædicantur, quæ quia non probamus, silentio tegi judicamus.* Scilicet non probabatur Witichindo patibula & carceres per Bohemiam tolli, quibus sublatis is metuebat morum licentiam impunitate augendam. Quod vero hæc mirabilia a Witichindo indicata haud aliud fuerint, innuit Annalista Saxo ad annum 928. Wenceslaus inquit: *Inter cetera, quæ de ipso prædicantur mirabilia, tormentorum genera, & patibula suspendiis hominum præparata dirui fecit, ne immanitas judicum excresceret, nec reparari suo tempore permisit.* Non fuere igitur hæc mirabilia

Mss. Bibl. Mer.

Witichindus Annal. l. 1. p. 639.

lia *Angelorum custodia*, aut *vita celebs*, ut putat Balbinus, quæ quare non probata fuissent Witichindo non video. *Balbin. Epit. p. 24.*

(*c*) Rursum eadem vita jussu Ottonis II. scripta: *Si quis forsan noxæ detentus mortali sententia, quamvis debito, proscriptus ab incusatorum damnabili judicio fuisset addictus, ejus suffragiis immunis abiret e medio. Si vero Princeps ille misericors nec permutata legis necessitate pro hoc solvendo minimi reum lege horribili cognovit eripiendum, se tandem cupiens ac sacros obtutus sanguinea cede non sordidandos subducere, edito quoquo modo excusabili ratione consensu ac judicio excessit.* Quæ tamen author hic a S. Wenceslao facta jam scribit, antequam matrem suam Drahomiram suprema Ducatus potestate exuisset, atque in exilium relegasset; ut ex ejusmodi judiciorum frequentatione appareat: S. Wenceslaum non plane puerum fuisse, nec omni potestate imperioque orbatum, ut nostri volunt.

(*d*) Anonymus, qui jussu Ottonis II. vitam S. Wenceslai scripsit, hanc totam historiam, multis posterius aliis narratis miraculis, prætermisit. Christannus, Joannes de Novo Foro, Carolus IV, & Anonymus Trebonensis quanquam rem gestam narrent, nuspiam tamen nomen Ducis Curimensis produnt. Dalemilus eum vocat *Radislaum*, non vero Curimensem sed Zliczkensem Principem appellat. Jam Parte II. Annalium nostrorum ostendimus: Anonymum apud Menkenium T. III. Liczkensem Principatum per Znoymensem explicare; & merito: Nam provincia Znoymensis olim *Liczko* seu *Luczko* (unde Canonia Præmonstratensium Lucensis hodie nomen retinet) dicta fuit, & passim a peculiaribus Ducibus gubernari solita, ut etiam sequentibus sæculis visuri sumus. Quare magis veterum judiciis consentaneum hunc Principem ex Znoymensi seu Lucensi provincia fuisse, præsertim cum vix credibile sit tam angustis finibus constrictum fuisse Ducatum Pragensem. Hunc vero Principem extra Bohemiam ditiones suas habuisse etiam innuit Æneas Silvius, cum ait: *Duci Curimensi* (Zliczkensi) *nulla injuria lacessito cum exercitu in Bohemiam ingresso, atque agros vastare conanti armatus cum copiis occurrit.* Mstibogii vero filium primi fecere Dubravius & Hagecius. *Dalemil. c. 28.* *Æn. Silv. c. 15.*

(*e*) Hæc e Dalemilo excerpsit Hagecius, qui prædium hoc vocat *Zitomierz*. In margine vero Dalemili editor notavit se se in quibusdam Dalemili Mss. Codicibus legisse *Litomierzi*. Hodie nec in regione

Curimensi nec ejus confiniis ullum Zitomir reperio. Ceterum Christannus de loco nihil habet, sed ait: *Dum utraque parte sat cedis factum fuisset, consultum mox omnibus placuit, ut si quis Ducum duobus tantummodo dimicantibus victor existeret, ipse presse deberet.*

(*f*) Veteres vitæ passim magnanimitatem adscribunt S. Wenceslao, nec fortassis aliam ob causam ubivis in veteribus picturis ferreatus lorica & galea tectus comparet. Nugatur tamen more solito Ryxnerus, dum in libro suo torneamentorum seu Hastiludiorum S. Wenceslaum apud Henricum hastis concurrisse scribit. Henricum quidem ejusmodi hastiludiis operam dedisse, inque ea arte excelluisse innuit Witichindus, dum ait: *In exercitiis quoque ludi tanta eminentia superabat omnes, ut terrorem ceteris ostentaret.* At hastiludia ad eam solemnitatem jam Henrici tempore traducere, quali postea celebrata, nomina galearum omnium recensere, clypeos, nobilitatisque prærogativas extollere præmature a Ryxnero efficta sunt. Merito igitur Goldastus: *Sublestam hujus libri fidem, & infrunitas nugas jam olim viri cordati traduxerunt.* Quæ cum in Goldasto legerit Balbinus, miror tamen eum Ryxneri patrocinium suscepisse, quod & Maibomius miratus est.

Witichind. l. 1. p. 641.

Goldastus l. 2. c. 14. p. 293.

Maibomius in notis ad Chron. Schauenburg. p. 530.

(*g*) Pro veritate eruenda, innocentiaque tuenda duellandi mos verosimillime a Germanis ad gentem nostram transivit. Nam ut jus municipale Bohemiæ vetus Ms. ostendit, in re obscura & dubia actori reoque duellum imperatum est, quod pro causæ differentia modo ritusque varium fuit, adeo ut vel mulieres ad duellum admitterentur. Apud Germanos imo & Slavos veteres ea persuasio fuit, ut pars victa veluti judicio Dei causa cecidisse arbitraretur, quare Bangertus nomine duelli antiquis frequentissime *judicium Dei* & contra venire innuit. Sic narrat Vippo a Conrado Salico ejusmodi duellum probatum fuisse, quod Saxones cum Liuticiis Slavis susceperant, quorum utraque pars contendebat, prius pacem ab altera fuisse violatam. Vetustissima Chronica Holandiæ, quæ laudat magnum Chronicon Belgicum plane leges proferunt, ad quas se juramento obstringere coacti erant, qui militiæ cingulo noviter accingerentur, inter quas & illa fuit: *Pro liberatione cujuslibet innocentis, causæque justæ defensione duellum non respuere.* Insignis est Ermoldi Nigelli de rebus Ludovici Pii l. 3. locus, quo omnes duelli ceremonias in præsentia Regis haberi soliti eleganter describit, inter quas & illam refert: feretrum una assumi solitum, ut si alteruter in cer-

Bangertus in notis ad Arnoldum l. 2.

Menken. T. I. p. 933.

certamine caderet, ſtatim efferri poſſet. Argumentum denique hoc locupletiſſime pertractavit a legibus, ritibus, exemplisque Henricus Bangertus in animadverſionibus ad librum 2. c. 24. Arnoldi.

(*b*) Hæc conditio, quam præteriere veteres, minus meditate ab Hagecio appoſita; vergebat enim illa in præjudicium Boleslai fratris, & Ordinum Bohemiæ, ſine quorum conſenſu vix quidem a S. Wenceslao offerri potuit.

(*i*) Hujus etiam loci nemo ante Hagecium meminit, veroſimillime autem intellexit hodiernum pagum *Roſtoklat*, qui nonniſi medio lapide Curimio disjunctus eſt.

(*k*) Hæc omnia ſumma verborum amplificatione exaggeravit auxitque Hagecius. Chriſtanni narratio hæc eſt: *Urbs quædam Kurzim* Mſ. Bibl. Met. *vocata populoſa dum erat, extollitur, atque Principe, qui inerat, huic ſancto reſiſtere moliebatur. Sed dum utraque parte ſat cedis factum fuiſſet, conſultum nox omnibus placuit, ut ſi quis Ducum duobus tantummodo dimicantibus victor exiſteret, ipſe preeſſe deberet. Dum proceduut Duces congredi volentes, Kurimenſi celeſtis Deus celeſtes reſerat viſiones, ſanctum videlicet Wenceslaum, ymaginemque crucis ſancte in fronte nitentem portare. Hec ut vidit, longe abjectis armis ad pedes ruit, proteſtabaturque, nullum poſſe tum vincere, dum Deus vellet in tali ſigno juvamen ferre. Hunc talia narrantem in pacis oſcula Dux ſanctus ſuſcepit, atque ipſum, civitatemque ſuæ ditioni pacifice firmat, donans illi civitatem regere, quamdiu viveret ipſe.* Hem nucem! e qua integram Iliadem hoc anno produxit Hagecius. Illud oppido mirum: in omnibus tribus biographis Codicis Metropolitani hujus monomachiæ mentionem non fieri, & in Chriſtanni vita omnium ultimo loco referri, quod conjecturæ locum dat hanc narrationem poſterius Chriſtanno fuiſſe adjectam. Utinam piæ memoriæ Reverendiſſimus Prælatus Rayhradenſis Bonaventura Pitter Chriſtannum ſuum cum quinque imo ſex diverſis vetteribus codicibus collatum in publicum emiſiſſet, ſciremus ſane, an ubivis hæc narratio adjecta ſit.

(*l*) Hæc apud neminem Hagecio veteriorem legeris, uti nec illud ante Peſſinam, quod in Poſphoro ſepticorni Radio III. pag. 143. ſcribit: *Ferunt diem victoriæ hujus cælitus D. Wenceslao oblatæ fuiſſe in Eccleſia SS. Apoſtolis Petro & Paulo ſolemnem. Ut ut ſit, id certum habetur, Wenceslaum*

laum, ubi triumphabundus Pragam rediisset, ad perpetuam tantæ victoriæ divinitus sibi conceſſæ monimentum, magnificentiſſimam eidem nomini eorundem SS. Principum Apoſtolorum ſacratam inter Wiſſehradum & Pragam non procul a ripa fluminis, loco tamen editiore poſuiſſe. Tantundem denique dicendum de anno geſti hujus, in quo certo defigendo mire digladiantur noſtri: aliis cum Hagecio ad annum præſentem, aliis cum Peſſina ad annum 930. aliis denique cum Hammerſchmid plane ad annum 937. quo is jam martyrio affectus fuerat, referentibus. Nos manum a tabula retrahimus, quandoquidem extra ordinem vitæ in ſolius Chriſtanni exemplaribus narratam rem comperimus.

Hammerſchmid. Glor. Prag. p. 21.

(*m*) Chriſtannus, Dalemilus, & Joannes de Novo-Foro de ſola cruce mentionem faciunt, non item Angelis. Dubravius addit: etiam vocem auditam fuiſſe: *Ne feri.*

Dubrav. l. 5.

PRÆTERMISSA.

I. Hoc anno tandem Hungari Henrico bellum intentare, ejusque regnum laceſſere auſi. *Ungrorum crudelitas* (inquit Routgerus) *transgreſſa terras Marahenſium, quas ſibi non longe ante impia uſurpavit licentia, plerasque provincias regni Henrici ferro & igne longe lateque vaſtavit.* Et Witichindus de Saxonia ſua: *Cumque jam civilia bella ceſſarent, iterum Ungari totam Saxoniam percurrentes, urbes & oppida incendio tradiderunt, & tantam cædem ubique egere, ut ultimam depopulationem comminarentur.* Non modo autem Saxoniam, ſed & Bavariam univerſam, Alemanniamque pervagatos eſſe teſtis nobis eſt Hartmannus & Ekkehardus junior. Prior ita in vita B. Wiboradæ loquitur §. 25. *Cum illius anni circulus vergeretur, & tempus Maji menſis ſanctæ Virgini* (Wiboradæ) *per viſionem oſtenſum appropinquaret, ſubito fama terras pervolante nunciatur, paganos tota provincia Bajouriorum eſſe diffuſos.* Subjungitque usque ad *lacum Potamicum* barbaros omnia ſumma ferocitate inundaſſe. Et alter: *Ungri inditis tempeſtatibus regni Noricos rabidi invadunt, & vaſtant, Auguſtaque dein obſeſſa precibus Vodalrici Epiſcopi repulſi, Alamaniam nemine vetante turmatim pervadunt.* Quod autem narrationes iſtæ ad annum præſentem pertineant, teſtimonio eſt Hermannus Contractus ita ſcribens: *Ungaris jam Alamaniam vaſtando pervagantibus, & ad cœnobium quoque S. Galli pervenientibus Wiboradæ virgo incluſa martyrizata.* Et Hepidanus: *Agarens* (Hungari) *monaſterium S. Galli invaſerunt.* Eo licentius autem agere, longius-

Routgerus in vita Brunonis §. 3. p. 274.

Witichind. l. 1. p. 638.

Acta ſanctor. ad 11. Maji.

Ekkehard. de caſib. monaſt. S. Galli c. 5.

Herm. Contr. apud Caniſ. ad h. a.

In Annal. ad h. a.

asque progredi integrum erat Hungaris, quod Henricus ultra Rhenum cum exercitu profectus esset, Tulpiacum obsidione premens, quod etiam præsente anno ab eo captum fuisse testatur Frodoardus. Remensis Henricus Rhenum cum obsidibus a Gisleberto Lotharingiæ Duce acceptis, eo omnem operam contulit, ut Hungarorum grassationibus modum poneret, exercitum igitur eis oppositum, prœliumque obtulit sed prorsus infelici eventu, nam narrat Ditmarus: *Rex* (Henricus) *cum in uno dierum Avares impari congressu lædere tentaret, victus in urbe, quæ Pichin* (hodie Pichen seu Peuchen ad Wurzam esse sentit Hahnius) *vocatur, fugit, ibique mortis periculum evadens Urbanos majori gloria, quam hactenus habuerant, vel comprovinciales hodie teneant, & ad hæc muneribus dignis honorat.* Quare ab ea clade Henricus se nonnisi præsidiis urbium tutari ausus, quod Witichindus his verbis innuit: *Rex* (Henricus) *erat in præsidio urbis Werlaon* (Werlam Westphaliæ urbem esse autumat Henricus Meibomius) *nam rudi adhuc militi, & bello publico insueto contra tam sevam gentem non credebat.* Aerem igitur verberant, qui obstinate hoc anno Duce Sigeberto Gemblacensi & Alberico jam Henricum Slavis Hevellis ipsisque Boemis bellum intentasse scribunt. Qua in re magis miranda Stredovskii narratio, qui relata hac Hevellorum expugnatione subjungit: *Moravi, quia Henricum agnoscebant Regem, fidem frangere verebantur. Quin imo ab eo evocati etiam suas legiones sub marchionibus Crotomiro & Bolesiao contra Slavos educere tenebantur.* In cujus asserti præsidium citat Goldasti Com. Boh. l. 2. c. 14. §. 6. Quod illud ipsum Nugatoris Ryxneri a Goldasto relatum fragmentum est, quo recitantur Principum Imperii nomina, quos edicto Henrici Aucupis evocatos in expeditionibus præsto fuisse idem author temere asserit. Verum an non legit Stredovskius eodem loco acerrimam Goldasti censuram his ipsis Ryxneri verbis subjectam? *Sed*, inquit, *subleftam hujus libri fidem & infrunitas nugas jam olim cordati viri traduxerunt.* Si igitur infrunitas has nugas Stredovskio pro veris historiis propinare popularibus suis libuit, per me licet, delectentur illis pace mea, quiqui turbidas aquas præ fontibus potare malunt.

Frodoard. in Chron. ad h. a.

Ditmarus l. 1. p. 327.

Reichshistorie in Henrico I. p. 26.

Witichind. l. 1. p. 638.

Meibom. in not. in Witichind. p. 682. Sig. Gembl. ad h. a. Albericus in Chron. ad h. a. Stredovsky l. 5. p. 479.

II. Cum nostrorum historicorum quique adverterent Chronologiam Hagecii haud solido fundamento niti, quod Wratislai Ducis Bohemiæ obitum jam anno 916. ac proinde filii Wenceslai successionem eidem anno illigaverit; Wratislai mortem decem annis posterius reponendam esse censuerunt. Huicce opinioni principium facere visus Bal-

Vita Arnesti l. 2. c. 3. p. 105. Pessina Rad. 1. p. 5. & Rad. 3. p. 130.

binus, qui in Vita Venerabilis Arnesti Archiepiscopi Pragensis minime jam dubitat Wratislaum sub Henrico Aucupe superstitem fuisse. Pessina, quem secutus Puczalka, praeter haesitationem Wratislai mortem ad annum 926. defigit, existimatque errorem facile enasci potuisse, quod Hagecius loco numeri 926. in quopiam minus legibili veteri codice perperam 916. legerit. Verum haec Pessinae ariolatio vix locum habere potest, quandoquidem constat omnes antiquos codices seu Romanis numeris seu literis ipsis, non posterius inventis Arabicis cyphris, annos consignare. Quare ad fulcimentum sententiae suae dicere magis conveniisset: in quopiam veteri codice numerum unum X. oculos Hagecii effugisse, seu amanuensium oscitantia omissum fuisse. Ego, ut, quod res est, loquar, Chronologiae huic Pessinae, quae proxime historicae veritati, temporumque combinationi accedit, non multum repugno, eundemque plane annum 926. amplecterer, nisi pubertas & tutela S. Wenceslai nonnihil longius temporis spatium exposcerent, & plura gesta S. Ludmillae atque Drahomirae majus temporis intervallum a Wratislai morte ad S. Wenceslai martyrium interceßisse innuerent. Quare cum in veteribus ne minimo quidem indicio annum obitus Wratislai proditum habeamus, collatis expensisque scriptorum vitae SS. Wenceslai & Ludmillae solerter narrationibus, autumo verosimillime Wratislaum praesente anno, & quidem XIII. Februarii, ut multo supra diem hunc vindicavimus, mortalitatem exuisse. Si quis jam anno praeterito eum occubuisse malit, nec eidem refragari velim. Breve sane & perparcorum annorum Wratislai fuisse solius regnantis imperium haud obscure innuunt veteres vitae S. Wenceslai, quae de eo, praeter aedificationem Ecclesiae S. Georgii nullum prorsus gestum produnt, imo & in hujus Ecclesiae consummatione, ne dedicaretur, morte praeventum scribunt; tum indicio etiam impubis filiorum aetas est, cum Wenceslao in scholis adhuc Budecensibus degente mortuus narretur. Hac igitur mortis epocha praestituta, ad hujus anni historiam pertinet, quod narrat Christannus, qui cum

MS. Bibl. Mer. S. Wenceslaum a Wratislao in civitatem Budecz literis imbuendum traditum dixisset, subjungit: *Cumque sagax* (S. Wenceslaus) *ingenio, cuncta, que a pedagogo sibi tradita forent, spiritu sancto inspirante alte memoriae traderet, genitore interim ex hac vita migrante annorum ferme triginta trium, revocatur Metropolitanam in urbem Pragam, sedemque in paternam ab omni plebe sublimatur. Sed quoniam pueritie vel adolescentie necdum perfecte florem mundaverat, inito cuncti satrape prudenti consilio beate memorie Ludmile Christi famule Ducem ipsum rudem cum fratre suo Bolislao educandos commiserunt, donec*

nec illis robur etatis favente Deo accresceret. Hanc porro triginta trium annorum ætatem, quam Wratislao tribuit tam Christannus, quam altera brevis S. Ludmillæ vita apud Menkenium T. III. non deprehendo in antiqua sejunctaque S. Ludmillæ vita Bibliothecæ Clementinæ, nec in vita S. Wenceslai jussu Ottonis II. scripta, nec denique in sequentibus duabus ejusdem Codicis Metropolitani, ut hunc annorum numerum a posteriore nonnemine intrusum haud vane suspicer, nec enim cum historia, aliis veteribus documentis, ipsisque relatis Christanni recte conciliari potest; si enim Wratislaus jam anno 895. Comitiis Ratisbonensibus interfuit, atque postea Spitignæo fratri in Ducatu universæ Bohemiæ successit, longior ætas ei concedenda. Atque si ex hoc annorum indicio quidpiam tamen definiendum est, dicendum erit numero XXX. ut habet vita S. Ludmillæ apud Menkenium, unum X. librariorum oscitantia fuisse demtum, nam minimum quadraginta trium annorum fuisse Wratislaum persuadent memoriæ vetustæ, quæ de illius gestis superstant. Ceterum quandonam Wratislaus baptizatus sit, æque incognitum. Haud tamen citius baptismo Spitignæi & fortassis post Borzivogii primum mortem accidisse arbitramur. Nec enim aliam ob causam Drahomiram ethnicam ab eo in matrimonium adscitam putamus, quam quod ille tum etiam adhuc eidem superstitioni deditus fuerit. Nam vix credibile eo primo fervore Christianæ religionis in Bohemia Christianum Principem nuptias suas conjugio uxoris ethnicæ polluisse, quod contra Conciliorum statuta & ipsiusmet Apostoli mandatum erat: *Nolite jugum ducere cum infidelibus.* Senserant jam hanc difficultatem procul dubio Eruditissimi Bollandiani; quare nuptias Wratislai cum ethnica his rationibus excusant: *Cur autem Christianus piusque princeps, vivente etiam tunc sancta illius matre Ludmilla puellam ethnicam matrimonio sibi copulasse videri possit, duæ rationes potissimum mihi occurrunt: prima esse potuit, quod Christi sacra tunc temporis haud ita pridem in Bohemiam invecta, nondum inter primates tam communiter recepta essent, ut e primaria gentis nobilitate virgo Christiana in Principis thorum facile posset assumi; quodque periculosum videretur e gente extera religionis ergo aliam arcessere, cum recens ante oculos versaretur exemplum in Borzivojo Wratislai patre, quem ob eandem religionem susceptam rebelles subditi e ducatu suo olim deturbaverant.* Sed pace hujus doctissimi viri dicere liceat: rationes has allatas vix quidem locum habere posse in gestis patriis. Nam primo jam annos abhinc fere octoginta leguntur in Annalibus Francofuldensibus *XIV. ex Ducibus Boemarum* sub Ludovico Germaniæ Rege baptismum suscepisse, quorum si

Illiberritani Can. 15. Laodiceni c. 13. Cartaginensis III. Can. 12. Chalcedonensis &c. 2. Corinth. c. 6. v. 14. Acta SS. ad 28. Sept. n. 30.

Annal. Francofurd. ad An. 845.

quosdam etiam ab eo tempore defeciſſe dicamus, perſtiterit tamen aliquorum muliebris ſoboles Chriſtiana, quæ in matrimonium a Wratislao aſſumi potuit. Quod ad alterum argumentum attinet, falſus eſt Vir Clariſſimus a noſtris ſcriptoribus, qui hactenus Drahomiram genere Bohemam ſenſerunt, nam exteram e gente Slavorum Luiticiorum & Ztodoranorum, hodiernaque ditione Brandeburgica fuiſſe prognatam jam multo ante manifeſtiſſimis argumentis oſtendimus. Si igitur Wratislaus uxorem potuit ducere Luiticiam alienigenam, cur non Moravam, præſertim cum Suatopluco præter filios presbyter Diocleas etiam filias tribuat? an tres filii Suatopluci nullam progenuere filiam? quid dicam de Bulgaris, Croatis, Dalmatis & Brazlavone inter Savum & Dravum Duce pridem Chriſtianis? non levis igitur conjectura eaque certior capi poteſt: Drahomiram ethnicam ab ethnico adhuc Duce Wratislao fuiſſe conjugem ductam. Nec enim adduci poſſum, ut credam S. Ludmillam matrem incremento religionis Chriſtianæ *intentiſſimam* admiſſuram fuiſſe, ut filius Chriſto initiatus *gentilem ſibi uxorem* deſponſaret. Scilicet ea opinio de Drahomira ethnica a Wratislao Chriſtiano in matrimonium aſſumta haud aliunde originem habuit, quam quod Spitigneus & Wratislaus ſub Borzivogii Baptiſmum pueri e nutu parentum pendentes crediti fuerint, ſimulque cum patre baptizati, cum tamen tum eos jam adoleſcentes ſat adultæ ætatis fuiſſe antea oſtenderim, ac vix quidem a S. Methudio, aut ejus presbytero Kaych in Bohemiam miſſo baptiſmi aquis ablutos. Imo fortaſſis ad revocandum ab exilio Borzivogium ejusque Ducatum contra infideles rebelles ſtabiliendum id non parum profuit, quod filii ſub principium in ethniciſmo relicti, nec ſubito ad ſuſcipienda Chriſti ſacra parentum hortatibus compulſi ſint. Ceterum non ignoro etiam poſtea Daubravkam Boleslai ſævi filium Boleslao Poloniarum gentili Duci in matrimonium fuiſſe datam, at hic ſpes convertendæ Poloniæ ſubverſabatur, ut etiam poſtea accidit, quod ſat ſuperque argumenti videri potuit ad filiam ethnico marito concedendam. Nam ob ejusmodi graves cauſas Eccleſiam matrimonia cum infidelibus toleraſſe exemplis pluribus probat Natalis Alexander.

Presbyter Diocleas in Regno Slavorum.

Theologiæ dogmat. l. 2. art. 3.

III. Quod ad anni præſentis hiſtoriam præterea ſpectare videtur, illud eſt, quod Hagecius copioſe multo poſterius ad annum 1009. narrat, id per compendium hic referre libet: refert nempe Helenam Henrici Aucupis filiam anno præſente clam ab Alberto Comite de Altenburg

Hagek. ad An. 1009.

urg raptam fuiſſe, eumque cum illa profugum ſe in Bohemiæ ſilvas ecepiſſe, iſthic caſtrum poſtea Przimda dictum condidiſſe, in eoque andem anno 930. fortuito caſu ab Henrico repertum detectumque, atque generum cum filia in gratiam receptum. Quæ tot pene fabulæ unt, quot verba. Præterquam enim quod nemo veterum raptus iſtius neminerit, ne quidem *Comitis Alberti de Altenburg* nomen hoc ævo uſpiam roditum eſt. Neç vero filiam Helenæ nomine Henrico fuiſſe in fide ligno documento legitur. Duæ paſſim filiæ Henrico adſtruuntur: al- *Witichind. l. 1.* era Gerberga, quæ Gisleberto Lotharingiæ Duci nuptui tradita, al- *p. 638.* era, cujus nomen me latet, Hugonem Ducem maritum nacta; cum lterutra vero, id quod narrat Hagecius, haud accidere potuit. Haauit & Henricus ſororem, ſed hæç Widoni Thuringo in matrimonium uoque data.

ANNUS 926.

Hujus anni decurſu Wenceslaus ad portam Hradczanenſem, qua olim exitus patebat Scharkam verſus, condidit templum S. Antonii cum ampla domo, in qua pupilli pauperes omnis ordinis conditionisque ſecundum Chriſtianæ religionis inſtituta educarentur, (a) quibus piiſſimus Princeps quotidie de penu & menſa ſua victum proſpiciebat. Cum enim ipſe continentiſſimus non modo uxori copulari refugeret, ſed omni etiam Veneris uſu ſibi in perpetuum interdixiſſet, (b) eos pupillos veluti adoptatos filiorum filiarumque loco habuit. Quorum numerum cum perpetuo augere ſtuderet, certatim a paganis redemit ejusmodi tenella mancipia, (c) quæ ſacro baptiſmi fonte tincta præceptis Chriſti ſolerter imbui juſſit. Hæc pietatis & miſericordiæ ſtudia quanto ardentius coluit, tanto acrius fraternæ

S. Wenceslaus condit domum orphanorum.

Odium fratris Boleslai. impietatis odium ethnicorum irritamento exasperavit, ut vel insidias vitæ suæ structas ægre declinaret.

Bellum inter Græcos & Bulgaros. His iisdem temporibus oriente inter Christianos præsertim Græcos atque Bulgaros dissidio cruentis præliis certatum: Simeone Bulgaro victricia signa late per Græciam circumferente. Verum ROMANUS orientis Imperator vir supra modum mansueto pacificoque animo (*d*) modum huic humani sanguinis profusioni ponere cogitans legatos suos ad Simeonem misit, qui feliciter tandem nuptiis pacem conciciliarunt. Pacis conditio ea præcipua fuit, ut filia Christophori, qui erat Romani filius, nomine Yrene (*seu ut* Luitherandus (*e*) libro suo tertio capite nono mavult: post nuptias primum hoc ipso nomine appellata) matrimonio jungeretur Petro filio Simonis Regis Bulgariæ. Quo pacto expleto inter utramque gentem pax denuo coaluit.

Conciliatur pax nuptiis.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXVI.

JOANNIS X. PAPÆ 13. HENRICI GERM. REG. 8. S. WENCESLAI 2. TUTONIS *Ep. Rat.* 33.

(*a*) Nihil prorsum a veteribus seu de Ecclesia S. Antonii seu de Orphanotrophio proditum. Joannem Archiepiscopum Pragensem sæculo XIV. eodem loco hospitale pauperum Clericorum & scholarium sub titulo S. Antonii Confessoris & S. Elisabethæ construxisse certum habemus ex erectionum libris a Balbino compendiatis Volum. I. U. 7. Quas erectionis literas dein ad verbum recitat idem Balbinus Dec. 1. l. 6. p. 100. In his literis vero ne mentio quidem alias jam pupillorum domum isthic stetisse, aut plane a S. Wenceslao fundatam fuisse; quod vix quidem Joannes Archiepiscopus prætermisisset posteritati notum facere, e quo nempe hospitali suo non *levis* exi-

Balbin. Dec. 1. l. 5. p. 62.

sti-

ſtimatio acceſſiſſet. Verba autem hujus inſtrumenti ſunt: *Erexímus & conſtruximus de ſumtuoſo opere hoſpitale novum in Hraczano ante caſtrum Pragenſe pro Clericis pauperibus & ſcholaribus ſub titulo & honore ſanctorum Antonii Confeſſoris, & Eliſabeth viduæ &c. Actum & datum Pragæ Anno Domini MCCCLXXV. Indictione XIII. die ſeptima menſis Julii.* Quæ verba minime innuunt hoſpitale hoc ab Joanne Archiepiſcopo tantum reſtauratum fuiſſe, ut illi, qui Hagecium tuentur, volunt. Hoſpitale hoc, cum poſtea ab hæreticis fœde fuiſſet mutilatum, Ferdinandus I. Imp. & Boh. Rex pro 30. pauperibus utriusque ſexus e Regia Camera, ut vocant, ſub Reverendiſſimi Capituli Metropolitani Pragenſis directione atque cura alendis ſuæ integritati reddidit, ut ſuo loco rem producto diplomate latius oſtenſuri ſumus.

(*l*) Hanc vitæ innocentiam corporisque integritatem prædicant omnes vitæ veteres. Auſus tamen nonnemo Heterodoxorum ſeu malevolentia ſeu imperitia in diſſertatione Genealogica Ducum Brunſuicenſium ſolis literis G. D. nomen ſuum indigitans filiam *Sophiam* nomine S. Wenceslao noſtro affingere, quæ Brunſuigiæ Duci *Magno* nomine nuptui tradita fuerit. In aſſerti ſui firmamentum citat hic Anonymus vetuſtiſſimum Chronicon rhytmicum Ducum Brunſuicenſium. Quod cum ego procul dubio haud aliud eſſe exiſtimarem, quam quod Leibnitius T. III. Scriptorum Brunſuicenſium primo loco publicavit, in locum hunc curioſius inquiſivi, quem tandem p. 23. v. 140. feliciter detexi, his verſibus rem narrantem:

Hertoge Magnus genannt
Der nam to Wibe ut Ungerlant
Konig Wenceslawen dochter Soffiam
Alſo ek an der Scrifft vernam.

Id eſt:

Herzog Magnus genannt
Der nahm zum Weib aus Ungerland
König Wenzel Tochter Sophiam
Als ich in der Schrift vernahm.

E quibus liquet perperam ab hoc authore Wenceslaum Ungariæ Regem pro Boemiæ Duce habitum venditatumque fuiſſe. Quanquam

quam nec Wenceslaus Rex aut Dux uspiam hoc ævo in historiis Hungariæ compareat.

(e) Christannus inquit: *Sed & sacrosanctis diebus Paschæ dico & Pentheceſten Sabbatis, quando baptiſma generale celebrari ſolet in ſancta Dei Eccleſia, ut nihil ex hys, quæ Dei ſunt, ſibi deeſſet. Si parvuli Scrutiniorum tempore non inveniebantur, mittebat ad forum, & pueros, quotquot venales manus vendentis attulerat, pro ſolius Dei amore ſibi emebat.* Quod & aliæ vitæ veteres narrant. Jordanus ad hunc locum ita commentatur: *Ex venditione puerorum aperte patet jus herile Slavicarum nationum in res & perſonas mancipiorum neutiquam, ut perperam a quibusdam creditur, poſterioribus his ſæculis originem debere, ſed id a tempore, cujus memoria non exſtat, & ab antiquitate remotiſſima inoleviſſe, cum Slavi majores adhuc in Bannatu Temeſuarienſi ſæculo III. & IV. conſiſtentes in liberos & ſervos jam diſtincti fuerint, ut num.* 670. *videndum.* Nolim diſputare jam ſub principium *rerumpublicarum* Slavicarum populum in liberos & ſervos diſtinctum *fuiſſe*, at nunquam mihi perſuadebit Jordanus ſeu jus herile Slavicarum nationum aliquando tam fuiſſe prædominans, ſeu ſervitutis conditionem tam calamitoſam, ut ſervi ab heris ſuis in fora deduci ac pro arbitrio venum proponi potuerint. Hoc poſtremum ſervitutis genus longe ab alia origine repetendum eſt, cui non modo Slavi, ſed quicunque alienigenæ exterarumque gentium homines apud Slavos fiebant *obnoxii.* Nempe pueri hi, de quibus ſupra facta mentio, proprie dicta mancipia fuiſſe reputanda ſunt, qui ſeu captivitate, ſeu parentum delicto duro captivitatis jugo addicebantur. Nam quemadmodum apud germanos ita etiam Slavos capti in præliis hoſtilibusque incurſionibus, & nonnunquam gravium delictorum, cumprimis rebellionis, rei in hoc infimum ſervitutis genus recidebant, adeo ut ſupremo herili imperio ſubjicerentur, herusque non modo eos venum in fora proponere poſſet, ſed & vitæ necisque poteſtatem in eos haberet, quod aliquando ex proferendis juribus antiquis Mſs. teſtatum faciemus. Et legemus poſterius ab ipſis Germanis Luiticios Slavos captos pretio venditos fuiſſe genti noſtræ. Quamquam negare nolim apud gentes quasque alias barbaras hanc ſervorum nundinationem etiam citra captivitatis delictique caſum locum habuiſſe. Porro perſtitit hæc mancipiorum nundinatio etiam multo poſterius apud nos in uſu, Helmoldus enim adhuc anno 1164. innuit multos Obotritorum Boemis venditos fuiſſe, cum ab Henrico Leone Saxoniæ Duce bello attriti, captivique facti fuiſſent.

Orig. Slav. n. 1051.

Helmoldus Chron. Slav. l. 2. c. 5.

(d)

(*d*) Nimia laude Romanum cumulat Hagecius, de cujus ferocia & ambitione plane adversa tam Græci quam latini scribunt. Ex infima enim sorte ad Imperatoriam dignitatem eluctatus non modo Constantino Porphyrogenito primas in sede orientali eripuit, sed & filios suos Christophorum, Stephanum, & Constantinum *Imperatores constituens contra jus fasque suo Imperatori Constantino Porphyrogenito præposuit*, inquit Luitprandus. *Luitprand. l. 3. c. 9.*

(*e*) Hic error typi est in editione Hagecii, quem neque Sanlelius in translatione sua Germanica Hagecii advertit, correxitque. Legendum enim *Luitprandus*. Nam is eodem l. 3. c. 9. rem narrat his verbis: *Eodem tempore Simeon cum Bulgaris Argos cœpit vehementer affligere. Quem Romanus filii sui Christophori filia filio illius Petro, qui nunc usque superest, uxore data, ab incœpto furore compescuit, sibique fœdere placito sociavit. Unde & puella mutato nomine Εἰρήνη id est PAX est vocata, eo quod per eam inter Bulgaros & Græcos pax sit firmissima constituta.* Mariam hanc filiam prius fuisse vocitatam, & bellum hoc in Macedoniam mortuo primum Simone intulisse Petrum filium primo suæ coronationis anno eruit ex Byzantinis scriptoribus Ducangius. Quare universam hanc historiam non ad præsentem sed sequentem annum pertinere ostendit doctissimus Pagius. Damnavit vero postea has nuptias indignusque exaggeravit Constantinus Porphyrogenitus in admonitione ad Romanum filium suum de non ineundo connubio cum exteris gentibus, & præsertim gentilibus, quod contra statuta Canonum & Constantini M. præceptum esse ait. *Quod si objicitur*, inquit, *quomodo igitur dominus Romanus Imp. cum Bulgaris affinitate se junxit, ac domino Petro Bulgaro proriam neptem dedit uxorem? defendendum est: dominum Romanum idiotam, & illiteratum hominem fuisse, nec ex iis, qui antea in Regia educati erant, moresque Romanos a principio secuti, neque a genere regio ac nobili, ideoque arrogantius licentiusque multa fecisse, nec in eo Ecclesiæ tunc vetanti paruisse, neque mandatum ac edictum Magni Constantini sequi voluisse: ideoque mente, sententiaque, audacia ac arrogante sumque consilium sequente, ac omnis ignaro honestatis, recusanteque quod decorum est, atque pulchrum amplecti, & a majoribus traditas constitutiones tenere, id facere, esse ausum, cum hanc solam prætexeret rationabilem causam, ut tantam multitudinem Christianorum tali facto liberaret, Bulgarique Christiani essent, ac nobiscum fide sociati.* *Ducang. in familiis Aug. Byz. c. 6. n. 20. Pagius ad An. 927. n. 7. Baronius ad An. 960. n. 18.*

PRÆTERMISSA.

Quanquam S. Wenceslaus mortuo patre tutelæ aviæ suæ Ludmillæ a summo Ordinum Bohemiæ magistratu commendatus sit, tamen is re ipsa Dux fuit, & a gubernaculis Ducatus Bohemiæ non omnino arcebitus, nam ut vita jussu Ottonis II. scripta narrat: judiciis præsedit, leges dedit, placita indixit, imo etiam cum hostibus bella gessit. Non ille itaque tam tenera ætate fuisse censendus est, ut vix annum octavum emensum ex Hagecii calculo nostri cum Weleslavino & Stranskio effingunt. Quin tamen omnia, quæ gessit, suasu & consilio sanctissimæ aviæ suæ Ludmillæ fecerit, dubitare nullus velim. Id invidiam bilemque in nares matris suæ Drahomiræ ciebat, quod socrum suam majori quam se potestate præditam, & Wenceslaum ab ejus ore pendere videret. Ad anni igitur hujus historiam pertinet, quod passim referunt vitæ veteres S. Wenceslai, & omnibus luculentius Christannus; *Quo viso*, inquit, *mater* (Drahomira) *supradictorum puerorum, quæ vidua viro, solio ejusdem utebatur, diabolo instigante, totum venenosi pectoris animum in famulam Dei Ludmilam accendit, malisque suspicionibus arctatur, æstimans ob educationem juvenum, quos socrus sue cunctus commiserat populus educandos, se regno, rebusque privari, illamque sibi dominatum nanciscituram universum, initoque perversissimo cum viris Belial consilio, toto annisu eam extinguere molitur. Venerabilis autem & devota Christi famula Ludmila hoc agnito, humilitatis atque patientie arripiens arma contra arrogantie stimulum, per internuncios mandare studuit, nurui, inquiens: „ Non aliqua, regni tui por-„ tio male blandientis cupiditatis animum invasit meum, neque tui dominatio-„ nem cupio ullam habere. Recipe filios tuos, & ut animo libet, regna cum „ illis, mihimet vero libertatem concede serviendi omnipotenti Christo, quocun-„ que tibi locorum placet. „ Verum ut assolet fieri semper, ut in quantum se humilitas pro Deo incurvaverit, in tantum se arrogantie fastus diabolo impingente erigat, mitissimam atque benignissimam precem sancte Ludmile Ductrix, nurus videlicet sua, non solum suscipere, verum insuper audire contemsit. Quod cernens Christi famula memorans illud Apostolicum: „ Nolite resistere malo, „ sed date locum ire; „ & illud Evangelicum: „ si persecuti vos fuerint in ci-„ vitate ista, fugite in aliam. „ A civitate Metropolitana se cum suis auferens, castellum quoddam, quod Thetbin inest, adiit, tanto se virtutum gemmis ornans, quanto certior erat, mox se, persecutore persequente, Martyrii promereri victorie palmam, orationi devotissime insistens, vigiliis & jejuniis insudans, eleemosynis largam cunctis manum præbens.* Dein narrat Christannus som-

Mſ Bibl. Met.

nium

nium & visionem B. Wenceslai de porticu Pauli presbyteri desolato, e qua visione ille B. Ludmillæ martyrium, & Clericorum in Bohemia persecutionem clientibus suis per vaticinium prædixit.

II. Cæso superiore anno Henrico, atque se inter urbium præsidia tutante Hungari licentius arma sua per omnem Germaniam expediunt. Nam narrat ad annum hunc Hermannus Contractus: *Ungarii vastata Alamannia totam Francium, Alsatiam, atque Galliam igne & gladio sævientes percurrunt.* Quod idem recenset Continuator Reginonis; Chronicon Augiense, Saxonicum, & Marianus Scotus. Frodoardus transmeato Rheno usque ad pagum Vozensem prædabundos excurrisse, & Chronicon S. Vincentii Metensis eos etiam regnum Lotharii vastasse memorant. *Quantam autem stragem*, inquit Witichindus, *fecerint illis diebus, quam, aut quanta monasteria succenderint, melius judicamus silere, quam calamitates nostras verbis quoque iterare.* Has vero inter Hungarorum latrocinationes fortuito opratoque accidit, ut nonnemo ex Principibus Regis Hungarorum a suis caperetur, cujus eliberationi quemadmodum Hungari acerrime insistebant, ita obstinate contraibat Henricus, ut eam haud alio quam pacis pretio admittere vellet. Quod rursum his verbis narrat Witichindus: *Contigit autem quendam ex Principibus Ungarorum capi, vinctumque ad Regem duci. Ungari vero ipsum in tantum dilexere, ut pro redemptione illius innumera auri & argenti pondera offerrent. Rex autem spernens aurum, expostulat pacem, tandemque obtinuit, ut reddito captivo cum aliis muneribus ad novem annos pax confirmaretur.* An Witichindus per munera hic intellexerit annua munera seu tributum, obscurum; ex posterioribus tamen testatum fiet ab Henrico annuum tributum Hungaris pensitatum fuisse. Scilicet ad ejusmodi quanquam arduas conditiones ineundas maxime impulit Henricum motus Slavorum, qui septentrionali plaga cumprimis malum regno ejus minabantur, quibus compescendis ut par esset, captum Hungarorum Principem reddidit, & verosimillime annua munera jam alias sub Conrado Hungaris dari solita, novo pacto confirmavit. Quis vero Princeps hic captivus fuerit, certum omnino nihil: Eruditissimus Vir Georgius Pray *Zoltanum* fuisse suspicatur ex eo Hungarorum amore, quod pro ejus liberatione immensam vim auri offerre non dubitaverint.

Herman. Contract. apud Caniſ. ad h. a. apud Bouquet, T. VIII. p. 102.

Witichind. l. 1. p. 938.

Witichind. eod.

Annal. Hun. P. 3. l. 1. p. 353.

III. Pace cum Hungaris hujus anni principio constituta, laudibus extollit Witichindus prudentiam & solertiam Henrici in munien-

Witichind. l. 2. p. 639.

da patria, deligendo, exèrcendo, ſuſtentandoque militæ, tum ſubditi *Tali lege ac diſciplina cum cives aſſuefaceret, repente irruit ſuper Sclavos, qui dicuntur Hevelli, & multis eos præliis fatigans demum hyeme aſperrima, caſtris ſuper glaciem poſitis, cepit urbem, quæ dicitur Brennaburg, fame, ferro, frigore.* Pulkava ex noſtris, qui plura ex Chronico veteri Brandeburgico ſibi a Carolo IV. Imperatore communicato exſcripſit, & ex quo multa genti huic hactenus incognita inter tomos noſtros ineditorum prolaturi ſumus, de hac expeditione ita loquitur: *Cum in dicta Marchia gens adhuc permixta Slavonica & Saxonica gentilitatis ritibus deſerviret, & coleret ydola: Rex Romanorum Henricus, filius Ducis Ottonis Saxonie caſtris poſitis in glacie potenter Brandeburgum expugnavit, & omnes provincias trans Albeam ſue dicioni ſubjecit.* Quam expeditionem rectiſſime anno huic illigavit Chronographus Saxo apud Leibnitium, minus recte vero jam ſuperiore anno commemoravit Sigebertus Gemblacenſis, & ex eo Albericus monachus Trium-Fontium, qui tamen uterque ſubjectionem non ultra tributum annuum extendit: ſic enim habet: *Rex Henricus urbem Sclavorum Brandeburg capit, & victis Sclavis tributum imponit.* Caſtrum, quod hac expugnatione cepit Henricus, ait Manlius eo loco ſtetiſſe, quo hodie ſummum templum cernitur. Verum ut Hevellorum ſitum explicemus, de eo ita Chronicon Gotvicenſe, quod merito aureum opus vocat doctiſſimus Vir Franciſcus Hæberlin in nuper ſuis publicatis Analectis Medii ævi: *Provincia hæc*, inquit, *aut pagus Slavorum vel Venedorum nomen ſuum derivavit a fluvio Havela (qui etiam Habola, & Herola ſcribitur) a quo Hevelli etiam Heruli dicti ſunt. Provincia autem adhuc* das Hawelland *nominatur. Sita erat in hodierna Marca Brandeburgica ad utrumque Havelæ litus, a cujus fontibus usque ad ejus influxum in Albim, & ad fluvium Doxam ſeu Doſſam ſe ſe dilatabat, ſicut ex Helmoldo refert Cranzius in Vandalia l. 2. c. 21.* Hanc Provinciam ſeu pagum Slavicum etiam Heveldun item aliter Stoderaniam appellatam, denique ſub generico Luiticiorum Slavorum nomine comprehendi ſolitam fuiſſe jam ſupra de natalibus Drahomiræ oſtendimus, e qua nempe Provincia illam progenitam ibidem docuimus. Quæ cum hoc plane anno Ducali tutela S. Ludmillam B. Wenceslai aviam, ut ſupra §. I. innuimus, exturbaverit, & violente impubere adhuc filio ſuo Wenceslao gubernacula Boemiæ involaverit, vix quidem dubium relinquitur: eam Boemorum militari auxilio Hevellos populares ſuos præſente anno fuiſſe tuitam, quod inter cetera etiam Henrico irritamento eſſe potuit, ut poſtea annis abhinc duobus Boemos bello laceſſeret, & ad veterem annui tributi penſitationem adi-

Fulkavæ Mſſ.

Acceſſ. hiſt. T. I. p. 153.

Manlius l. 2. c. 4. §. 2.

Hæberlin Analecta præfat. Chron. Gotvic. l. 4. vocab. Hevellum.

idigere moliretur. Boemos certe cum ceteris Slavis communem cauſam feciſſe adverſus Henricum apertis verbis teſtatur Witichindus. Nec dubitare velim *Tugumirum* Ducem, qui plane hoc ipſo tempore Hevellis imperitavit, ſeu patrem ſeu fratrem Drahomiræ noſtræ fuiſſe, cum illa Principis Ztoderaniæ filia paſſim a veteribus vitæ SS. Ludmilæ ac Wenceslai ſcriptoribus appelletur. Tugumirum vero hunc hactenus hiſtoriis noſtris incognitum prodit Witichindus, qui eum ſub hoc ipſo Henrico Aucupe Hevellorum ſeu Ztoderanorum regioni præfuiſſe ait. Sic vero ille: *Fuit quidam autem Sclavus a Rege Henrico relictus, qui jure gentis paterna ſucceſſione dominus eſſet eorum, qui dicuntur Hevveldi, dictus Tugumir.* Hunc itaque Tugumirum (quaſi Slavice *longævam* & *perennem pacem* dicas) jam habeant ſcriptores noſtri veroſimiliorem ſeu patrem ſeu fratrem Drahomiræ præ illo commentitio Hargeciano Brzoslao aut Drugoslao nusquam apud veteriores prodito. Porro Tugumiro huic etiam innominem nepotem fuiſſe tradit idem Witichindus, qui poſtea ſub Ottone I. ab eodem Tugumiro occiſus eſt, ut ſuo loco referemus. Ceterum non inveroſimilem cauſam ſuceptæ ab Henrico contra Slavos expeditionis his verbis innuit Jordanus: *Slavi ſecundum dicta per plures migrationes eo usque ſe in Germaniam inſinuaverant, ut non tantum omnes terras Bojis & Saxonibus conterminas, & alias mari Balthico adjacentes populis ſuis impleviſſent, ſed etiam plane in ipſis Saxoniæ viſceribus hærerent (poſſidebant enim - - - - Saxonum expulſorum ædes inter Viſtulam & Albim, imo per Magdeburgum, Halberſtadium, Viſurgim usque) & præterea crebris excurſionibus & devaſtationibus Saxones ſumnopere affligerent; non poterant inteſtinum malum Saxoniæ Duces diutius ferre. Unde Henricus Auceps Slavos omnes ſubjicere, ſi poſſet, aut ſaltem ferociam eorum cohibere decreverat.* Stredovskii autem ad hunc annum aſſerta nullis tabulis roborata invenio. Narrat quippe Suatobogii ſui Eremitæ Nitrienſis hoc anno ad ſuperos tranſitum, de quo jam ſupra locuti leter egimus, tum Burchardum Alemanniæ Ducem hoc anno in Italia occiſum, confidenter adſtruit prius Marchionem Moraviæ fuiſſe, imo contra Velſerum diſputat: S. Udalricum ex hoc Burchardo natum eſſe, ac proinde Moravis novam gloriæ acceſſionem factam, quod tantus Præſul ex Moraviæ Marchione prognatus eſſet, quæ conjecturæ haud alio fundamento quam fallaciſſimo Hoſemanni nituntur, qui hunc Burchardum, ut ſupra oſtendimus, ex commentitio quodam Chronico Marchionem Moraviæ fecerat.

Witichind. l. 2. p. 647.

Jordan Archi - Vincent. c. 5. §. 1. p. 58.

Stredovsky l. c. 3. p. 479. & 481.

ANNUS 927.

Wenceslaus Apoſtolorum, aliorumque ſanctorum nomina, & cultum Principatui ſuo inferre, atque augere cupiens ex indulgentia Joannis X. Pontificis Maximi, qui tum eccleſiæ præſederat, magnificam ædem honori SS. Apoſtolorum Petri & Pauli prope flumen Wltaviam ſupra Pragam urbem ædificari fecit. (a) Qua necdum ad faſtigium evecta oratores alios Romam miſit, qui a ſede Romana peterent, ut id templum iisdem indultis ac gratiis donaretur, quibus Vaticana Romæ gaudet; *ne ſcilicet imbecilles*, alioque quovis caſu ad limina Apoſtolorum accedere impediti, tanto theſauro fruſtrarentur. Quod, cum feliciter per Apoſtolicas literas obtinuit, perductam ad ſummum molem, templum ſancti Petri Romæ vocavit. Stetit id autem inter canales eo loco, quo torrens ex nova urbe in Moldavam occidentem verſus illabitur, quam ob cauſam a quibusdam templum ſuper canali vulgo na Strauze appellabatur, hodie vicus alutariorum vulgo w Girchařich nomen fert. (b) Aliam præterea baſilicam S. Laurentio Martyri idem probiſſimus Princeps a fundamentis erexit Vetero-Pragæ eo loco, quo hodie Parthenon S. Annæ eſt, (c) conſtituitque in eo ſacerdotem nomine Letomilum, qui ibidem quot diebus pro Duce ejusque populo ſacrum faceret ad juſtam Dei iram placandam. (d)

S. Wenceslaus condit Eccleſiam SS. Petri & Pauli.

Item S. Laurentii Veteris-Pragæ.

A-N

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXVII.

JOANNIS X. PAPÆ 14. HENRICI GERM. REG. 9. S. WENCESLAI 3. TUTONIS *Epiſc. Rat.* 34.

(a) Cum Hagecius veroſimillime ſuperiori, præſenti, atque ſequenti anno non haberet, quod apponeret, varias veteres Eccleſiarum hodie exſtantium ſtructuras ex hoc ſæculo repetiit, itque Divo Wenceslao adſcripſit, de quibus tamen apud veteriores omnes altiſſimum ſilentium.

(b) De loco & ſitu hujus templi fluctuant, variantque noſtri: P. Victorinus noſter ait: *Hodie perexiguum B. Petri & Pauli ſacellum eodem loci viſitur,* Verum operam perdidi in detegendo ſacello illo. Peſſima & ex eo Hammerſchmid ſcribit; *Domus ibi nunc eſt alicujus civis Nov-Pragæ de vico cerdonum, Eccleſia injuria temporum in cumulos abiit, cujus tamen adhuc veſtigia etſi modica videntur.* Sed ubinam hæc veſtigia? Exiſtimo itaque Hagecium in quopiam Mſ. vetuſto, reperiſſe, quod Eccleſia hæc ſupra *novam Pragam, ad torrentem, inter alutarios* condita fuerit, unde ille argumentum ſumſit eam ad hodiernam urbem novam inter alutarios ſeu cerdones rejiciendi. At vero jam alias innui Micro-Pragam hodiernam usque ad Caroli IV. tempora & hodiernæ urbis Novæ conſtructionem appellatam fuiſſe Novam Pragam, quod uti ex diplomate a Ludevigio producto, ita plurimis aliis Archivi Meliteniſis & Sanct. Thomæi teſtatiſſimum eſt. Hic vero habemus Eccleſiam SS. Petri & Pauli, quæ ſæculo XIV. & XV. paſſim audiebat: *Templum SS. Petri & Pauli inter hortos,* uti aliquoties in Lupacii Ephemerydibus legere eſt. Hic habemus etiam torrentem allabentem Pruskam nomine, hic denique etiam alutarii & cerdones, loco ad proluendas macerandasque pelles aptiſſimo, habitare ſoliti, ut procul dubio, ſi quæ tamen vetuſtatis indicia certa ſunt de hoc templo, ea ad Eccleſiam hanc ſpectent. Supereſt vero illa & hodie antiquo opere titulo S. Pauli, an tamen ex hac ætate ſit, & utrum tot immunitatibus Apoſtolicis olim nobilitata fuerit, fides penes Hagecium primum prolatorem eſto.

P. Victorini Mſ. T. I. Hammerſchmid. Glor. Prag. c. 4. p. 21.

(c) Rurſum fabulatur Stredovskius: hoc templum a ſuo Joanne Epi- *Stredovsky l. 3. c. 2. p. 477.*

Episcopo Polessovienſi fuisse consecratum. Noster vero P. Victorinus ad hunc locum addit: *Proxime hanc Ecclesiam anno 1253. Petrus Ostrov alias Berka dictus, eo tempore Generalis Minister Templeriorum pro suo sodalitio exstruxit cœnobium in Jerusalem appellatum. Sed Templariis eversis cœnobium id cessit Crucigeris Melitensibus, a quibus illud cum Ecclesia ceterisque accessionibus emtum an. 1313. Virgines claustrales S. Dominici hodieque possident.* Quæ noster P. Victorinus ex Hammerschmidii Gloriæ Pragenæ c. 5. & Beczkovsky c. 18. desumsit. Scripsit eo de templo historiam Florianus Hammerschmid, quæ nunquam prelum subiit, neque hactenus in manus meas pertigit; in ea cum ille se omnia vetusta diplomata reuliisse memoret, legere optarem, num non certiora illius initia inde erui possint?

(*d*) Unde hunc Letomilum ceteraque rursum hauserit Hagetius, quis Oedipum agat? posteriores plures reperio, qui Hagecium exscripsere, & ad eum se revocant, anteriorem neminem. Stranskius hunc Letomilum non dubitat Liturgiæ Græcæ seu Bulgaricæ, ut ait, adscribere, sacerdotemque ejusce ritus facere, quem inter ceteros ordine recenset in sua serie sectariorum; scilicet ut probet sectam suam ab initiis Christianæ religionis floruisse in Bohemia, atque ad sua usque tempora haud interruptam perstitisse.

Stransky Reipubl. Boj. c. 6. §. 18.

PRÆTERMISSA.

1. Annum hunc certum indubitatumque habemus Martyrii S. Ludmillæ, qui quanquam Chronologicis literis aut numeris nuspiam proditus sit, tamen ex ducto calculo Ecclesiastico indubitate eruitur, cum veteres S. Ludmillæ vitæ nobis diem feriamque transcripserint. Verba vero Christanni sunt: *Suscepit autem Martyrium felix Deique devota famula Christi Ludmilla septima sabbathi die & XVII. Cal. Octobris prima vigilia noctis.* Quo indicio *septimæ sabbathi dici* cum more illorum temporum nihil aliud intelligatur, quam septima hebdomadæ dies, testatum habemus S. Ludmillam ad cœlos evolasse 15. Septembris, quæ eo anno in diem sabbati incidit. Qua nota temporis habita e computu Ecclesiastico hæc indubie crisis formatur: dies 15. Septembris insignita est litera characteristica F, cumque illo anno dies hæc in sabbatum incidisse dicatur, necessario sequitur eo anno, quo Martyrium accidit, dominicalem literam fuisse G. Jam litera dominicalis G incide-

Vita SS. Ludmilæ & Wenceslai.

derat in annos 921. 927. & 932. Annus 921. Martyrii esse non potuit, cum supra viderimus non modo Wratislaum patrem, sed & Spitignæum superfuisse, adeoque nec S. Wenceslaum Ducatui Bohemiæ admotum, nec S. Ludmillam, aut Drahomirani ejus tutelam gerere potuisse. Anno vero 932. non fuit amplius superstes Tuto Ratisbonensis Episcopus, sed Ecclesiæ huic jam præsedit Isangrinus, ut ex synodo anno illo proferenda palam faciemus. Tutonem autem duobus annis posterius a cæde S. Ludmillæ fuisse ad Translationem ejus sacri corporis a S. Wenceslao invitatum, in omnibus veteribus biographis S. Wenceslai legitur. Non supereſt igitur alius annus, quam 927. tanquam certissimus ejus Martyrio defigendus, qui cum omnibus horum temporum gestis, memoriis, narrationibusque accuratissime respondet. Observavit hanc crisis rationem jam magna ex parte Jordanus in Originibus suis Slavicis. Verum cum annum 932. ex ejusmodi computu Ecclesiastico Translationi illius defixit, minime verum attigit, cum eo anno, ut mox diximus mortuus jam fuerit Tuto; hinc ad tumulandum S. Ludmillæ corpus evocari non potuisset, nec uspiam documentum aliquod supperat S. Ludmillæ corpus per quatuor & amplius annos Tetinii jacuisse. Sed ea de re agemus ad annum 929. quem æque Translationis hujus sanctæ habemus certissimum. Pessina similiter annum præsentem Martyrio S. Ludmillæ recte illigat, quem procul dubio haud alio fonte hausit, quam ex calculo lectionum Breviarii Pragensis Metropolitani in Translatione S. Ludmillæ, in quibus anno nongentesimo vigesimo nono Pragam translata recte dicitur; cum autem Pessina laudato loco dicat corpus illius per *biennium & quid amplius* Tetinii quievisse, haud illi alium martyrio annum quam 927. defigere licuit. At vero fluctuant Eruditissimi Viri operis Bollandiani Continuatores, nec satis tutum arbitrantur certum annum martyrii S. Ludmillæ designare, quin latissimos illi terminos inter annum 920. & 929. constituunt. Scrupulum illis merito moverat Balbinus, cui quanquam hic Christanni locus (quem ipse nempe primus publici juris typi beneficio fecerat) non esset ignotus, tamen Miscellaneorum Decade 1. l. 4. §. 7. monet: probabilius XVI. Kalendas Octobris, annumque 920. ex calculo Hagecii, Veleslavini aliorumque statui, quo nempe anno dies XVI. Kalendas Octobris in sabbatum inciderat. Cum igitur viri hi doctissimi adverterent Balbinum de Christanni calculo recessisse, merito dubitare coperunt, num dies in eo recte adnotatus fuisset, quare optarunt eum codicem, e quo Balbinus Christannum publicavit, inspicere, ipsique ocu-

Jordan. n. 1048.

Pessina Rad. 3. p. 136.

Acta SS. ad 16. Sept. §. 5. n. 54 & 55.

oculis ſuis explorare. At vero tam Codex Trebonenſis, quem exſcripſit Balbinus, quam Metropolitanus habet ſignanter diem XVII. Kalend. Octobris, eandem diem habet exemplar S. Crucis prope Viennam, ut ipſi Clariſſimi Viri innuunt, eandem denique deprehendi in Mſ. vetere Codice apud piæ memoriæ Reverendiſſimum Prælatum Rayhradenſem Bonaventuram Pitter, ubi ante annos quinque præſens editionem Balbini contuli, & aliquas variantes lectiones excerpſi. Qui idem Reverendiſſimus Vir cum inter plurimos ibi de Chriſtanni exemplaribus variantibusque lectionibus ſermones mihi nullum prorſus ſcrupulum circa hanc diem moverit, nullus dubito has easdem XVII. Kalendas Octobris in quinque & ni fallor, ſex aliis Mſſ. Codicibus, quos cum Balbini editione contulit, notatas fuiſſe. Balbini vero hæſitatio, ſententiæque mutatio non alio fonte profluxit, quam ex feſtivitate hujus ſanctæ, quæ ut hodie ita antiquitus ſemper XVI. Kalendas Octobris, adeoque uno die poſterius nempe 16. Septembris celebrabatur, *quem*admodum ex Calendario Mſ. Manſionariorum Pragenſium, alteroque carminico *Ciſio Janus* dicto palam eſt, quæ ipſa dies procul dubio Hagecio, Weleslavino, aliisque recentioribus cauſam errandi dedit, ut Martyrium ad illam ipſam diem, nempe 16. Septembris, qua ejus feſtivitas in choro populoque celebratur, rejicerent. Verum ſi Hagecius, Weleslavinus, Balbinusque reflexiſſent 15. Septembris celebrari octavam Nativitatis B. V. Mariæ, in promtu cauſam habuiſſent, quare non hac die ſed ſequente ſolemnitas S. Ludmillæ fuerit in ducta. Cum enim nuſpiam conſtet feſtum S. Ludmillæ aliquo decreto Pontificio, Concilii, ſynodique ſtatuto, ſed ſola Cleri populique Bohemiæ devotione inoleviſſe, non licebat feſtivitatem in aliam diem, quam ſolemni officio vacantem inducere. Quod vero olim in ipſa Bohemia ritus hujus ſtudioſa fuerit antiquitas, liquet ex ipſo Chriſtanno, qui dicit ideo Deum non admiſiſſe, ut S. Wenceslaus ipſo feſto SS. Coſmæ & Damiani martyrio afficeretur, ut nempe martyrii ejus feſtivitas haberet diem ſequentem ſolemni officio vacantem. Verba Chriſtanni ſunt: *Mucrones ſiquidem geſtantes* (percuſſores S. Wenceslai) *ſub amictibus, poſt tergumque eosdem occultantes, ſemper de ictibus meditantes, ter ſurrexere* (a convivio) *terque identidem reſedere, gubernatore Deo patrare illud eos vetante, uti forſan craſtinum ſanctificare optante diem a ſolempniis vacantem.* Ex quibus jam indubitatum habemus S. Ludmillam pridie feſtivitatis hodie celebrari ſolitæ adeoque XVII. Kalendas Octobris ſeu 15. Septembris Martyrium ſubiiſſe. Quam diem recte adnotavit Grevenus in Auctuariis

Uſuar-

Usuardinis apud Sollerium S. J. & Canisius in Martyrologio Germanico, male vero Nicolaus Salius aliaque plura Martyrologia, quæ diem Officii ad diem Martyrii traxere. *Nicol. Sal. in vita S. Ludmillæ apud Surium.*

II. Cum jam annus præsens certus sit Martyrii S. Wenceslai, ea persequi libet, quæ ad historiam hujus anni martyriique pertinent, quam etsi jam ad annum 920. verbis Hagecii dederimus, cum tamen is passim a relatis veterum discedat, hic eam ex Christanno, qui luculentissime omnium rem tractavit, exscribere juvat: *Subtrahente se famula Christi Ludmila ab optutibus perfidorum in eodem castello, quo confugerat, ab inimicis insequitur. Ductrix* (Drahomira) *enim præfata quosdam Proceres suos, filios iniquitatis, Tunnam & Gommonem loquor, valida cum manu ad perdendam socrum suam Thetbiniis direxit. Præscia vero Christi memorata famula futurorum antefatum presbyterum suum Paulum accersiens, monuit eum sacra Missarum solempnia modulari, confessionemque suam ante conspectum scrutatoris cordium effundens benignissime, conscia jam de percipiendis beneficiis altissimi, armis se ipsam fidei totam muniens, orationi procumbens, Deo preces effudit, quo ejus spiritum, quem ipse creaverat, in pace dignaretur suscipere. Celebritate dehinc Missarum peracta, Dominici se corporis & sanguinis participatione muniens, psalmodiam indefessa mente concinere studuit. Vespere vero facto supra notati tyranni domum illius aggressi, valvas disrumpentes, reliquos sociorum forinsecus armatos frameis clypeisque statuunt; ipsi Capitanei homicide Tunna Gommoque paucis secum assumtis, cubiculum, quo Dei famula incumbebat, ostium disrumpentes, ingrediuntur bacchantes. Quibus Beata Ludmila humili sub voce: „ Quenam, inquit, repentina vos vesania agitat? & non „ erubescitis, neque mente pertractatis, quemadmodum egomet vos ceu filios pro„ prios educavi, auro argentoque vestibus insignibus ditavi? verum si qua in „ vobis mea iniquitas est, intimate queso. „ At illi furientes, saxis rigidiores aures ad hec obdurantes, non veriti sunt manus in eam proprias injicere, lectoque extractam terretenus projecerunt, quibus illa: „ Paulisper, inquit, oratio„ ni incumbere me finite: „ quibus hec concedentibus, expansis oravit ad dominum manibus. Post hoc, inquit, „ mei interitus causa si adventastis, obsecro, „ ut mucrone auferatis caput, exemplo martyrii sanguinem fundendo, testimo„ nium Christo perhibere gestiens, ac palmam martyrii cum ipsis fine fine perci„ pere optans. „ Quam etiam non dubitamus eam promeruisse; nam sacra scriptura testante. „ Justus quacunque morte preoccupatus fuerit, anima ejus „ in refrigerio erit. „ Funesti ergo carnifices preces ejus verbaque spernentes, fune gutturi ejus immisso suffocatione vitam illa abstulerunt presentem, victuram* *Mss. Bibl. Mer.*

in evum cum eo, quem semper dilexerat JEsu Christo Domino. Suscepit autem Martyrium felix Deoque devota famula Christi Ludmila septima sabbathi die & XVII. Cal. Octobr. prima vigilia noctis. Clerus vero ejus cunctus, universique vernaculi utriusque sexus pastore perempto, in diversa sparsi, diversis in latibulis latitantes, vitam presentem sibimet studuerunt servare. Post hec recedentibus crudelissimis carnificibus, ad funeris ejus officium magno cum metu & ululatu convenientes, honestissimeque cuncta, que ad sepulturam fore cernebantur, peragentes, terre glebam ejus sanctissimam commendavere. Hæc qui cum Hagecii narratis contulerit, agnoscet, quantum distent æra lupinis.

III. Devictis hieme Hevellis, captoque Brandeburgo, Henricus signa vertit contra Daleminicios, jam olim, dum pater Otto adhuc viveret, regno suo infestos, & procul dubio nuper Hevellorum fœderatos. Quæ rursum his verbis explicat Witichindus: *Cumque illa urbe* (Brennaburg) *potitus, & omni regione; signa vertit contra Dalmantiam, adversus quam jam olim reliquit ei pater militiam. Et obsidens urbem, que dicitur Grona, vigesima tandem die cepit eam, præda militibus tradita, puberes omnes interfecti, pueri ac puellæ captivitati servatæ.* Quod recte ad hunc annum narrat Annalista Saxo, Chronographus vero Saxo ad superiorem, denique Sigebertus Gemblacensis ad sequentem hoc compendio: *Rex Henricus Guna urbem Dalmatiæ capit, & Dalmatis tributum imponit.* Quæ ea Dalminciæ urbs fuerit, & qui ejus situs, mira inter authores disceptatio; Meibomius in notis in Witichindum dicit: in quibusdam Witichindi exemplaribus legi urbem *Rietni*, in aliis *Kyesni*. Ursbergensem legisse Grava. Farlatus ait: *Grona in Germania haud longe distabat in meridiem a Brennaburgo urbe in finibus Saxoniæ.* Hahnius de hac urbe ita vernaculo sermone commentatur: in Misnia, cujus fuit vetus Dalemincia portio, duo hujus nominis reperiuntur loca. Nempe *Gruna* inter Weissenfelsam & Pegaviam, altera *Gruna* ad Mildam prope Eulenburgum. Posterior locus habetur a nonnullis pro illa urbe, quam Henricus expugnavit, uti Conradus Knauth in Misniæ illustrandæ Prodromo in Poligraphia p. 188. sentit. Alii, qui Sigeberti scriptionem sequuntur, ex *Guna* faciunt *Jabna*, qui locus non procul abest a fluvio ejusdem nominis *Guna*, cujus meminit Dithmarus l. 8. p. 495. isque fluvius est, qui Misniam & Lomatzium præterfluit. Cum his posterioribus facere videtur doctissimus Abbas Gotvicensis, qui his locorum confiniis in tabula sua Geographica nullam Gronam, sed Ganam cum fluvio cognomine ponit. Gronam vero facit castellum & pa-

Witichind. l. 1. p. 639.

Eccardus T. I. ad h. a.

Meibom. T. I. p. 682. Farlatus Illyrici sacri p. 118.

palatium, & quidem Palatinam primam Regum & Imperatorum Saxonicorum, quæ haud procul Goddinga prope fluvium Loinam ſita fuerit. Ceterum vix rurſum dubitare velim Drahomiram, quæ pro arbitrio in Boemia verſabat omnia, pupillumque filium Wenceslaum nutu regebat, etiam hoc anno partes cum Dalemincis contra Henricum Aucupem prehendiſſe, cum ille ſequente anno Bohemiam invaſerit. Illis tamen aſſentiri vix poſſum, qui jam hoc anno Miſniam urbem ab Henrico conditam, aut Marchionem cum præſidio militari hic conſtitutum volunt. Nam ex omnibus veteribus teſtatum eſt: Dalemincios nonniſi hac expeditione ſub tributum miſſos fuiſſe, alterum poſterius occidiſſe, cum Dalemincii noviter inſurgentes adverſus Henricum arma prehenderunt, ac devicti ſunt. *Chron. Gotvic. l. 3. p. 478.*

ANNUS 928.

Reduces Roma cum Pontificiis diplomatibus legati ampliſſima Apoſtolicæ Curiæ indulta in Bohemiam hoc anno attulere, (a) quæ non præter inſolens gaudium *Legati Romæ reducuntur.* venerationemque a Wenceslao excepta ſunt. Cumque religioſiſſimus Princeps de rebus ſingulis, quas Romæ viſiſſent, præſertim de ceremoniis Pontificiis, ritu Eccleſiaſtico, cultu Dei Divorumque curioſius inquiſiviſſet, atque ad ſingula reſponſa ſitientes aures adhibuiſſet, ſciſcitatur inter cetera reduces legatos, quo tempore Romæ fuiſſent? ad quæ illi: „ VII. Calendas Octobris Romam appulimus, „ ac die tertio maxima cum ſolemnitate feſtum SS. Coſmæ „ & Damiani Martyrum celebrari ſpectavimus, qui cum „ eſſent nobiles medici, hominibus jumentisque ſine mercede operam ſuam locabant, quo miſericordiæ Chriſtianæ „ exercitio multos ethnicorum ad fidem Chriſti converſos

„ cœlo lucrati, tandem pro nomine JEſu vitam cum ſan-
„ guine profuderunt, quo nempe die ſolemnem eorum
„ commemorationem celebrabat Romanus populus. „

„ Rurſus perendie (perſequebantur) ſolemniis templi
„ ſancti Michaelis Archangeli adfuimus, atque inibi cen-
„ tum & amplius ſacerdotes cœleſtibus victimis litare con-
„ ſpeximus. „ His auditis ſolutus in uberes lacrymas Wenceslaus eum gemitu dixit: „ Faxit Deus! nomen quo-
„ que meum locum inter ſanctorum horum cœtum merea-
S. Wenceslaus condit Eccleſiam SS. Coſmæ & Damiani. „ tur, (b) & in hoc ducatu meo tanta ſacerdotum frequentia
„ Chriſti ſacra procurentur! „ Sic ingemiſcens *e veſtigio* ad ponenda fundamenta templo SS. Coſmæ & Damiani *in* ardua rupe Pragam inter & Wiſſehradum ſe accinxit, tantoque ardore ac celeritate operi inſtitum, ut quadrageſimo die, quam condi cœperat, moles conſummata ſteterit. (c) Aliam quoque extemplo ædem ſub monte Petrino ex ad-
Item D. Michaelis Archangeli. verſo Pohorzelecii Divo Michaeli Archangelo collocavit, (d) Radoslai ſacerdotis curæ commendatam, ad quam ſanctus Conditor ſæpius noctu cum Podivino inviſens, exitum e vivis ſuum Divo ejus loci tutelari efflictim commendabat. (e)

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXVIII.

LEONIS VI. PAPÆ 1. HENRICI GERM. REG. 10.
S. WENCESLAI 4. TUTONIS *Ep. Rat.* 35.

(a) De nullis vetuſtioribus Apoſtolicis literis Boemiæ datis hactenus conſtat, quam illis, quæ a Joanne XIII. Papa pro Epiſcopatus Pragenſis erectione annis plus quadraginta poſterius ema-

narunt. Quamquam non dubitem prius etiam quasque datas fuisse, quas tamen jam ipsi Cosmæ invidisse videtur ætas sua, cum his Joannis antiquiores nullas referat.

(b) Ad hunc locum noster P. Victorinus: *Suspirium illud S. Wenceslai vaticinium fuisse, probavit eventus, siquidem anni sequentis illa omnino luce, quæ inter diem festum SS. Cosmæ & Damiani atque S. Michaelis media intercedit, glorioſum ſuum profuſo ſanguine Martyrium conſummavit.* At neque de ſuſpirio illo, neque de anni totius hiſtoria vetuſtior Hagecio ullus verbum. *Mſ. P. Victor.*

(c) Rurſum noster P. Victorinus: *Eccleſia SS. Cosmæ & Damiani ſæpius interpolata, hodieque proxime ad cœnobium in Emaus dictum durat, & hanc, quæ ſequitur, præfert aureis literis Bohemicis exaratam in propylæo epigraphen:* HANC DEI ECCLESIAM S. WENCESLAUS BOHEMIÆ PRINCEPS XII. EX AMORE, QUO IN DEUM ET SS. EJUS MARTYRES COSMAM ET DAMIANUM FEREBATUR PROPRIA MANU FUNDAVIT; IMPENSIS INTRA XL. DIES ABSOLVIT ET CONSECRARI CURAVIT ANNO XMXXVIII. HANC IPSAM CUM PODIVINO FAMILIARISSIMO SIBI CAMERARIO PER HIEMEM ET ÆSTATEM INTERDIU NOCTUQUE NUDIPES FREQUENTABAT. S. WOGTIECHUS, S. PROCOPIUS, ET ALII MAGNO PIETATIS ARDORE DIVINIS MISSÆ SACRIFICIIS IN EADEM OPERABANTUR. Quæ quin potiſſimum ex Hagecii conjecturis depromta ſint, probat verborum contexus, & confirmat ſcriptura, quæ poſt Ferdinandi II. tempora primum ppoſita eſt, nempe anno 1657. Nam memorat Florianus Hammerchmid: *Hæc capella prænominata cum deinde fuerit profanata, & altaria confracta & ejecta, & in torcular converſa, Abbas Slovanenſis ſeu Emautinus Paulus Paminondas Horsky anno 1593. illam expurgari, reſtaurari, & priſtino nitori reſtitui curavit. Anno 1657. adnitente A. R. P. Domino Iſidoro de la Crux Slovanenſis Cœnobii B. M. Virginis de monte Serrato Præſide, conſentiente Reverendiſſimo Domino Joanne Caramuele tunc ejusdem cœnobii Slovanenſis Abbate, ſumtibus ejusdem Conventus Eccleſiola toties repetita ſumtuoſius reſtaurari cœpit.* Quo eodem anno ſupranominata epigraphe huic ſacello indita. Nam id ipſum illa exhibet, quæ nonniſi mutila a noſtro P. Victorino relata eſt, ſic vero perſequitur: MULTO TEMPORE HOC SACELLUM INTEGRUM PERSTITIT, USQUE DUM POSTEA HETERODOXI *Paprocius in Monaſt. p. 364* *Glor. Prag. c. 5. p. 318.*

EX

EX EO TORCULAR FECERE. NUNC VERO REM PROMOVENTE SACERDOTE ISIDORO DE LA CRUX HUJUS COENOBII BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DE MONTE SERRATO (ANTIQUITUS SLOVANENSI DICTO) PRÆSIDE, ET INDULGENTE JOANNE CARAMUELE EJUSDEM COENOBII ABBATE, SUMTIBUS HUJUS CONVENTUS COEPTUM EST ÆDIFICARI, ET RENOVARI DIE VI. MENSIS JUNII, ANNO DOMINI MDCLVII.

(*d*) Hujus ſacræ ædis ſitum variis locis quæſiere, atque ſtatuere noſtrorum nonnulli, multique rati ſunt eſſe ædiculam S. Michaelis, quæ Micro-Pragæ in horto A. RR. PP. Societatis Jeſu adhuc hodie ſpectatur. Occaſionem his dubiis dedit Hagecius, qui illius ſitum minus recte *ſub monte Petrzino ex adverſo Poborzelecii* explicavit, quæ nempe ſub caſtro Pragenſi ad ipſas Sulli montis radices *condita* eſt. Capella hoc ſæculo reſtaurata etiamnum exſtat turricula & campanili inſtructa ſub titulo S. Michaelis Archangeli, quia tamen publicus acceſſus ad eam non eſt (conſtructa nempe in poſteriori palatii parte Illuſtriſſimi Domini Comitis de Klenau Micro-Pragæ) paucis etiam Pragenſibus cognita eſt. Quod vero hæc eadem Capella ſit, de qua Hagek, liquet ex domeſticorum vicinorumque rumore, tum maxime ex Indulto Reverendiſſimi Conſiſtorii Pragenſis anno 1704. die 30. Maji Illuſtriſſimo Comiti Erneſto Godefrido de Schützen tum palatii hujus Poſſeſſori capellæque reſtauratori dato, quod in Capella hac, me puero adhuc, appenſum his verbis conceptum erat:

Auctoritate Archiepiſcopali ordinaria datur tenore præſentium ad inſtantiam Illuſtriſſimi D. Erneſti Godefridi Comitis de Schützen (Titl.) *facultas & licentia, ut in ſuo domeſtico ſacello, olim ante aliquot ſecula (ut pie creditur) a S. Wenceslao ædificato, ſæpius viſitato, decenter & gratioſe reſtaurato & renovato, ab omnibus uſibus temporalibus ſegregato, ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſuper altari portatili, non impeditis in Parochiali Eccleſia divinis, libere & licite legi, ac celebrari poſſit, & valeat. Ita tamen, ut præſens facultas prius Ven. dilecto Joſepho Schreppl Curato ad S. Wenceslaum Micro-Pragæ debite exhibeatur. Pragæ in Cancellaria Archiepiſcopali die 30. Auguſti 1704.*

(e)

(e) Intra hujus Capellæ limen e latere ſiniſtro humilis porta eſt ſat antiquo opere, cui hodie recenti pictura imago S. Wenceslai appoſita eſt, ſpecie portam aperientis. Per eam portam domeſtici ajunt: ingreſſum eſſe ad canalem ſeu ſubterraneos cuniculos, per quos S. Wenceslaum e ſuo palatio & caſtro Pragenſi clam ad hoc ſacellum acceſſiſſe aſſerunt. Quare is canalis adhuc mea pueritia paſſim *cuniculi S. Wenceslai* audiebat. Re ipſa autem haud quid aliud eſt, quam canalis quidam ſubterraneus hominis altitudine principio probe muratus ad recipiendam exonerandamque aquam, quæ pluviis ingruentibus in caſtro Pragenſi & maxime ſubjecto vallo (quod his annis Palatii Regii nova ſtructura penitus obſitum fuit) confluere ſolet. Ita nempe ex hominum quandoque conjecturis & ſomniis rumores, ex rumoribus traditiones fallaciſſimæ temporum curſu naſcuntur.

PRÆTERMISSA.

1. Sublata ſuperioris anni exitu e medio Diva Ludmilla, quæ una Drahomiræ ambitioni, tyrannidique obſtitiſſe videbatur, jam imperioſa mulier pupillaribus S. Wenceslai annis pro arbitrio abuti cœpit, ſummam imperii ſibi ſoli cum complicibus ſuis Tumano & Gomnone vendicans, ac ſacra profanis miſcens. Rem accurate atque diligenter narrat Chriſtannus, quem audire libet: *Prefata autem perfida domina* (Drahomira) *perfidorum, uſurpans ſupellectilem ſocrus ſue cunctam, cum antefatis tyrannis regnare cepit, ditans eos, propinquosque eorum ac familiam opibus eximiis auri argentique, veſteque pretioſa ineſtimabili. Regnaverunt in tota provincia Bohemorum velut magnifici Duces, ſed non ex Deo.* Sed quam mira rerum ſcena paulo poſt conſecuta ſit, quantaque auctoritate Deus innocentem ſanctæ Martyris cædem ultus ſit, perſequitur idem Chriſtannus: *Quibus oppipare viventibus, atque ineſtimabiliter gaudentibus, letantibusque ultio juſta divine vindicte improviſe ſubſequitur impios, qui tam grande, tamque crudele piaculum non horruerunt patrare, quo manus ſuas inhoneſtiſſimas in preclariſſimum Chriſti famulam moverent absque cauſſa. Namque patre ſuo Principe diſcordiarum diabolo exagitante coevos, coetaneosque ſuos ceperunt contemtui habere omnes, qua de re excrevit diſſenſio odiumque permacimum inter ipſos primarios ſupra notatos Tunnam videlicet Gomnonemque, Dominamque ipſorum, ita ut omnis cogitatus ſermoque domine de interitu ipſorum diu noctuque verſaretur, quod cernens memoratus tyrannus Tunna, irruente in ſe pavore horribili, cunctis cum ſibimet affinitate junctis ex eadem pro-* *Mſ. Bibl. Mer.*

vincia fuga labens, omnibus exosus, vagus profugusque huc illucque versatus est, nemoque ex stirpe illius progenitus in propria ulterius reditum habuit. Gommo autem, cum fuge latibulum germano cum suo quereret, comprehensus, atque capitali sententia addictus, cum fratre vitam presentem pariter & futuram amisit. At vero Domina eorum cernens eos fugientes omnem venenosi pectoris furorem in posteros eorum diffundens, universos eorum a majore usque ad minimum una die unaque sententia perdidit. Hoc quoque primum signum sancte Ludmile claruit, dum Dei disponente providentia ex interfectoribus ejus nullus superfuit: alii propriis de habitaculis secedentes, in diversisque fugientes, cunctis exosi effecti, divina ultione tacti, exhalaverunt spiritum vite, parvuli eorum impiissima morte defuncti, quam plures vero capite gladio plexi sunt. Quod cum Christannus *primum signum* post cædem S. Ludmillæ nominet, temporique illi illiget, quo Tetinii S. Ludmilla adhuc jacens miraculis inclarescere cœpit, nullum dubium, id partim ad exitum præsentis, partim ad initium mediumque sequentis anni pertinere; cum dein *jam* in Novembri corpus ejus Pragam translatum fuerit, ut sequente anno ostendemus.

II. Cum in sicarios tam justam acremque vindictam exeruit dextera excelsi, contra hoc ipso & sequente anno gratiis plurimis S. Ludmillæ tumulum cumulavit. Rem hanc uti & superiorem prætermisit Hagecius, quare ex Christanno suppleamus: *Iisdem vero diebus ad tumulum beatissime & sepe memorate Venerabilis Matrone & Martyris Ludmile divinis cooperante gratia virtutum merita* (codex Trebonensis Balbini habet: *miracula*) *preclara patuerunt.* Reliqua ex vita Ms. S. Ludmillæ Bibliothecæ Clementinæ persequamur, quæ emendatius hæc Christanno refert: *Odoris & mira fragrancia de gleba sacri corporis vaporabat, que omnem superans odorem sanctimonie ipsius declarabat effectum. Lampades insuper ardentes septem vicibus vise sunt descendere super tumulum ejus, claritatem fidei, que in vita lucebat, significantes. Hoc audiens nurus ejus iniqua, captaque timore nimis, mandavit, ut super tumulum Venerabilis corporis domus, in qua, dum viveret, matrona Christi habitabat, in modum basilice locaretur, quasi sub honore Beati Michaelis, ut si que deinceps ibi miracula fierent, non Beate Ludmille, sed sancto Michaeli ascriberentur. Cui licet invite occurrit occasio honorem Christi ampliare. Nescienti utique: quia per occasionem, sive per veritatem annuncietur, in gaudium famule Christi per hoc multiplicatur. Claruit autem ibi* (Tetini) *postmodum miraculis non paucis ad edificationem populi, & ad insinuacionem sue sanctitatis, quam assecuta est in virtute fidei Jesu Chri-*

Christi, qui cum Deo Patre vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum; Amen. Quibus verbis Anonymus hic vitam S. Ludmillæ absolvit.

III. Ab Hevellis & Dalemincis Slavis præsente anno Henricus Germaniæ Rex bellum in Boemos transtulit: Causam Witichindus in Thancmari legatorum violationem refundit, quod extra seriem historicam libro demum secundo in gestis Ottonis I. narrat: *Witichind. l. 2. p. 643.* *Datum quippe erat illis* (Bohemis) *& antea a patre suo* (Henrico) *bellum, eo quod violassent legatos Thancmari filii sui, de quo in sequentibus plenius dicturos arbitramur.* Verum non deliberavit fidem suam Witichindus, quanquam enim Thancmari rebellionem casumque postea persecutus sit, tamen historiam hujus legationis violatæ nuspiam uberius explicavit. Habemus igitur susceptæ hoc anno Henricianæ adversus gentem nostram expeditionis præcipuam & fortassis postremam irritantem causam: *violationem legatorum Thancmari filii sui*, quæ violatio procul dubio minime imperio S. Wenceslai, sed arrogantis matris suæ Drahomiræ ambitione profluxit, quæ involata jam superioris anni exitu tutela, & usurpato Bohemiæ Ducatu cum S. Ludmillæ percussoribus Tunna & Gommone pro arbitrio versabat omnia, ut supra Num. I. ex Christianno palam fecimus. Diximus autem hanc nobis verosimillime postremam irritantem causam videri; quod non dubitemus præcessisse alias, & quidem: auxilium militare Hevellis popularibus suis & fortassis etiam Dalemincis a Drahomira submissum, tum forte Christianæ rei in Bohemia vexationem, & cumprimis Clericorum exturbationem, qui turmatim ad Henrici terras convolantes, precibus aures ejus fatigasse videntur, ut nutanti in Ducatu Bohemiæ religioni Christi opem ferret. Verum jam expeditionem hanc, ut eam omnium verbosissime narrat Witichindus, audiamus: *Posthæc Pragam adiit* (Henricus) *cum omni exercitu Bohemorum urbem, regemque ejus in deditionem accepit: de quo quædam mirabilia prædicantur: quæ quia non probamus, silentio tegi judicamus. Frater tamen erat Bolislavi, qui quamdiu vixit, Imperatori fidelis & utilis mansit. Igitur Rex, Bohemias tributarias faciens, reversus est in Saxoniam.* *Witichind. l. 1. p. 639.* Expeditionem hanc præsente anno accidisse docet nos Continuator Reginonis ita scribens: *Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXVIII. Henricus Rex Boemos hostiliter invasit, & præstante Deo fortiter superavit.* *Cont. Regin. ad h. a.* Annalista Saxo idem ad præsentem annum narrat: *Rex Pragam Boemiorum cum exercitu adiit, urbem & Regem in deditionem accepit, Boemios tributarios faciens reversus est in Saxoniam. Regnabat autem in Praga Wenceslaus Deo, & hominibus acceptus, qui inter cætera, quæ de ipso prædicantur mi-* *Annalista Saxo ad h. a.*

rabilis, tormentorum genera, & patibula ſuſpendiis hominum præparata dirui fecit, ne immunitas judicum extreſceret, nec reparari ſuo tempore permiſit. Quem annum ſervat etiam Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, & ex eo Calviſius item Spangenbergius. Et quanquam Chronographus Saxo hanc expeditionem illiget anno 927, Hermannus Contractus vero, Sigebertus, & Abbas Ursbergenſis anno 930, tamen Continuatoris Reginonis & Annaliſtæ Saxonis teſtimonium merito præferendum, quod ſupra memoratis annis Henricum aliis expeditionibus impeditum fuiſſe conſtet. Juvat tamen Sigeberti verba, quæ a ceterorum relatis paululum diverſa ſunt, hic apponere: *Wenzeslaus*, inquit, *Princeps Bohemiæ a Rege Henrico in Praga urbe obſeſſus, ſe & urbem Regi dedit, & impoſitam Boemiæ multam, tributi pecuniam ſolvit.* In hac eadem expeditione cum Henrico Arnulphum Bajoariæ Ducem fuiſſe prodit Chronicon vetus Salisburgenſe, & ex eo veroſimillime Vitus Arnpekius. Cum autem hic ubivis Wenceslaus memoretur in deditionem acceptus, neſcio, quid ſibi velit Jordanus: qui hujus *anni expeditionem* geminans tantum *in Principem particularem ſeu ſubregulum Satecenſem, nec non Toparcham Bilinenſem*, ut ipſe loquitur, ſuſceptam ait; cui conveniſſet prius oſtendere, quo fonte hunc Satecenſem ſeu Bilinenſem Toparcham hauſerit; de quibus apud omnes veteres ſilentium. Ursbergenſis perperam Boleslai patrem, qui erat Wratislaus, in deditionem acceptum tradit, procul dubio vocabuli ſimilitudine falſus. Fluctuat etiam Brunnerus, num revera is Wenceslaus fuerit, denique Weleslavinus & Balbinus ex noſtris id confidenter de Boleslao explicare nituntur, ſed Witichindus totque alia veterum documenta, eam fidem merentur, ut hæſitationem omnem proturbari neceſſe ſit. Merito enim Wenceslaus in deditionem acceptus legitur, quod is ſtatim a patris obitu in Ducem Bohemiæ inauguratus fuerit, Ducatusque univerſi habenas tractaverit, Boleslaus vero certa clientelæ lege tanquam fratri ſeniori obnoxius fuerit, quem igitur deditionem facere, & tandiu intermiſſum tributum pangere convenerat. Et quanquam his annis mater Drahomira malorum iſtorum omnium author tyrannidem uſurpaverit, metuque poteſtatem filii Wenceslai in multis reſtrinxerit, tamen eam nunquam Boemiæ Ducem agnoſcere potuit Henricus, nec recte Hiſtorici hujus ævi ſcripſiſſent expeditionem ab Henrico contra eam ſuſceptam, aut eam in deditionem acceptam, aut denique ad tributi penſitationem fuiſſe compulſam. Quin tamen illa cum *filiis* ſuis Wenceslao Boleslaoque Pragæ obſeſſa, & prioris potiſſimum *ductu* pa-

Calviſius in Chronol. & Spangenberg. in Chron. Saxon. ad h. a.

Sigeb. Gembl. ad An. 930.

Hicr. Fez. T. I. p. 338. Chron. Baj. l. 3. c. 9. Jordan. Orig. Slav. c. 29. §. 54 & n. 1066. & 1068.

Annal. Bojor. P. 2. l. 2.

pacis conditiones cum Henrico initæ fuerint, negare nolim, quod nihilominus merito Wenceslao hi vetusti Scriptores attribuunt, cum non ignoraretur re ipsa eo tempore, quanquam annis pupillaribus, Ducem fuisse. Quare etiam vel uno Wenceslao in deditionem accepto Witichindus in plurali *Bohemias tributarias* factas scribit, quod scilicet Wenceslaus tanquam *Princeps Magnus* præcipuusque nomine ceterorum omnium Ducum seu regulorum Bohemiæ hanc tributi præstationem Henrico pactus sit. Hæc vero tam nominata Henrici contra gentem nostram expeditio ab omnibus Historicis nostris prætermissa fuit, primus omnium Goldastus eam in suo de regno Bohemiæ libro ex Witichindo aliisque in historiam patriam intulit; idcirco nullæ ampliores de ea memoriæ, quam quæ in supra relatis veterioribus scriptoribus leguntur. Attamen Pessina tot circumstantias expeditionis hujus cumulat, ut credas eum non modo sæculo illo vixisse, sed pene rebus his gestis præsentem fuisse, quæ quoniam prolixiora sunt, & poetice magis, quam historice deducta, prætermittimus, & legere cupientem ad eum remittimus. Illud tamen majoris notitiæ ergo non tacendum: Verosimillimum videri hanc Boemiæ invasionem ab Henrico seu ipsa adhuc hieme, seu primo vere fuisse attentatam: Nam teste Frodoardo is hoc ipso anno adhuc cum exercitu Rhenum transiit, & supra Mosam Durofostum Bosonis Comitis castrum obsedit, neç ab eo recessit prius, quam Boso datis obsidibus, juramentoque emisso fidelitatem clientelamque promisisset. De tributo autem annuo, cui hac Henrici expeditione rursum subjici cœpit Bohemia, jam paragrapho sequenti:

Pessina Rad. 3. p. 6. & 7.

Frodoard. in Chron. ad b. a.

IV. Ab eo tempore, quo Suatoplucus Moraviæ Dux jugum Francicum excussit, sibique plures vicinas Slavicas gentes fœdere junxit, Moravi Boemique usque ad annum præsentem omni tributi pensitatione olim Carolo M. pacta conceſſaque immunes perstitere. Et quamquam medio tempore bis terve acciderit, ut Moravi Boemique præliis victi Francis id muneris annui genus uno alterove anno detulerint, tamen extemplo novis excitatis bellis se se in priorem libertatem restituerunt. Præsente vero anno indubitatum videri debet hoc tributi onus per S. Wenceslai deditionem, rursum Boemiæ injectum fuisse, quod tamen denuo frater ejus Boleslaus statim sub primum Ducatus sui annum sustulit, neç prius quam post annorum quatuordecim bellum rursum Ottoni I. concessit. Jam autem excutiendum: num præter hoc annuum tributum etiam S. Wenceslaus alii servitutis jugo, aut

clientelæ vaſalligiique generi ſubjectus fuerit, ut nonnulli volunt, ab eoque ad reliquos ſucceſſores Duces Bohemiæ in genus clientelæ feudique transfierit? Goldaſtus narrata Henrici expeditione hanc confidenter fert ſententiam: *Huc redit ſumma denique: Bohemos ab Henrico I. Rege fuiſſe ſub Imperium populi Germani ditionemque ſubjunctos fidelitate ab eis exacta, & tributo annuo iterum impoſito, eorumque Ducem Wenceslaum inter Principes Imperii Germanici allectum eodem jure, iisdem privilegiis, quibus Franci, Alemanni, Bavari, Saxones utuntur, fruuntur.* Adamus Fridericus Glafeyius has quæſtiones ſibi movet: an Henricus Auceps jus habuerit Boemos rurſum ſub nexum Corporis Germanici redigendi? an in æquale jus recepti ſint? an victi deterioris conditionis effecti? ad primum reſpondet: Henrico jus quæſitum fuiſſe; cum enim olim Boemi ſub Arnulpho ſub hoc nexu ſteterint, ſe ſe proprio auſu inde non potuiſſe expedire, imo cum Boemi terras Henrici & vicinorum armis lacteſſiverint, juſtam belli cauſam habuiſſe eos ſubjugandi. Sed hoc *argumentum* nullum prorſus eſſe, nec Arnulpho unquam Bohemiæ *Ducatum ſubjectum* fuiſſe ad annum 890. copioſe alibique oſtendimus, nec quæritur hic de jure, ſed de facto, num reipſa Henricus Boemos ſubjugaverit, in nexumque Corporis Germanici compulerit, quod Glafeyio hujus ævi documentis demonſtrandum fuiſſet. Ad ſecundum & tertium reſpondet idem doctiſſimus Jurisconſultus: etiam Turingos tributum dare coactos, quo non obſtante in æqualem tamen nexum aſſumtos, item Bavaros etiam ſubjectos fuiſſe, & tamen æquale jus civitatis Germaniæ indeptos: quare etſi, inquit, bello ſubacti Boemi & ad tributum annuum compulſi, imo etſi variis favorabilibus immunitatibus ab Imperatoribus donati, vi quarum non tenerentur comparere in Comitiis, nihil conferre auderent in ſubſidium Imperii, nec appellare poſſent ad Cæſarem, tamen propterea jure civitatis Germanicæ non eſſe privandos, cum eis liberum ſemper fuerit hoc privilegio utendi, & jura ceterorum membrorum Imperii exercendi. Ita fere Glafeyius. Quæ quidem Jurisconſulti iſtius poſteriora dicta reſpicere magis videntur viciniora nobis ſæcula, quam id, de quo agimus, & de quo multo diverſa formanda criſis: Viriherus, ſeu ſi ſublato ſipario clarius id nomen libet exprimere: Hermannus Abbas Strahofienſis in ſuis Vindiciis Bohemiæ plus æquo negat: derogat enim omnem fidem illi narrationi, quod S. Wenceslaus Henrico Germaniæ Regi deditionem fecerit, aut tributum penſitaverit, iis argumentis nixus: primo quod in hiſtoria patria ejuſce rei non reperiatur indicium, ſecundo quod cauſa afferri non

Goldaſt. l. 2. c. 3. p. 162.

Pragmatiſche Geſchichte c. 1.

Viriherus §. 5.

non poſſit, cur pacificus alioqui Princeps Wenceslaus, quem Henricus in oculis ferebat, bello impetitus, hisque duris conditionibus ſubjectus fuiſſet? denique narrationem hanc a Goldaſto prolatam plurimis ſcatere erroribus pronunciat. Sed non obſtante hiſtoricorum patriorum ſilentio neminem jam futurum arbitror, qui tot veterum ejusdem ævi ſcriptorum teſtimoniis ac cum primis Witichindo fidem integram concedendam eſſe, non ſit confeſſurus: nempe S. Wenceslaum præſente anno & deditionem feciſſe, & Henrico tributum annuum pepigiſſe. Cauſas, quæ Henricum ad inferendum non tam S. Wenceslao, quam Drahomiræ bellum impellere potuerint, jam ſub initium §. III. allegavimus. Jordanus noſter contra plus æquo conceſſit Henrico, dum ita commentatur: *Scilicet S. Wenceslaus potentiæ Cæſaris libenter ceſſit, & ſua que eidem obtulit, & impoſterum ex beneficio Cæſaris ſe Ducatui præfuturum ſpopondit; Regionem & Religionem ſub tanti Principis poteſtate tranquilliorem tutioremque fore ratus. Secundo notanda ſunt verba, quæ hiſtorici non tantum in Wenceslao, ſed & aliis ſubſequentibus Bohemiæ Ducibus, adhibere ſolent:* Ex eo Imperatori fidelis & utilis manſit. *Quæ nexum feudalem certe innuunt*; fidelis *enim non tantum fidelitatem generalem, ſed etiam fidelitatem ſpecialem ſeu Vaſalliticam*, utilis *vero tributi penſitationem ſignificat. Unde licet antea Duces Bohemiæ ad ſolum tributum exſolvendum obligati, cetera vero liberi fuerint, & in deditionem nemini venerint: Wenceslaus tamen ſanctus in dedationem iſtam venit, fidelitatem & tributum promiſit, & Vaſallus Imperii non involuntarie factus fuit. Et quid aliud quam inveſtituram denotavit traditio vexilli cum nigra aquila ſancto Wenceslao ab Ottone magno in Comitiis ut volunt) Wormatienſibus facta?* hactenus Jordanus: quem ad hæc tam confidenter pronuncianda partim noſtrorum ſomnia de Comitiis Wormatienſibus & feudo-vexillo induxere, partim perſuaſere tum ſupra relata Witichindi verba, tum maxime illa Authoris vitæ Mathildis c. 2. de Henrico ſcribentis: *Cum autem mirum in modum proficeret Princeps laudabilis* (Henricus) *Chriſtus illi plus auxit honorem dignitatis, per plurimas nationes ſuo ſubjugans dominatui: Danos, Sclavos, Bocmones, Bajowarios, ceteraque plurima regna, quæ ſuis anteceſſoribus non fuerant ſubjecta.* Quæ quidem verba *dominatui ſubjecta* non pro quacunque ſubjectione aut vaſallagio, ſed ſolius tributi præſtatione non raro accipiuntur a veteribus, et ſane explicanda ſunt ex ipſo Witichindo: qui narratis rebus omnibus, quæ in Bohemia circa S. Wenceslaum acciderant, haud aliud ſubjungit, quam: *Igitur Rex Bohemias tributarias faciens reverſus eſt in Saxoniam.* Eandem nonniſi quoad tributum ſubjectionem innuit Ditmarus: *Has regiones,*

Jordan. in Arbipinc. c. 5. §. 5. & 6.

Leibnit. T. I. p. 195.

Ditmarus l. 1. p. 326.

nes, inquit, *sibi fecit tributarias: Bojemiam, Deleminciam, Obetritos, Wilci, Hevellos & Redarios*, quod idem ait Helmoldus: *Boemos & Sarabos ab aliis regibus edomitos, & ceteros Slavorum populos uno grandi prælio ita percussit, ita ut ceteri, qui perpauci remanserant & regi tributum, & Deo Christianitatem ultro promitterent.* Non igitur subjectionem & clientelam, sed tributum annuum Henrico S. Wenceslaus concessit, quæ una solaque nexus cujusdam (si ita appellare libet) cum Regibus Germaniæ conditio ad Henrici usque III. tempora immutata perstitit. Nam cum idem Imperator ultra hanc attentare quidpiam auderet, missi ex Bohemia legati hac orationis confidentia teste Cosma eum allocuti sunt: *Nostra gens nunquam exstitit rebellis, & tibi in omnibus bellis mansit, & manebit semper fidelis, si justitiam tantum nobis facere velis. Talem enim nobis legem instituit Pipinus magni Caroli Regis filius, ut annuatim Imperatorum successoribus CXX. boves electos, & D. marcas solvamus. Marcam nostræ monetæ CC. nummos dicimus: hoc testatur nostratum ætas in ætate, hoc omni anno sine refragatione tibi solvimus, & tuis successoribus solvere volumus. At si aliquo præter solitum legis jugo nos aggravare volueris, mori potius promti sumus, quam insuetum ferre onus.* Qua in oratione duo fatentur legati Bohemiæ: nempe tributum annuum, & fidelitatem in bellis, quæ ea ipsa fidelitas est, quam S. Wenceslaus in deditione sua nomine universorum Bohemorum Henrico addixit, & quam per omne vitæ tempus eum servasse laudat Witichindus, quo pacto simul duplici titulo Henrico *utilis* exsit: nempe primo tributum annuum pensitando, secundo amicitiam perpetuam adversus Henricum colendo, & cum opus esset etiam auxiliis adjuvando. Si quid igitur ex his verbis *fidelis & utilis* ultra argumenti capiendum, id summum concedendum est: S. Wenceslaum, more illi ævo usitato, Henrici Regis militem effectum, cujusmodi plura etiam antiquiora exempla in gestis Regum Francorum de Daniæ & Normanniæ regibus, imo & Italiæ Ducibus leguntur, qui nempe Francorum regum milites, pleno ceteroquin jure terrarum suarum, effecti sunt, nec aliam præterea servitutem aut clientelam agnoscebant, quam ut Francorum regum amici essent, & requisiti illis belli laborantibus copiis suis opitularentur. Eo pacto se Heroldus Daniæ Rex Ludovico Pio dedidit, ejusque miles effectus est. Normam ceremoniamque veterem hujus deditionis eleganter expressit libro 4. Ermoldus Nigellus:

Helm. Chron. Slav. l. 1. c. 8.

Cosmas l. 2. ad An. 1040.

Apud Menken. T. I. p. 950.

Mox manibus junctis Regi se tradidit ultro (Heroldus)
Et secum regnum, quod sibi jure fuit.

Su-

Suscipe Cæsar, ait, me, nec non regna subacta,
Sponte tuis memet confero servitiis.
Cæsar & at ipse manus manibus suscepit honestis,
Junguntur Francis Denica regna piis.
Mox quoque Cæsar evans Francisco (id est Francico) *more veterno*
Dat sibi equum, nec non, ut solet, arma simul.

Quæ Eginhardus oculatus rerum harum testis præter ullum servitutis indicium his verbis explicat: *Et se in manus illius commendavit.* Quare recte Conringius negat eo tempore Daniam in jus Imperii Germanici translatam. Ea itaque prorsum norma deditio facta a S. Wenceslao, ut Henrici amicus sociusque fieret, eoque amicitiæ nexu juncta Bohemia Henrici Regno, ut periculo quoquo emergente utrinque pro alterutrius salute parata expeditaque essent arma. *Conring. l. 1. c. 4 de finibus Imp. Germ.*

Verum Neumannius in Jordani Archipincernatum commentans urget atque instat: minime dubium sibi videri: primum omnium e Ducibus nostris fuisse S. Wenceslaum, qui ab Henrico Aucupe Bohemiæ Ducatum in feudum acceperit, quique ab illo per *feudo-vexillum liberrimum tamen & honorarium* investitus fuerit. Argumentum hujus Jurisconsulti est: *In omnibus* (inquit) *vetustis picturis S. Wenceslaus primus omnium inter Duces nostros visitur bannerium seu feudo-vexillum in manu dextra gestare, a quo id demum posteriores Duces nostri in sua sigilla receperunt. Sic vidi Boleslai Pii sigillum in Archivo sanct-Margaretano, quo repræsentatur Dux nudo capite sedens, leva scutum, dextra vexillum gerens, narraveruntque mihi sanct-Margaretani per omnia simile esse Brzetislai Ducis, quod habetur in Moravia in Cœnobio ipsorum Raybrad. Quid vero aliud illud vexillum, quam feudale seu bannerium? quod nempe primus ab Henrico Aucupe accepit S. Wenceslaus, & quod postea Duces nostri in signum feudi liberrimi & honorarii in sigillis suis & nummis retinuerunt.* Hactenus vir hic juris peritissimus non rem antiquitatis. Ultro quidem concedimus primum omnium Ducibus nostris S. Wenceslaum cum vexillo in vetustis picturis spectari, imo fatemur illum ea prorsus ratione in contrasigillis Ducum norrorum sæculi XI. & XII. exsculptum reperiri, nempe sedentem in rrono, limbo caput cinctum, dextra manu quoddam vexilli genus, nistra clypeum gerentem, eidemque formæ pene omnia sigilla vetuiora Ducum Regumque nostrorum respondere: at vero negamus, id, uod seu S. Wenceslaus seu reliqui Duces nostri manu dextra ferunt, *annerium* seu *feudo-vexillum* esse. Quid enim dicturi fumus de Conra- *In Thesibus Jurid. Miss.*

di I. & ipſiusmet Henrici Aucupis Germaniæ Regum ſigillis, in quibus illi plane ad eam normam cum ejusmodi vexillis repræſentantur? cujus quidem figuræ duo Conradina, alterum ex Abbatia Corbejenſi l. 2. p. 89. alterum ex Abbatia Sangallenſi l. 2. p. 106. tertium denique Henricianum rurſum ex Abbatia Corbejenſi protulit rerum antiquarum ſcientiſſimus Abbas Gotvicenſis. Eane etiam *Banneria* ſeu *feudo-vexilla* appellare libebit? a quo autem Conrado & Henrico Regibus Germaniæ conceſſa fuiſſe ſtatuemus? non ſunt igitur Banneria ſeu feudo-vexilla illa, quæ in ſigillis Ducum noſtrorum viſuntur, ſed *haſtæ faſciatæ*, ſeu *lanceæ cum faſcia aut flammulo*, qualis mos haſtas præſertim Principum perſonarum antiquitus exornandi etiam S. Wenceslai ævo obtinuit. Juvat exſcribere Eruditiſſimum Abbatem Gotvicenſem hoc argumenti genus plane ſolideque tractantem: *Regali huic lanceæ, more ævi illius militaris, appenſa ſemper erat faſcia quædam, haſtam permodum vexilli repræſentans, quod in binis noſtris Conradinis, ut & in Henriciano aliisque apparet. Egregium in hanc rem nobis præſtat teſtimonium Albertus Aquenſis ſæculi XII. ſcriptor in Geſtis Dei lib. 4. c. 6. ibi*: vexilla in haſtis eorum nodis aureis & fimbriis argenteis montes in circuitu nimio lucis decore coruſcare faciunt. *Deſcripſit ſimiliter Nicolaus Alemannus in Parietibus Lateranis p. 46. imaginem, quam curavit pingi Leo tertius, in qua exhibetur S. Petrus in ſolio cum tribus clavibus, porrigens dextera manu Pontifici Leoni Pallium, ſiniſtra Carolo M. lanceam vexillo ornatam, quæ poſtmodum ex dicto Alemanno Mabillonius noſter in Annal. Bened. l. 26. n. 87. p. 352. & plenius Henſchenius in actis SS. ad diem 12. Julii p. 583. n. 40. expreſſerunt. Migravit hic mos lancearum vexillo ornatarum ad noſtros nummos Germanicos, bracteatos præſertim, ubi S. Mauricii lanceæ faſcia hujusmodi, quemadmodum in ſigillis ornatur - - - cum revera nil aliud ſit niſi lancea faſcia admodum vexilli ornata, ſeu haſta cum flammulo, quam nos Theotiſci* einen Rennſpies mit einer Fahnen *appellamus.* Cujusmodi plane lanceam faſciatam eſſe, quæ in dextris Ducum noſtrorum apparet, ad oculum oſtendunt ſigilla, in quibus pene omnibus cuſpis lanceæ ſignanter expreſſa eſt, & ei permodum faſciæ quidpiam appenſum ſpectatur, ut vel ex ſigillo Boleslai jam a nobis Parte II. Annalium noſtrorum p. 127. excuſo videre licet. Nonniſi pictorum igitur imperitorum licentia enatum eſt, quod S. Wenceslao vexillum ea forma & latitudine, qua paſſim hodie pingitur, ſit appoſitum, antiquitatis inſuper inſciorum errore accidit, quod lanceæ hæc faſciata S. Wenceslai ceterorumque Ducum noſtrorum *pro* banneriо aut feudo-vexillo habita ſit; nam commentitium eſt, quidquid

Chron. Gotvic. T. I.

Ibid. l. 2. p. 112

quid ſupra Jordanus de vexillo feudali cum nigra aquila ab Ottone I. S. Wenceslao data aſſeruit, quod argumentum poſtea ad annum 935. in Prætermiſſis latius tractabimus.

ANNUS 929.

Poſt tam eximias, quas ſuis quibusque locis recenſuimus virtutes, illuſtrior etiam hoc anno viſa Wenceslai ſanctitas. Monuerat is ſemel atque iterum Boleslaum fratrem, uti poſita animi ſævitia pro Chriſtiana manſuetudine imperaret, imperioque aſpere in ſuos exercito nonnihil moderaretur, ſancte pollicitus, ſi id præſtitiſſet, ſe Principatum Pragenſem ultro illi ceſſurum, (a) atque in clauſtro a ſe condendo ſub cucullo reliquum, quod ſuppeteret, vitæ cœlo transmiſſurum. Boleslaus, cui omnino nihil antiquius in votis erat, quam Pragenſis Ducatus habenas regere, ſancte pollicitus eſt omnia. Sed innata, & matris inſtitutione obfirmata animi durities modum ignorare viſa. Verbis nihilominus fidem præbens Wenceslaus Krzezobojum & Blazislaum fidos nuncios ſuos Romam expedit, qui Pontifici Maximo conſilium Principatus ſui in Boleslaum transferendi aperiant, ſimulque licentiam ſibi impetrent cucullum Ordinis Divi Benedicti aſſumendi. (b) Dum oratores injuncto ſibi negotio ſatisfacturi iter ingrediuntur, dirus frater moræ impatiens omne conſilium ad fraudem & vim convertit: Uterum ferebat uxor ejus Brzena filia Krayslavi le Stachow, & partum ſe proxime enixuram ſperabat. Ad epulas itaque luſtricas Wenceslaum invitare, (c) eumque

Wenceslaus meditatur Monachatum.

Invitatur a fratre Boleslao ad luſtricas epulas.

sive clam, sive propalam vita exuere sedet animo. Wenceslaus, Princeps utique cœlesti spiritu plenus, non ignorabat, quo malesida fratris consilia, & hæc amicitiæ fuco oblita invitatio valerent, proficiscendum tamen Boleslaviam, & Martyrium accelerandum esse statuit. In itinere multus de religione Christiana cum pedissequis suis injectus sermo, & hem! cum ad fluvium Albim pervenitur, obvium sibi habent quendam hominem Sroskium nomine, qui viso Principe equo desiliens, mox curvato illum genu accedit, atque quidpiam in aures susurrat cum dicto. „ Inscende ve-
Monetur de paratis sibi insidiis,
„ lociter hunc equum, Pragamque revertere, *nam apud* „ fratrem vitæ tuæ certissimæ positæ insidiæ. (*d*) Amice „ (respondit Wenceslaus) gratiam habeo pietati fideique „ tuæ. Non minus mihi atque tibi fratris perfidia explora„ ta est. Indignissimam eam non modo cujusque humani„ sed eo magis Principalis sanguinis profusionem execror. „ At crede mihi, omne mortale consilium pendet a nutu „ Dei. Deus est, qui vitæ meæ limitem posuit, quem trans„ gredi neque possum, neque velim, si possim. Abunde inter „ mortales vixi humanis casibus obnoxius, ultra sic vivere, ni„ hil est amice, quod desiderem. „ Quo dicto alter ab altero divulsus. Ventum itaque est ad Boleslai palatium, qui hospitem comiter quidem, non tamen præter simultatis indicia excepit. Interim appropinquante vespere paratur convivium, & Wenceslaus primas sedes cum præcipuis occupare jussus dapibus nonnisi modicis orexim proluit, corde quantus quantus ad orationem Deumque conversus. Inter
Accumbit mensæ.

hæc

hæc vultum ſermonemque ad proceres ſuos retro ſedentes dirigens, infit: „ Eſtote hilari animo amici, & cibis potu- „ que mecum poſtremum corpora recreate. Nam non ul- „ tra vobis obtinget mecum refici. Cras, ſi Chriſti gratia „ me non deſerit, cras, inquam, in pervigilio Divi Michae- „ lis vitâ pro Chriſto ponenda eſt, ſpeque certa erigor hunc „ cœleſtis Paradiſi Præpoſitum in manus redemtoris mei ſpi- „ ritum meum traditurum. (e) Idcirco unusquisque pocu- „ lum ſuum in memoriam Principis Angelorum bibat, ut „ me vosque in æterna tabernacula tranſuehat. „ (f) Menſis remotis in proximum palatio templum Deo ultimum ſupplicaturus ſecedens, mittit Podivinum ſervorum ſuorum fidiſſimum, comitemque individuum, qui ſacerdotem accerſat. Deterſis anteactæ vitæ vel leviſſimis maculis ſe ſe gratiæ divinæ integre conciliat, rurſumque ad templum reverſus, ad matutinum usque pernox in precibus perdurat, (g) donec ſacerdotum chorus matutinas Deo laudes decantaviſſet. Poſt quod noctis ſpatium, diſcedentibus ad ſua templi miniſtris, ipſe in veſtibulo Eccleſiæ in genua veſtibus nuda provolutus, manusque in cœlum tendens ſupremum numen adoravit, ſpiritum ſuum in ſanctiſſimas ejus manus commendans. (h) Ad primam auroræ lucem adeſt ſacerdos, de cujus manibus divinum epulum, id eſt, viaticum æternitatis accepit. Mox ad priorem veſtibuli locum reverſus de poplite, triumphans veluti, exclamavit in cœlum: „ Tandem omnia mortis terriculamenta vici! tandem, ut cupii, ſacrificium Deo optimo maximo fieri pa- „ ra-

Eccleſiam adedit.

Reficitur S. Euchariſtia.

„ ratus ſum! „ (i) Forte reſpiciens, adeſſe advertit fratrem, crudelem, inquam, Cain innocentis Abel ſanguinem ſitientem, quem extemplo verbis humaniſſimis ſalutans; in-
Cæditur a fratre Boleslao. columem diei precatur ingreſſum. (k) Verum Boleslaus educto e vagina gladio jam jam lethale inflicturus vulnus vibrat ſecundum caput, auriumque alteram diſcindit. Illico amiſſo e manibus gladio pedem referens impos ſui in terram concidit. At vero Wenceslaus ſublatum humo mucronem percuſſori reſtituit cum dicto: „ In tuo frater arbitrio eſto, „ facere quod velis. „ (l) Teterrimus parricida arreptum mucronem capulotenus innocentiſſimi fratris tergo *immergit*, (m) innuensque Styrſæ atque Hnievſæ ſatellibus ſuis geſtu ſignificavit, ut ſcenam abſolverent, ipſe mox ſceleris conſcientia perculſus fugienti ſimilis alacer trepidansque ſe in palatium ſuum condidit. Styrſa vero & Hnievſa ſceleſti carnifices multis cæſim atque punctim inflictis vulneribus eo usque deſæviunt, dum exhalaſſe animam comperiſſent; corpore itaque exanimi humi relicto dominum ſuum ſequuntur. (n) Sanguis, quo vicinum parietem aſpergi contigit,
Sanguine aſperſus paries deleri non poteſt. nulla arte obliniri unquam aut deleri potuit. (o) Sub hæc additur parricidio ſceleratius mendacium: impii Boleslai ſatrapæ ſublato altum clamore Wenceslaum inſidiatorem ſicariumque falſo criminantur: „ Wenceslaus (vociferantur) clanculum „ ad templi veſtibulum ſtricto enſe Principem noſtrum fratrem„ que ſuum opertus eſt, ut ingredientem neci daret. No„ ſtrum erat tueri Ducem dominumque, nec alio pacto vim „ ab eo removere licuit, quam Wenceslaum vulneribus *fef*„ ſum reddere. „ (p) Com-

Comperta cæde non modicus omnes & ſingulos Wenceslai clientes invaſit metus, nec fuga remedium illis viſum meliùs. (q) Solus Podivinus, interior ille Wenceslai aulicus, omniumque ejus virtutum arbiter, ab exanimis Principis corpore non receſſit, commori ei cupiens, quem a demortui ſui heri amplexibus vi avulſum, eductumque iniqui ſatellites juſſu Boleslai injecto vimineo laqueo in vicina quercu ſuſpendere, (r) Hoc vero tale tantumque omnibus retro ſæculis inviſum inauditumque nefas adeo univerſi Ducatus mortales perculit, ut ſtupor trepidatioque longe lateque oppleret omnia. Ipſe Boleslaus ægræ mentis compos ſcelus ſuum tam atrox execratus infelici per id tempus nato filio Strachyquas (quaſi terribile & funeſtum convivium dicas) nomen dedit. (s)

Podivinus laqueo appenditur.

Eodem temporis puncto, quo Wenceslaus cæſus eſt, Chriſtus Erico Danorum Regi cum Eduardo Britanno acie congredi paranti videndum ſe dedit, dixitque ad Regem: „Faciam Erice, ut victor ex prælio redeas, ſi Martyri „meo Wenceslao, qui hodie amore mei ſanguinem in Bo„hemia ſudit, ædem voveris. „ Vovit Rex, potitusque victoria, legatos in Bohemiam miſit exploratum: quis ille vir, quo mortis genere, quo percuſſore, & quam ob cauſam periiſſet? per quos, ubi ea, quæ voluit, intellexit, continuo Baſilicam Divo Wenceslao poſuit, diemque martyrii per omnes regni ſui ditiones feſtiva ſolemnitate celebrari præcepit, quemadmodum ea dies etiam hodie haud aliter atque in Boemia hominum religione eſt feſtiva. (t)

Erico Daniæ Regi divinitus revelatur Martyrium S. Wenceslai.

Condit in Dania templum honori S. Wenceslai.

At

clientelæ vaſalligiique generi ſubjectus fuerit, ut nonnulli volunt, ab eoque ad reliquos ſucceſſores Duces Bohemiæ in genus clientelæ feudique transfierit? Goldaſtus narrata Henrici expeditione hanc confidenter fert ſententiam: *Huc redit ſumma denique: Bohemos ab Henrico I. Rege fuiſſe ſub Imperium populi Germani ditionemque ſubjunctos fidelitate ab eis exacta, & tributo annuo iterum impoſito, eorumque Ducem Wenceslaum inter Principes Imperii Germanici allectum eodem jure, iisdem privilegiis, quibus Franci, Alamanni, Bavari, Saxones utuntur, fruuntur.* Adamus Fridericus Glafeyi has quæſtiones ſibi movet: an Henricus Auceps jus habuerit Boemos rurſum ſub nexum Corporis Germanici redigendi? an in æquale jus recepti ſint? an victi deterioris conditionis effecti? ad primum reſpondet: Henrico jus quæſitum fuiſſe; cum enim olim Boemi ſub Arnulpho ſub hoc nexu ſteterint, ſe ſe proprio auſu inde non potuiſſe expedire, imo cum Boemi terras Henrici & vicinorum armis laceſſiverint, juſtam belli cauſam habuiſſe eos ſubjugandi. Sed hoc *argumentum* nullum prorſus eſſe, nec Arnulpho unquam Bohemiæ *Ducatum ſubjectum* fuiſſe ad annum 890. copioſe alibique oſtendimus, nec quæritur hic de jure, ſed de facto, num reipſa Henricus Boemos ſubjugaverit, in nexumque Corporis Germanici compulerit, quod Glafeyius hujus ævi documentis demonſtrandum fuiſſet. Ad ſecundum & tertium reſpondet idem doctiſſimus Jurisconſultus: etiam Turingos tributum dare coactos, quo non obſtante in æqualem tamen nexum aſſumtos, item Bavaros etiam ſubjectos fuiſſe, & tamen æquale jus civitatis Germaniæ indeptos: quare etſi, inquit, bello ſubacti Boemi & ad tributum annuum compulſi, imo etſi variis favorabilibus immunitatibus ab Imperatoribus donati, vi quarum non tenerentur comparere in Comitiis, nihil conferre auderent in ſubſidium Imperii, nec appellare poſſent ad Cæſarem, tamen propterea jure civitatis Germanicæ non eſſe privandos, cum eis liberum ſemper fuerit hoc privilegio uti, & jura ceterorum membrorum Imperii exercendi. Ita fere Glafeyius. Quæ quidem Jurisconſulti iſtius poſteriora dicta reſpicere magis videntur viciniora nobis ſæcula, quam id, de quo agimus, & de quo multo diverſa formanda criſis: Viriherus, ſeu ſi ſublato ſipario clarius id nomen libet exprimere: Hermannus Abbas Strahofienſis in ſuis Vindiciis Bohemiæ plus æquo negat: derogat enim omnem fidem illi narrationi, quod S. Wenceslaus Henrico Germaniæ Regi deditionem fecerit, aut tributum penſitaverit, iis argumentis nixus: primo quod in hiſtoria patria ejuſce rei non reperiatur indicium, ſecundo quod cauſa afferri non

Goldaſt. l. 2. c. 3. p. 162.

Pragmatiſche Geſchichte c. 1.

Viriherus §. 5.

non poſſit, cur pacificus alioqui Princeps Wenceslaus, quem Henricus in oculis ferebat, bello impetitus, hisque duris conditionibus ſubjectus fuiſſet? denique narrationem hanc a Goldaſto prolatam plurimis ſcatere erroribus pronunciat. Sed non obſtante hiſtoricorum patriorum ſilentio neminem jam futurum arbitror, qui tot veterum ejusdem ſæculi ſcriptorum teſtimoniis ac cum primis Witichindo fidem integram concedendam eſſe, non ſit confeſſurus: nempe S. Wenceslaum præſente anno & deditionem feciſſe, & Henrico tributum annuum pepigiſſe. Cauſas, quæ Henricum ad inferendum non tam S. Wenceslao, quam Drahomiræ bellum impellere potuerint, jam ſub initium §. III. allegavimus. Jordanus noſter contra plus æquo conceſſit Henrico, dum ita commentatur: *Scilicet S. Wenceslaus potentiæ Cæſaris libenter ceſſit, ſe ſuaque eidem obtulit, & impoſterum ex beneficio Cæſaris ſe Ducatui præfuturum ſpopondit; Regionem & Religionem ſub tanti Principis poteſtate tranquilliorem tutioremque fore ratus. Secundo notanda ſunt verba, quæ hiſtorici non tantum in Wenceslao, ſed & aliis, ſubſequentibus Bohemiæ Ducibus, adhibere ſolent:* Ex eo Imperatori fidelis & utilis manſit. *Quæ nexum feudalem aperte innuunt*; fidelis *enim non tantum fidelitatem generalem, ſed etiam fidelitatem ſpecialem ſeu Vaſalliticam*, utilis *vero tributi penſitationem ſignificat. Unde licet antea Duces Bohemiæ ad ſolum tributum exſolvendum obligati, cetera vero liberi fuerint, & in deditionem nemini venerint: Wenceslaus tamen ſanctus in deditionem iſtam venit, fidelitatem & tributum promiſit, & Vaſallus Imperii non involuntarie factus fuit. Et quid aliud quam inveſtituram denotavit traditio vexilli cum nigra aquila ſancto Wenceslao ab Ottone magno in Comitiis (ut volunt) Wormatienſibus facta?* hactenus Jordanus: quem ad hæc tam confidenter pronuncianda partim noſtrorum ſomnia de Comitiis Wormatienſibus & feudo-vexillo induxere, partim perſuaſere tum ſupra relata Witichindi verba, tum maxime illa Authoris vitæ Mathildis c. 2. ita de Henrico ſcribentis: *Cum autem mirum in modum proficeret Princeps laudabilis* (Henricus) *Chriſtus illi plus auxit honorem dignitatis, per plurimas nationes ſuo ſubjugans dominatui: Danos, Sclavos, Boemones, Bajowarios, ceteraque plurima regna, quæ ſuis anteceſſoribus non fuerant ſubjecta.* Quæ quidem verba *dominatui ſubjecta* non pro quacunque ſubjectione aut vaſallitio, ſed ſolius tributi præſtatione non raro accipiuntur a veteribus, & ſane explicanda ſunt ex ipſo Witichindo: qui narratis rebus omnibus, quæ in Bohemia circa S. Wenceslaum acciderant, haud aliud ſubjungit, quam: *Igitur Rex Bohemias tributarias faciens reverſus eſt in Saxoniam.* Eandem nonniſi quoad tributum ſubjectionem innuit Ditmarus: *Has regiones,*

Jordan. in Archipinc. c. 5. §. 5. & 6.

Leibnit. T. I. p. 195.

Ditmarus l. 1. p. 326.

„ *cordium imis precemur.* „ *Statimque post verbum ebibit letus, sigillatim omnibus eodem AMORE singulos ciphos ebibendos blandissimo propinat osculo.* De hoc potu animadvertendum: antiquissimum morem fuisse non modo monachorum, sed omnium fidelium, ut pocula propinarentur cum invocatione sanctorum, eorum præcipue, quorum festivitas illo die colebatur, aut quorum patrocinium propinantes aliquando experti. Is potus passim CHARITAS, & in vita B. Edmundi Cantuariensis Episcopi *Charitatis poculum* appellatur. Crebro etiam vocatur AMOR, & *amoris poculum*, uti hic eo nomine utitur author noster. Pleni omnium veterum libri vestigiis ejusmodi CHARITATUM & AMORUM. Sic sæculo VII. de S. Martino I. Papa e carcere emisso scribit coævus: *Circa occasum solis dixit Venerabilis Papa iis, qui erant in ergastulo: accedite fratres, valefaciamus: & biberunt singuli Charitatis gratia calicem.* Sic in *Caritate* S. Emmerami plures leguntur ejusmodi propinationes apud Arnulfum l. 1. c. 7. *In auxilium & Caritatem* S. Udalrici in ejus miraculis, qui locus animadversione dignus: *Vas, quod illi porrigebatur, accepit dicendo: istam sicerum bibere* pro Caritate S. Udalrici, *per cujus adjutorium de maximis angustiis liberatus sum, volo.* Ut alia innumera pene loca præteream, Id ad *Charitatis* hoc poculum etiam pertinet: osculum a propinantibus præmitti solitum fuisse, quod neminem veterum præter nostrum adnotasse hactenus comperi. Ex hoc vero loco & alio, quo Christannus de S. Wenceslao dicit: *At si quando illi ut Principi, feras inter tantus cubanti, contigisset sero hesternoque bibundantem hausisse (morem extra solitum) potum, somno se excutiens diluculo, citissime properans Ecclesiam, quemcunque sacerdotum seu Clericorum inibi reperisset, optimo quocunque indumentorum tegebatur, se si exuens, ibique contradens, pedibus ipsius advolvebatur, obnixe postulans, ut pro semet attentius Christum Dominum exoraret, noxam quatenus illi hesternæ nocte patratam clementer indulgeret.* Ex his inquam verbis sectarii quique infrunito atque impudico ore calumniati sant S. Wenceslaum potui & crapulæ fuisse deditum. In quos jam Joannes de Novo foro Episcopus Litomislienſis & Olomucensis his verbis invehitur: *Desistant barbarice nationes furiarum stimulis creberrime exagitate, & alii detractores malevoli sancto viro derogare, & vitam egregii martyris sanctissimam ebrietatis infamia obfuscare. Certe desistant magis linguam suam, & animam propriis dentibus lacerare. Quoniam idem sanctus vir, dum vixit, ebriosos semper habuit in conspectu suo ingratissimos, & aliquando duris increpavit verbis eos ab ebrietate revocando, interdum persecutus est arcius corripiendo, ut dicit scriptura:* „ *Quia stultus* „ *non verbis sed verberibus emendatur.* „ Idem profecto dicit in laudem S.

Apud Marten. T. III, Anecd. col. 1809.

Apud Baron. ad An. 651.

Apud Mabil. in Act. SS. Bened. sæc. V. p. 464.

Mſ. Vita S. Wencesl.

S. Wenceslai Chriſtannus, qui ſuperiora retulit, his verbis: *Blandum ſemper cum mitibus habens colloquium, cum immitibus vero & vagantibus, crapulisque ſeu potibus deditis, vel a doctrina ſeu tramite recto deviare cupientibus, zelo accenſus divino, ſi haud illos aliter apprehendere valuiſſet, ſaltem menſe ſue occaſionis accerſitos gratia, flagris verberabat ingentibus.* E quo poſteriori Chriſtanni loco ſuperior explicandus: nimirum de tenera S. Wenceslai conſcientia, qui vel modicum exceſſum, & potum ultra conſuetum morem noxam deputaverit. Ea calumnia poſtea cumprimis uſos ſæculo XV. Wicleſiſtas & Huſſitas noſtros haud obſcure innuit vita S. Wenceslai Codicis Trebonenſis.

(*g*) Veteres nihil de hac peccatorum expiatione, paſſim vero cum Anonymo Ottoniano ajunt: *Domum ille ſus reviſit. Noctis autem ſequenti curſu orationum ac eleemoſynarum curioſiſſima deſudans inſtantia, future conſcius mortis, pro Chriſto jure pati devotus, pernoctavit.* Primum autem deprehendo Pulkavam, qui confeſſionis, atque S. Euchariſtiæ ſumtæ mentionem facit, quem poſtea ſecutus Æneas Silvius & Hagecius.

(*h*) Anonymus Ottonianus vero ait: *Redeunte autem poſt gallicinia matutinalis ore* (horæ) *officio, pulſo ſignaculo non ſegnis thoro, ut jam eſt ſolitus, proſiliens, Eccleſium properando ingreſſus cantum nocturnalem, laudesque matutinales modeſta intentans auſcultatione, poſt plurimas orationes domum laſſus membris aliquantum ſomno reficiendis divertitur.*

(*i*) Non modo multo aliter narrata, ſed pene adverſa ſcribit Chriſtannus de ſacerdote, qui plane ei introitum ad Eccleſiam clauſit. Sic vero ille: *Ante noctem ſiquidem frater ſancti Martyris non jam frater, ſed perverſus parricida, presbyteros Eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani invexerat, ut venienti quidem Eccleſiam ingredi omnino negarent, ne forte militibus ejus fidelibus ſeu Camerariis ejus, qui adhuc lecto detinebantur, vel populis ſupervenientibus liberaretur, & ne ſanguinis effuſione, & ſceleris opus Eccleſiam fœdare, & infringere videretur. - - Nam pretioſo Martyre ante matutinarum laudem Eccleſiam properante, cupientique ante popularem ſtrepitum Deum patrem in cubiculo ſui ſanctiſſimi cordis ſecretiſſime exorare, interim fraterne inſidiæ preparantur, & gladius ad victimam Chriſto preparandam exacuitur - - ſurgit mox victima Chriſti futurus B. Wenceslaus, Eccleſiam ſancto ſuo illo more properare ſitiens, orationi quo ſibi prolixiori ſecretiſſime procumbere liceret, priusquam popularis adventaſſet conventus, & ut paſtor bonus cum grege communes matutinarum laudes vel audire vel percantare cupiens,* Mſ. Bibl. Met.

insidiarum mox laqueos perpetitur. Nam presbyter illius Ecclesiæ, unus ex his a quibus egressa est iniquitas a Babylone, mox ut virum Dei adventare perspexit, secundum jussionem malignorum Ecclesiæ januam clausit. Insurgunt & parate insidie, frater videlicet & omnis ejus armatura &c.

(*k*) Anonymus Ottonianus his verbis salutationem complectitur: *Ave frater dilecte! grates immense dilectioni tue a nobis sint relate, quia honorifice dispositio heri convivio bene nobis & satis habunde ministrasti.*

(*l*) Aliter hæc narrant vitæ veteres Duce cumprimis Anonymo Ottoniano: *Tam dulci*, inquit, *pessimus ille non* respondens *allocucioni, sed extracto cicius ense in sancti capitis verticem, ut forcius valet, percucieus, ait*: „ *Melius hodie tibi preparo convivium.* „ *Sed ferro resiliente, & nec vulneris tandem signum annotante geminatur ictus. Quo nihilo magis ledente, tertio ferire cum velit, una cum extenso ictu ensis manu territi militis excidit, quem statim S. Wenceslaus per capulum subripiens, & supra sceleroſum fratris jam inermis verticem manu vibrans:* „ *Videsne, inquit, o funeste! verti in te* „ *posset tue crudelitatis exicium. En! unde prohibeor fraterni sanguinis effu-* „ *sor? sed nolo de manu mea ultimo examine sanguis o frater tuus queratur in* „ *me; recipe gladium, matura supplicium, que sunt agenda, ne differas in lon-* „ *gum.* „

(*m*) Nulla antiquior vita narrat S. Wenceslaum a Boleslao occisum, aut lethaliter vulneratum, sed vibrato ictu fallenteque aurem solum resectam fuisse. Id vero a commilitonibus suis, quibus Boleslaus innuebat, perfectum fuisse. Postquam enim S. Wenceslaus gladium Boleslao restituisset, verba Christanni sunt: *Manum ex eo jam sanguinolentam ferens* (S. Wenceslaus) *Ecclesiam velociter properans, ille vero infelix* (Boleslaus) *voce grandi vociferans, eumque persequens:* „ *Mei, inquit, mi* „ *ubi estis? dominum vestrum quam pessime succurritis? & in angustia cunsti-* „ *tuto misere subvenitis?* „ *tunc omnis malignorum cohors de latibulis profugi cum gladiis & lanceis multis prorumpentes vulneribus gravibus laniantes interimerunt ante januam Ecclesie.* Præcipuus vero percussor & latro S. Wenceslai fuit, quem postea a Podivino interfectum tradit Christannus: *Hic* (Podivinus) *quadam dierum secum dolorem, quem ex quo seniorem suum* (Wenceslaum) *perdiderat, menti habuerat, durius solito revolvens, assumens gladium, ad domum cujusdam festinus properat, quem caput persuase necis contra S. Wenceslaum conjurasse noverat, & cujus manibus eundem Beatum inter-*

fec-

ectum precipue sciebat. Ex his itaque corrigendæ merito sunt quæquæ dicturæ sat veteres, quæ Boleslaum repræsentant mucronem pene capulo tenus tergoribus S. Wenceslai immergentem. Verius id expressit amosissimus noster Pictor Screta in Cathedralis Ecclesiæ Litomericensis eleganti imagine, in qua S. Wenceslaum a Boleslai satrapis occisum repræsentat.

(*n*) Christannus noster addit: *Tunc etiam sancta anima in campo certaminis hujus vite liberata ergastulo sanguine laureata victrix migravit ad Dominum IV. Kal. Octobrium celo gaudente, terra plorante anno Dominice Incarnationis DCCCCXXIX.* In anni hujus numero variant diversi Codices Christianni. Imo Anonymus Ottonianus uti & reliquæ vutustæ vitæ omnes plane anni commemoratione abstinent; quæ non obscuro indicio sunt, numeros hos in Christanni exemplaria fuisse intrusos. Sed ea de re copiosius agemus ad annum 936. quo Martyrium S. Wenceslai accidisse invictis argumentis demonstrabimus. *Mss. Bibl. Met.*

(*o*) Amplius narrat Anonymus Ottonianus: *Peracta fortissimi Dei athlete venerabili passione ministri quidam sanguinem, qui per tabulas Ecclesie ipsa Matyrii hora aspersus apparet, jussi aqua lavantes penitus absterserunt. Postera que die illuc venientes non minus, quam cumprimum ibidem parieti adhesit, cruorem ipsum eodem loco dilatatum conspiciunt. Non parum ipsi hoc viso territi, aqua iterum allata multo studiosius abluere decertant. Crastino autem prorandi causa, si eciam frustrati sint, redeuntes, non minus tinctum sanguine parietem, quamvis ter ablutus videatur, agnoscunt. Quibus vero multum super hoc mirantibus, eoque abluendi labore post inde cessantibus, usque hodie sanguinis ejusdem intinccione paries ipse pro signo venerando nitescit.* Anonymus Trebonensis addit: *Qui etiam sanguis permansit in trabibus usque ad ipsius Ecclesie ex vetustate ruinam, & majoris in eodem loco fabricatum.* Non video igitur, qui Balbinus scribere potuerit se puero a Decano loci inconsulto munditiei studio calce superinducta fuisse exstinctum, aut cum Crugerius plane Decani nomen prodit, eumque fuisse ait Davidem Drachovium, qui anno 1621. sub novi altaris molimen vicinum parietem calce innovaverit, cum Anonymus hic Trebonensis sub initium sæculi XV. vixerit. *In vita S. Wenceslai.* *Balbin. Epit. l. 1. c. 9.* *Sacri Pulv. ad 28. Sept.*

(*p*) Ea de re apud veteriores ne indicium quidem. Ego vero magis existimem se se Boleslaum ejusque satellites apud populum de

cæde S. Wenceslai purgaſſe, quod is deditionem fecerit Henrico Regi Germaniæ, ei noviter tributum annuum addixerit, nimiaque familiaritate ei atque Ottoni junctus fuerit. Quod ad ſtabiliendum Ducatum Boleslao maxime profuiſſe videtur. Quare etiam ſtatim poſt cædem S. Wenceslai alteri clienti Henrici atque Ottonis ſub regulo Boemiæ bellum intulit, pactumque tributum penitus reſcidit.

(q) Multo funeſtiora narrat ſuccincte Anonymus Ottonianus, & locupletius his verbis Chriſtannus: *Sed iidem ſancti Martyris necatores eum, quem usque ad mortem perſecuti ſunt, nec mortuo parcere cupientes, curſu rapido civitatem Pragenſem adeunt, & omnes amicos ejus, quos bonos bene adheſiſſe credimus, diverſa & crudeli morte perimunt, & infantes eorum vivos in profundo fluvii Wltawe demerſerunt. Quos, quia participes fuerunt paſſionis, credimus effectos eſſe & glorie, & eorum numerum & nomina licet nos indigni pre multitudine eorum neſciamus, tamen Deum ſcire & elegiſſe vere credimus. Adunaverat autem vir beatus, dum adhuc viveret, Clericorum non minimam multitudinem & ſervorum Dei, quos perſecutores S. Martyris adeo perſecuti ſunt, ut vix in patria aliquis eorum remaneret.* Hanc cædem alii tribuunt Boleslai, alii Drahomiræ imperio, remque multis amplificant, quos inter præcipuus Peſſina.

Peſſina Rad. 3. p. 149.

(r) Hæc non modo præter ſed etiam contra veterum memoriæ narrat Hagecius, Podivinus enim a cæde S. Wenceslai fugam quoque arripuit, & multo poſterius ſuſpendio enectus eſt, de quo ita Chriſtannus: *Podivinus apud Theutonicos fuga labens diu exulatus eſt. Poſt vero ratus pacem redditam patriæ ad ſua reverſus, temporis aliquantum in propriis deguit, diu ſe ſe occultans. - - - Hic quadam dierum ſecum dolorem, quem ex quo ſeniorem ſuum* (Wenceslaum) *perdiderat, menti habuerat, durius ſolito revolvens, aſſumens gladium, ad domum cujusdam feſtinus properat, quem caput perſuaſe necis contra S. Wenceslaum conjuraſſe noverat, & cujus manibus eundem Beatum interfectum precipue ſciebat. Et veniens invenit eum in aſſe balneo, quod populari lingua ſtuba vocatur, recumbentem - - - & irruens interfecit eum, & fuge preſidio ſperans ſe poſſe ſalvari feſtinus exibat. Et ſilvam ingreſſus dum jam ſecurus procederet, mors militis & factum occiſoris fratricide illi nunciatur. Et mox ipſis appariteribus ſilvam circumdari fecit, & illico comprehenſus, laqueo appenſus eſt.*

(s) Coſmas his verbis hæc explicat: *Ergo Dux Boleslaus captus ſa-*

ſceleris patrati, timens penas tartari, mente ſemper recolens ſugaci, quoquo modo poſſet Deus ſuper hoc crimine placari, votum vovit Domino dicens: ſi iſte meus filius, inquit, ſuperſtes fuerit, ex toto corde meo Deo eum voveo, clericus ut ſit, ſerviat Chriſto omnibus diebus vitæ ſuæ pro meo peccato, & hujus terræ pro populo. Mox ſupra autem inquit Coſmas: *cui ex eventu rerum nomen eſt inditum Ztrahquas.* Nolim cum Hagecio ſentire id nomen illi a patre Boleslao fuiſſe inditum, aut plane cum Dubravio dicere; *Dubrav. l. 5.* Boleslaum ideo hoc nomen filio inveniſſe, ut *gloriaretur in malitia ſua.* Profecto nomen hoc quid fuiſſet aliud Boleslao, quam perpetua objurgatio monimentumque execrandi ſui facinoris; ut multo magis id populi rumore & ſatyra enatum exiſtimem, quod temporis curſu poſtea increbuit. Nam memorat Peſſina ex vita S. Wenceslai ab Hyzore Epiſcopo Pragenſi ſcripta filium inter epulas natum a Boleslao vocitatum fuiſſe *Samodrub*, quod latine *ſolus Comes* aut *ſocius* connotet. Ceterum Strachyquas nomen varie ab authoribus ſcriptum reperitur; Stratiquas, Strahquas, Strachewaſius, Strachakwas, verior tamen ſcriptio Strachykwas reputanda eſt, quæ vetere dialecto Slavica *terribile convivium* ſignificat. *Peſſina Rad. 3. p. 148.*

(t) De hac viſione multum in utramque partem diſputat Balbinus: At certum jam eſt ac indubitatum grandi anachronyſmo non quidem ſolum Hagecium, ſed multo eo vetuſtiores peccaſſe, cum hiſtoriam tribus ſeculis poſterius a S. Wenceslai Martyrio factam, jam ipſi huic præſenti anno Martyrii illigarunt. Primum autem, tacentibus veterioribus omnibus biographis, hoc grandi errore peccaſſe deprehendo Pulkavam, a quo hauſit Carolus IV. in vita ſua S. Wenceslai, tum Anonymus Trebonenſis, denique Æneas Silvius & poſterior omnis hiſtoricorum noſtrorum turba. Ante cætera autem noſcendum: nomen *Ericus* Danis veteribus nihil aliud fuiſſe, quam *Henricus* a prima ſua Theotiſca appellatione atque etymologia *Ehrenreich* ſeu *Ehrenreich*, quare ſcriptores cumprimis latini promiſcue jam *Erici* jam *Henrici* nomine utuntur in appellandis quibusque Daniæ regibus. Jam certum præſente ſæculo X. nullum *Ericum* ſeu *Henricum* Daniæ præfuiſſe, quin hoc plane, de quo agimus, tempore, apud Danos regnaſſe *Gormonem*, qui anno 939. mortuus eſt, ut præter Adamum Bremenſem legere eſt in Chronico Schlesvicenſi Broderi apud Menkenium T. III. Viſio autem ſupra relata pertinet ad Ericum ſeu Henricum Daniæ Regem, qui trecentis annis poſt Martyrium S. Wenceslai, nempe medio ſe- *Balbin. Epit. p. 39. & 40.* *Apud Menken. T. III. p. 591.*

cu-

culo XIII. vixit, ut rem narrat ſupra laudatum Chronicon Schlesvicenſe, & his verbis luculenter dubium omne tollit magnum Chronicon Belgicum apud Piſtorium, cujus author ſe hanc hiſtoriam hauſiſſe ait ex Chronicis vetuſtis terræ Danicæ. Sic vero habet: *Venceslaus poſt CCC. paſſionis ſuæ annos Regi Danorum Henrico quieſcenti per viſum apparuit, eique, quod ſuo genere mortis mori deberet, revelavit, præcipiens, ut in honorem illius, qui Venceslaus dicebatur olim, monaſterium conſtrueret, qui Rex a ſomno conſurgens ſtupefactus de viſione, cœpit de ſancto Venceslao, de quo nunquam ante audierat, ex Epiſcopis & aliis, quis eſſet, perquirere. Et cum intellexiſſet fuiſſe Principem Bohemiæ, & a fratre occiſum, erexit in honorem ipſius in Rivalia Ciſtercienſis ordinis magnarum poſſeſſionum monaſterium. Sed antequam conſummaſſet, juſſu fratris ſui Abel dicti, ſicut ſanctus revelaverat, peremtus eſt.* Quæ eadem recitat Joannes Iſacius Pontanus in Daniæ hiſtoria ad an. 1249. Dusburg in Chron. Pruſſiæ P. 3. c. 66. & Anonymus Leobienſis apud Hieronymum Pezium T. I. p. 818. *ad annum* 1243. Operam autem perdit Tannerus S. J. in trophæis S. Wenceslai, dum viſionem hanc geminare, & aliam ſub Heraldo, aliam ſub Erico Daniæ Rege accidiſſe contendit, nam neque Heraldus neque Ericus tempore Martyrii S. Wenceslai regnavit in Dania, ſed Gormo, ut in dubitatum eſt ex coævorum relatis. Ex verbis vero Pulkavæ primi hujus anachronyſmi prolatoris facile conjicitur, unde error hic profluxerit, dicit enim: *Eadem, qua paſſus eſt S. Wenceslaus, nocte apparuit &c.* Quæ verba procul dubio in vetere quopiam Mſ. reperit ſine Chronologia commemorata, quæque ille perperam ad Martyrii annum retulit, cum de nocte anniverſaria paſſionis quocunque anno recurrente explicari poſſint.

(*u*) Boleslaum plura eximia veræ pœnitentiæ teſtimonia poſteritati transmiſiſſe, ac poſtea a pluribus bene præclareque geſtis inclaruiſſe ſuis locis oſtendemus.

PRÆTERMISSA.

I. Obſeſſum quidem Pragæ & in deditionem acceptum ab Henrico Aucupe ſuperiore anno Divum Wenceslaum legimus, ſed ſimul amicum, & fortaſſis militem ejus creatum, ac proinde neceſſitudine quadam junctum, ut haud temere aſſerere videatur Chriſtannas noſter: *Cui* (nempe Henrico) *felix idem* (Wenceslaus) *amicus jungebatur*

tur aſſidue. Hoc jam amicitiæ fœdere, Henricique benevolentia freto Wenceslao, vix dubium eſt, perſuaſum tandem a Clientibus ſuis, ut poſtquam adoleſcentiæ annos jam excurriſſe videretur, ipſe regimini aptus gubernacula per ſe tractare occiperet, atque matrem Drahomiram cum ſuis proceribus, tyrannidem magis quam imperium in ſuos exercentem, omni poteſtate exueret. Quod quidem ſeu anno jam ipſo ut vult Puczalka Henrico præſente ac adjuvante, ſeu certe hoc ipſo anno accidiſſe innuit rerum ab veteribus proditarum ſeries. Nam illi paſſim ſuſceptum a Wenceslao imperium, matris deturbationem inque exilium relegationem ante Translationem corporis S. Ludmillæ (quæ præſente anno accidit) narrant. Nullus autem adduci poſſum ut credam S. Wenceslaum tum cum matrem in exilium ejecit, atque per ſe ipſum imperium auſpicatus eſt annum ætatis nonniſi *decimum tertium* egiſſe ut cum Hagecio ſentit Weleslavinus & Balbinus. Veteres enim vitæ non raro eum *Virum* appellant. Sic Chriſtannus: *Vir æternæ memoriæ.* Coſmas: *Vir ſanctus* Anonymus Ottonianus plane ſub matris ejectionem & imperii per ſe ſuſcepti moderationem jam illi *Virilem ætatem* tribuit: *Transcurſu*, inquit, *interim annorum juvenilium tum felicium ſemita in virilis animi robur Dux ipſe alcius aſcenderat.* Et rurſum: *Nunc retromiſſa juventute vir effectus.* Id pene indubitatum S. Wenceslaum ſaltem ſub Martyrium ſuum virilem ætatem attigiſſe, quod ex Boleslai fratris minoris ætate, qui jam filium tum progenuerat, & omnibus veteribus picturis colligere licet, cum tamen ex calculo Hagecii, Weleslavini, & Balbini nonniſi primum ſupra vigeſimum annum vivendo fuiſſet aſſecutus. Verum his ſtabilitis jam ad præſentem annum ſpectat, quod omnes vitæ veteres, & omnium maxime enucleate narrat Chriſtannus his verbis: *Tandem confortatus a Deo & virtute ſe precingens, matre ſua, univerſisque primariis accitis ut decuit increpavit, quemadmodum liber ſapientie teſtatur:* „ *Verba ſapientium quaſi ſtimuli, & velut clavi in altum* „ *defixi.* „ *Sed* inquit B. Wenceslaus: „ *Cur filii ſceleratorum & ſemen* „ *mendax, virique iniqui prohibuiſtis me diſcere legem D. N. JEſu Chriſti? & obtemperare mandatis illius? quodſi vos tedet Chriſto ſervire, cur ſaltem ceteros impeditis? ego vero ſi hactenus veſtra ſub providencia vel poteſtate degui, amodo tamen illud reſpue, Deo cuncti potenti ſyncero ex animo deſervire cupio.* „ *Orta eſt poſtmodum pro ejusdem rei cauſſa variisque rebus aliis diſſidio* [illegible] *regrandis viros inter ipſos primarios, qui lateri Ducis religioſi inherebant, & inter reliquos, qui partes nequiſſimas domine impie juvabant, diviſique ſunt conſiliarii invicem, & primates terre, diſcordiarumque inter eos ſpine pullulare,*

Puczalka in navi Eccleſiæ.

Balbin. Epit. p. 19.

Mſ. Bibl. Mat.

„ *cordium imis precemur.* „ *Statimque poſt verbum ebibit letus, ſigillatim omnibus eodem AMORE ſingulos ciphos ebibendos blandiſſimo propinat oſculo.* De hoc potu animadvertendum: antiquiſſimum morem fuiſſe non modo monachorum, ſed omnium fidelium, ut pocula propinarentur cum invocatione ſanctorum, eorum præcipue, quorum feſtivitas illo die colebatur, aut quorum patrocinium propinantes aliquando experti. Is potus paſſim CHARITAS, & in vita B. Edmundi Cantuarienſis Epiſcopi *Charitatis poculum* appellatur. Crebro etiam vocatur AMOR, & *amoris poculum*, uti hic eo nomine utitur author noſter. Pleni omnium veterum libri veſtigiis ejusmodi CHARITATUM & AMORUM. Sic ſæculo VII. de S. Martino I. Papa e carcere emiſſo ſcribit coævus: *Circa occaſum ſolis dicit Venerabilis Papa iis, qui erant in ergaſtulo: accedite fratres, valefaciamus: & biberunt ſinguli Charitatis gratia calicem.* Siç in *Caritate* S. Emmerami plures leguntur ejusmodi propinationes apud Arnulfum l. 1. c. 7. *In auxilium & Caritatem* S. Udalrici in ejus miraculis, qui locus animadverſione dignus: *Vas, quod illi porrigebatur, acceptt dicendo: iſtum ſiceram bibere* pro Caritate S. Udalrici, *per cujus adjutorium de maximis anguſtiis liberatus ſum, volo.* Ut alia innumera pene loca præteream. Id ad *Charitatis* hoc poculum etiam pertinet: oſculum a propinantibus præmitti ſolitum fuiſſe, quod neminem veterum præter noſtrum adnotaſſe hactenus comperi. Ex hoc vero loco & alio, quo Chriſtannus de S. Wenceslao dicit: *At ſi quando illi ut Principi, ſeras inter tantas cubanti, contigiſſet ſero heſternoque habundantem hauſiſſe (morem extra ſolitum) potum, ſomno ſe excutiens diluculo, citiſſime properans Eccleſiam, quemcunque ſacerdotum ſeu Clericorum inibi reperiſſet, optimo quocunque indumentorum tegebatur, ſe ſi exuens, ibique contradens, pedibus ipſius advolvebatur, obnixe poſtulans, quo pro ſemet attentius Chriſtum Dominum exoraret, noxam quatenus illi heſternæ nocte patratam clementer indulgeret.* Ex his inquam verbis ſectarii quique infrunito atque impudico ore calumniati ſant S. Wenceslaum potui & crapulæ fuiſſe deditum. In quos jam Joannes de Novo foro Epiſcopus Litomiſslienſis & Olomucenſis his verbis invehitur: *Deſiſtant barbaricæ nationes furiarum ſtimulis creberrime exagitate, & alii detractores malevoli ſancto viro derogare, & vitam egregii martyris ſanctiſſimam ebrietatis infamia obſcurare. Certe deſiſtant magis linguam ſuam, & animam propriis dentibus lacerare. Quoniam idem ſanctus vir, dum vixit, ebrioſos ſemper habuit in conſpectu ſuo ingratiſſimos, & aliquando duris increpavit verbis eos ab ebrietate revocando, interdum perſecutus eſt arcctus corripiendo, ut dicit ſcriptura:* „ *Quia ſtultus* „ *non verbis ſed verberibus emendatur.* „ Idem profecto dicit in laudem S.

Apud Marten. T. III, Anecd. col. 1809.

Apud Baron. ad An. 651.

Apud Mabil. in An. in Act. SS. Bened. ſæc. V. p. 464.

Mſ. Vita S. Wencesl.

S. Wenceslai Chriſtannus, qui ſuperiora retulit, his verbis: *Blandum ſemper cum mitibus habens colloquium, cum immitibus vero & vagantibus, crapulisque ſeu potibus deditis, vel a doctrina ſeu tramite recto deviare cupientibus, zelo accenſus divino, ſi haud illos aliter apprehendere valuiſſet, ſaltem menſe ſue occaſionis accerſitos gratia, flagris verberabat ingentibus.* E quo poſteriori Chriſtanni loco ſuperior explicandus: nimirum de tenera S. Wenceslai conſcientia, qui vel modicum exceſſum, & potum ultra conſuetum morem noxam deputaverit. Ea calumnia poſtea cumprimis uſos ſæculo XV. Wicleſiſtas & Huſſitas noſtros haud obſcure innuit vita S. Wenceslai Codicis Trebonenſis.

(*g*) Veteres nihil de hac peccatorum expiatione, paſſim vero cum Anonymo Ottoniano ajunt: *Domum illeſus reviſit. Noctis autem ſequenti curſu orationum ac eleemoſynarum curioſiſſima deſudans inſtantia, future conſcius mortis, pro Chriſto jure pati devotus, pernoctavit.* Primum autem deprehendo Pulkavam, qui confeſſionis, atque S. Euchariſtiæ ſumtæ mentionem facit, quem poſtea ſecutus Æneas Silvius & Hagecius.

(*h*) Anonymus Ottonianus vero ait: *Redeunte autem poſt gallicinia matutinalis ore* (horæ) *officio, pulſo ſignaculo non ſegnis thoro, ut jam eſt ſolitus, proſiliens, Eccleſiam properando ingreſſus cantum nocturnalem, laudesque matutinales modeſta intentans auſcultatione, poſt plurimas orationes domum laſſus membris aliquantum ſomno reficiendis divertitur.*

(*i*) Non modo multo aliter narrata, ſed pene adverſa ſcribit Chriſtannus de ſacerdote, qui plane ei introitum ad Eccleſiam clauſit. Sic vero ille: *Ante noctem ſiquidem frater ſancti Martyris non jam frater, ſed perverſus parricida, presbyteros Eccleſiæ SS. Coſmæ & Damiani invexerat, ut venienti quidem Eccleſiam ingredi omnino negarent, ne forte militibus ejus fidelibus ſeu Camerariis ejus, qui adhuc lecto detinebantur, vel populis ſupervenientibus liberaretur, & ne ſanguinis effuſione, & ſceleris opus Eccleſiam fœdare, & infringere videretur. - - Nam pretioſo Martyre ante matutinarum laudem Eccleſiam properante, cupientique ante popularem ſtrepitum Deum patrem in cubiculo ſui ſanctiſſimi cordis ſecretiſſime exorare, interim fraterne inſidiæ preparantur, & gladius ad victimam Chriſto preparandam exacuitur - - ſurgit mox victima Chriſti futurus B. Wenceslaus, Eccleſiam ſancto ſuo illo more properare ſitiens, orationi quo ſibi prolixiori ſecretiſſime procumbere liceret, priusquam popularis adventaſſet conventus, & ut paſtor bonus cum grege communes matutinarum laudes vel audire vel percantare cupiens,* Mſ. Bibl. Mec.

litera o *cum contractionis cujusdam notula. Quæ vox num* Ottonis? *num aliter legi debeat? ego hactenus nulla conjectura divinare potui, sed nec otium admisit, quod ferme omne sibi labores mei œconomici atque regii quique exposcunt.* Hactenus piæ memoriæ Reverendissimus Vir. Ex cujus literis jam primo præcipuam difficultatem enodatam habemus de miraculis usque ad annum 1092. in vita hac recensitis, cum e vetusto codice Brunensi testatum fiat primitus vitam nonnisi usque ad Martyrium S. Wenceslai scriptam fuisse, ac proinde historiam translationis & miracula a quoquo demum posteriore adjectam. Quod quidem ita accidere potuisse non diffitetur Eruditissimus Continuator operis Bollandiani in Commentario prævio §. 1. n. 10. imo 11. 13. ait sibi etiam probabilius videri: illa pauca de miraculis huic vetustiori vitæ a quopiam fuisse addita. Alia vero præterea mihi duo argumenta sunt historiam translationis & miracula fuisse a posteriorum nonnemine apposita: *nam* in eodem Codice Metropolitano huic ipsi vitæ jussu Ottonis *II. scriptæ* mox subjectum habetur illius compendium, quod incipit: *Crescente per orbem universum Katholice religionis incremento &c.* Quod compendium nonnisi præcipua gesta S. Wenceslai ex illo ipso Anonymo Ottoniano, & quidem passim verbis illius eademque serie refert, ut aliquando inter tomos nostros ineditos ostensuri sumus. At non progreditur longius, quam ad Martyrium S. Wenceslai, & iisdem verbis vitam S. Wenceslai absolvit, quibus Codex Brunensis: *Sub IV. Kalend. Octobrium perpetuo letancia Regni celestis ingreditur consorcia. Prestante Domino nostro JEsu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per omnia secula seculorum Amen.* Quod manifesto argumento est Anonymum Ottonianum narratione sua non fuisse ultra eædem S. Wenceslai progressum. Quod alterum est: luculentissimis indiciis proditum est: seu a Cosma seu aliquo alio illas miraculorum recensiones fuisse adjectas: nam quæ in hac ipsa interpolata Codicis Metropolitani vita paulo ante verba: *Anno Christi millesimo nonagesimo secundo in Nativitate sancte Marie Virginis &c.* & postea leguntur, totidem pene verbis exscripta sunt ex libro II. Chronicæ Cosmæ ad annum 1091. quæ narrationis & verborum conformitas etiam argumento fuisse videtur Pessinæ (quamquam perperam) quod vitam hanc Ottonianam partum Cosmæ esse credidérit, nam non modo in Phosphoro suo septicorni hoc ipsum anni 1092. miraculum totidem verbis ex Anonymo Ottoniano exscribendo infra citat Cosmam his verbis: *Cosmas in vita & pass. S. Wenceslai parte 2.* sed & manu sua in Codice Metropolitano in margine hujus vitæ Ottonia-

Pessinæ Rad 6. p. 617. & 618.

næ

næ notam appoſuit: vitam hanc a Coſma ſcriptam eſſe. Unde teſtatum habemus: vitam hanc non omnino incognitam fuiſſe Peſſinæ quemadmodum ſenſit Reverendiſſimus Prælatus Rayhradenſis, quin nec Balbino, nam produnt doctiſſimi Bollandiani hanc ipſam vitam illis a P. Balbino tum vivente ad ſupplendum exemplar mutilum Aquisgranenſe ex eodem Codice Metropolitano miſſum fuiſſe. Quod ad Imperium Ottonis attinet, ſub quod Anonymus Ottonianus Principatum S. Wenceslai rejicit, oſtendit idem Reverendiſſimus Prælatus Rayhradenſis in codice ſuo Brunenſi vocem *Ottonis* dubiam eſſe, legique *otti* cum minuſcula initiali litera & contractionis ſigno, unde haud indubia argumentatio capi poteſt: imperitos librarios ex hac fugiente, contracta & ſibi minus legibili cognitaque voce nomen *Ottonis* ex conjectura ſola effinxiſſe. Ego vero excuſſis pluribus authoribus, qui de veterum ſcripturis & contractionibus agunt, certum hactenus aſſequi non potui, quid vox contracta *otti* connotet. Reperio quidem in Waltheri Lexico Diplomatico voces contractas: *otti. ottos. ottorum &c.* explicari per voces *oppoſiti. oppoſitos. oppoſitorum &c.* ſed per ejusmodi vocem minime ſatisfit ſenſui Ottoniani noſtri Annonymi, & admodum perplexus redditur, nempe: *Sub regis ſereniſſimi oppoſiti fulgente potencia.* Niſi forte legendum ſit: *ſupra poſiti* ſeu *ſupra appoſiti*, ita ut vox hæc: *appoſiti* reſpiciat ad Henricum Germaniæ Regem, cujus paulo ante author hic meminit. Quæ conjectura ſi admittitur, habemus juſtiſſimam Chronologiam, ſcilicet S. Wenceslaum Principatum ſuum ſub Henrici Aucupis imperio fuiſſe auſpicatum. Sane mendum quodpiam in voce *otti* ſeu *Ottonis* cubare innuunt etiam præcedentia verba authoris: *ſub Regis ſereniſſimi*, cum is ignorare non potuerit Ottonem I. Imperatorem fuiſſe, & ſupra in præfatione ſua ad hanc vitam Ottonem II. hoc titulo nobilitet: *Victorioſiſſimi Imperatoris Auguſti Ottonis ſecundi.* Niſi dicere malimus authorem ex eo, quod certo ſciverit S. Wenceslaum ſub imperio Ottonis I. Martyrio fuiſſe affectum, præcipitatione quadam fuiſſe abreptum, atque etiam initium Principatus ſui ſub ejusdem imperium rejeciſſe. Quod de Spitignæo *primo Boemorum Duce* Chriſtiano objiciunt Bollandiani, pridem annis ſuperioribus enodavimus, cauſasque attexuimus, cur Borzivogius exteros latuerit? Sed nec hic omnia, plura acervare expedit ad vitam hanc ſuo pretio & antiquitati vindicandam: Chriſtannus vitam SS. Ludmillæ & Wenceslai ſcripturus jam vetuſtiores vitas ad manus habuit, in præfatione enim ſeu epiſtola dedicatoria ſua ad eas ſe revocat, quas ſe etiam correxiſſe fatetur,

Mſ. Bibl. Mer. ſic enim loquitur: *Paſſionem Beati Wenceslai ſimul cum avia ſua beate memorie Ludmila - - - diverſis compoſitionibus, & non plenius differtam reperiens, dignum duxi, ut - - - aliquomodo eam corrigerem, vel ſi qua deſunt - - - adderem.* Chriſtannum autem hac ipſa Ottoniani Anonymi vita uſum fuiſſe produnt tot periodi, quas integras ad verbum exſcripſit, correxit illum etiam tanquam exterum rerum quarumque domeſticarum minus gnarum, quale illud inter alia de primo Chriſtiano Duce Spitignæo, cui merito ſubſtituit Borzivogium. Vitam denique hanc juſſu Ottonis II. illiusque tempore ſcriptam fuiſſe indubie perſuadent relata

AA. SS. ad 28. Sept. §. 1. n. 8. Papebrochii, qui ſe illam exſcripſiſſe ait: *Ex perantiquo Mſ. pergameno annorum circiter DC. aut plane DCC. Eccleſiæ Collegiatæ S. Adalberti Aquisgrani.* Ex qua codicis iſtius antiquitate, annorumque calculo plane teſtatum fit vitam illam jam ſæculo X. fuiſſe ſcriptam. Veroſimillime autem Codex iſte ex Bohemia illo tranſlatus eſt, cum conſtet Carolum IV. Imperatorem in hac ipſa Aquisgranenſi Eccleſia ad altare S. Wences-

Balbin. Epit. l. 5. c. 11. p. 370. lai Capellanum fundaſſe e natione Bohemica, ejusque *præſentationem* Regibus Bohemiæ reſervaſſe, de quo ſuo loco.

III. Pleno jam jure Principatum aſſecutus S. Wenceslaus matre in exilium relegata, & Clericis undequaque ad ſua reverſis, cum corpus S. Ludmillæ quotidie magis magisque Tetinii inclareſceret prodigiis, de eo Pragam transferendo meditatus eſt. Quam Translationem præſente anno accidiſſe teſtatiſſimum habemus ex ſimillimo computus Eccleſiaſtici argumento, quo annis abhinc duobus ejus Martyrium probavimus. Et quidem *Hiſtoria de Translatione S. Ludmillæ*, quæ habetur in Codice Clementino Inclytæ Societatis Jeſu, quæque ſubnexa eſt toties a nobis laudatæ vitæ Divæ Ludmillæ, quæ denique ad verbum pene reſpondet lectionibus veteribus Breviarii Metropolitani Pragenſis indubie hunc annum nobis indigitat, dum ita loquitur: *Repertum autem corpus felicis & Deo devote famule Ludmille Beate XIIII. Kalendas Novembris hora XII. feria II. Intulerunt eam Pragam feria VI. leticia cum ingenti gratulantibus, canticisque Chriſtum laudantibus.* Cum itaque ex hoc inſigni vetuſtatis documento habeamus diem XIV. Kalendarum Novembrium, ſeu 19. menſis Octobris, diſcamusque eam anno Translationis incidiſſe in feriam II. calculo e computu Eccleſiaſtico deducto ita argumentandum eſt: Diei decimæ nonæ Octobris litera Eccleſiaſtica E illigata eſt, quæ cum fuerit feria II. neceſſario ſequitur eo anno, quo Tranſlatio facta eſt, literam Dominicalem fuiſſe D. Quæ litera D Dominicalis

fuit

fuit anno præsente 929. & anno 935. Sed annus 935. sustineri nequit partim, quia alias sequeretur annis 8. corpus S. Ludmillæ Tetinii delituisse, quod contra omnium veterum mentem est, partim quia pridem demortuus fuit Tuto Episcopus Ratisbonensis, & jam quarto anno illi Ecclesiæ præsedit Isangrinus; quem tamen ad sepulturam sacri corporis a S. Wenceslao invitatum fuisse narrant omnes vitæ veteres S. Ludmillæ. Igitur nihil restat, quam ut annum 929. præsentem videlicet ejus translationi defigamus, quo nempe triennio cœpto (uti sentit Pontanus, Pessina, Dubravius, Hagecius, Balbinus aliique) illius corpus decima nona Octobris feria II. Tetinii levatum est, vigesima vero tertia Octobris feria VI. Pragam translatum, quem annum Translationis recte defigit Lectio VI. hodierni Breviarii Archidiœcesani Pragensis, Pessina, & Puczalka. Scio quidem Jordanum ex nostris longe aliam argumentationem capere, & ducto itidem Ecclesiastico calculo conari ostendere S. Ludmillæ corpus repertum esse anno 931. Sed falsus est Vir doctissimus mendoso Christanni nostri loco, qui eadem verba ex supranominata veteri historia Translationis recitans ita vitiosissime has notas Chronologicas refert: *Repertum est autem corpus felicis & Deo devotæ famulæ Ludmillæ quarto decimo Kalendas Novembris hora XII. feria quarta. Intulerunt autem eam Pragam die tertio feria VI. XII. hora ejusdem mensis.* Quæ tam perplexa advertere doctissimi Viri Bollandiani, ut non modo fateantur in hoc loco Christanni aliquem errorem cubare, sed & merito refugerint Translationi huic certum annum defigere, ne divinasse magis, quam certa asseruisse viderentur. At vero codex Metropolitanus Christanni majori etiam mendo scatet: omissis enim vocabulis *tertio* & *XII. hora* habet: *XVI. Kal. ejusdem mensis*, e quibus verbis sequeretur prius corpus Pragam illatum, quam vel repertum fuisset. Ut merito igitur ex hac historia Translationis corrigenda sint exemplaria Christanni, quæ varie, vitioseque passim hunc locum referunt. Ceterum plane adsentior Jordano ita scribenti: *Cur autem translatio non in die, quam Christannus prodidit nempe* 21. (imo 23.) *Octobris sed* 10. *Novembris celebretur, ratio petenda videtur ex relatis Martyrologii vetustissimi Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis sub Lit. G.* 17. *in Archivo ibidem asservati, quod sic habet*: IV. Non. Nov. Translatio sanctissimi corporis Ludmillæ martyris & viduæ, aviæ S. Wenceslai de castello Thetin in urbem Pragam. Quod in monasterio S. Georgii Martyris in castro Pragensi jubente & procurante S. Wenceslao conditum est. Et mirandum tunc accidit omnibus, quod sepeliri non poterat aquis vehemen-

Pontan. in Boh. Pia. Pessina Rad. 3. Hagec. ad An. 922. Dubrav. l. 5. Balbin. in hist. S. Mont. Auctuar. I. c. 8. Jordan. Orig. Slav. n. 1049. Balbin. Epit. p. 52. Acta SS. ad 16. Sept. §. 5. n. 62.

Jordan. Orig. Slav. n. 1049.

ter

ter ebullientibus, ubicunque ſepulchrum foderetur, quoniam diu Eccleſia jam dicti monaſterii non fuit conſecrata &c. *Translatio ergo ab illo die celebrata fors* (imo veroſimillime) *eſt, quo conſecratione præmiſſa aquæ ceſſarunt impedimento eſſe.* Hactenus Jordanus: Quoniam autem Hagecius prætermiſit ea, quæ Pragæ circa ſepulturam hujus ſacri corporis poſt translationem acciderunt, & quorum ſuccinctam mentionem facit mox relatum Martyrologium, hic ex hiſtoria Translarionis Codicis Clementini enarrare æquum eſt, cetera enim, in quibus ab ea diſſentit Hagecius, jam ad annum 922. præmiſimus. *Hume* (verba ſunt hujus hiſtoriæ) *debinc effoſſa, compoſitaque foſſa in eadem baſilica* (S. Georgii Pragæ) *tumulare eandem conati, ſed ex eadem foſſa repente aqua inundavit, quod plurimi intuentes, mente captavere: eundem ſepulchri locum minime famule Chriſti placere, replentesque rurſum foſſam ſarcophagum cum ipſo pignore ſacro ſtatuere, ſuper eandem divinum auxilium poſtulantes, ſic quod ad propria feliciter properavere. Spacio debinc temporis elapſo modico Wenczeslaus Princeps Beatus, Ratisbonam miſſis legatis, Pontificem ejusdem civitatis, quia tunc temporis Bohemi erant Parochiani ſui, conſuluit* (Chriſtannus addit: *nomine* Tutonem) *quidnam ſibi agendum eſſet corpore de predicto, qui divine legis ſcripta perluſtrans, ſecundum datam ſibi a Deo ſapienciam, in reſponſis hec dicta mandavit: ſcilicet ut corpus inicium ab ipſo exordio protheoplaſti ſumens, cui dictum eſt: Terra es, & in terram ibis, pulvis es & in pulverem reverteris; ſepulture traderent, gloriam Chriſti donec cerneret. Ingentique zelo divino accenſus Princeps prefatum Antiſtitem humili prece exoravit, quatenus ad eum venire dignaretur, ac corpus ipſe ſepulture daret, baſilicamque, que adhuc benedicciens Pontificali careret, dedicaret; qui ſimulata infirmitate ſenectutis ire non valens, coepiſcopum ſuum cum aliquantulis choris Clericorum deſtinavit. Adveniens imprimis templum* (S. Georgii) *domino conſecravit, poſt hinc ſex clauſis dierum circulis ſupra fatum corpuſculum tumulavit in eodem loco, in quo aqua inundaverat. Mira, atque ad Chriſti famule declarandum meritum! videlicet quod ſacerdotibus non in conſecrato loco eam cupientibus tumulare aqua exorta eſt: adveniente vero Epiſcopo, conſecrataque baſilica funditus non apparuit. Congrue ſatis: ut quia felicis converſacionis ſue vita fruebatur feliciter, & cum benedicciene majore ſepeliretur, que cum ſanctis erat ad Chriſti dexteram collocanda. Rite his ita peractis Epiſcopus remuneratus, ut dignum fuerat a Principe, propria repetivit.* Hactenus hæc hiſtoria vetus Translationis: in qua porro explicanda hæc verba de Epiſcopo Tutone: *Qui ſimulata infirmitate ſenectutis ire non valens* (quæ quidem non habentur in Codice Trebonenſi Chriſtanni, reperiuntur tamen etiam in Codice Metropoli-

Mſ. Bibl. Clemens. S. J.

litano) verba inquam: *simulata infirmitate*, non intelliguntur in propria significatione, quasi Tuto simulasset infirmitatem, & venire noluisset, nam mox subjungitur: *Ire non valens*, seu ut habet codex Metropolitanus: *Ire non prævalens*, ut itaque vox *simulata* hic accipi debeat pro *repræsentata* seu *prætensa* infirmitate, quemadmodum vocem hanc in ea significatione sæpius a veteribus accipi ostendit Dufresne. Prætendit igitur Tuto ad supplicationem S. Wenceslai infirmitatem senectutis suæ. Nam revera Vir is grandævus erat, qui jam per 36 annos Episcopatui Ratisbonensi præfederat, imo teste Arnulfo postremis Episcopatus sui annis oculorum lumine orbus erat. *Gloſſar. vocab. ſimilare.* *Mabillon. Act. SS. Bened. ſæc. V. p. 110. Raderus in Bavaria ſancta Vol. II. p. 139.*

IV. De gestis Henrici adversus Slavos hoc anno nihil quidem in veteribus Chronicis legitur, solas pene nuptias filiæ ejus Gerbergæ, quæ Gisleberto Lotharingiæ Duci nuptui tradita, referentibus: verum cum Witichindus ante Rhedariorum, ducibusque illis, omnium Slavorum rebellionem, quæ anno sequente accidit, jam etiam memoret *Abotritos*, *Vulzos*, & *Rhedarios* tributarios factos fuisse, id evenisse oportuit præsente anno, cum anno superiore Henricum ostenderimus eductas e Boemia copias trans Rhenum traduxisse, nisi id magis ad annum, quo Hevelli bello petiti fuere, conjicere libet. Fuere autem omnes tres isti populi Slavici: & quidem *Obotritorum* sedes erat inter fluvios Vaharnam die Warne, Eldam, Travenam pene usque ad Albim atque ad mare Balthicum in hodierno Ducatu Megapolitano & Schverinensi, quibus Helmoldus præcipuam civitatem Mikilinburk (hodie Mekelburg) l. 1. c. 2. tribuit. *Wulzi* seu *Wilzi* sequentibus limitibus claudebantur: Versus orientem ad sinistram fluvii Oderæ usque ad ipsius ostium in Oceanum. Versus meridiem ad Hevellos usque ad fluvium Fuhram ejusque conjunctionem cum Odera. Versus occidentem ad Morim vel Murizsee usque ad fluvios Nabaliam (Nebel) & Vaharnam. Versus septentrionem usque ad Oceanum & Ranos seu Rugianos, *consequenter*, inquit Abbas Gotvicensis, *integram hodiernam Pomeraniam anteriorem ad sinistram Oderæ una cum Ukromarchia, Dynastia Stargardiensi, parte Principatus Gustrovienſis, & Dynastia Rostockiensi ad dextram Vaharnæ complectebatur. Rhedarii vero integrum regionis tractum ab originibus Panis fluvii usque ad ejus influxum in Oderam, & a fontibus Havelæ usque ad fluvium Fuhram incolebant.* In quæ usque videlicet loca his annis Henrici arma pervasere. Fidem autem non meretur, quod Stredovskius ex utroque Schœnleben & Valvasore narrat: hoc anno rursum ab Hun- *Chron. Gotvic. vocab. Obotriti.* *Idem l. 4. p. 673.* *Idem l. 4. p. 738.* *Stredovsky l. 5. c. 3. p. 484.*

garis pervaſam Moraviam, cumque Moravi non amplius pares eſſent illorum vi ſuſtinendæ, etiam longius progreſſos, dum ab Henrico male excepti, cæſi, fugatique, palantes errantesque in ſilvis Moravis penitus a Moravis fuiſſent confecti.

ANNUS 930.

Ad annulum S. Wenceslai prodigia.

Wenceslai exuviæ in eo ſacello, quo depoſitæ fuere, mirum: quantis illico prodigiis ac ſignis fulſerint. (a) Hic omnis generis morbi non a Chriſtianis ſolum, ſed gentilibus etiam, qui ejus implorabant patrocinium, depulſi. (b) Nec ipſa ſcelerati percuſſoris domus tam late vagantis beneficii expers: Brzena Boleslai conjunx (c) violentiſſima eaque diuturna febri quaſſata, cum remedium malo reperiret nullum, clam, mariti metu, ad ſepulchrum Martyris adiit, ejus interceſſionem apud Numen eflagitatura. In aditu loci Wenceslaum eo prorſus vultu, quo erat, dum viveret, obvium ſibi, manusque ſigno bene precantem habuit, quæ in genua procidua ſanctum venerata, extemplo languore ſe liberatam ſenſit. (d) Limen egreſſa offendit in Boleslaum maritum quærentem: quid iſthic loci feciſſet? ad quæ illa trepida: „ Vix pede hæc loca „ tetigeram, hem dira febris me deſerere viſa! „ At Boleslaus fidem miraculo negat, atque vecors inquit: „ Nul„ lus adducor, ut credam tam facile ceſſiſſe a te morbum, „ niſi jam febris tua in me demigret, malumque ipſe expe„ riar. „ Sed vix hæc impium os evomuit, cum ſubito blaſphemum hominem gelidiſſima febris obſedit, captumque ſo-

Uxor Boleslai iſthic ſanitatem recuperat.

Temeritas Boleslai divinitus expiatur.

ſolido anno in poteſtate habuit nullo medicamine expugnabilis. Nonnulli hiſtorici, inter quos Racek Dobrohorsky (c) author eſt: Boleslaum occulte acceſſiſſe locum, & valetudinem fuſis ante ſepulchrum precibus impetraſſe.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXX.

STEPHANI VII. PAPÆ 2. HENRICI GERM. REG. 12. S. WENCESLAI 6. TUTONIS *Ep. Rat.* 37.

(a) Sancti Wenceslai corpus non intra ſed extra Sacellum conditum fuiſſe innuit Anonymus Ottonianus, ſeu magis ejus Continuator: *Sacrum autem corpus*, inquit, *credulorum pauci, qui aderant, mirabiliter ſarcofago includentes, celebrato a Clericis funebri obſequio, extra Eccleſiam certaminis loco vicinam condiderunt.* Id quidem etiam ſub ejus cædem innuere videtur Chriſtannus, qui id a matre Drahomira factum his verbis perhibet: *Ejusdem exanime corpus mater, quam nuper peccatis ipſius exigentibus pepulerat, rurſumque in pace pro Chriſti amore revocaverat, quibusdam cum fidelibus rapientes in tumba tandem projicientes humo cooperuerunt, & non, ut decebat Martyrem, ſeu ut aſſolet quisquam honoris aut beatitudinis mortalium.* Verum poſterius verbis expreſſis ait illum in Eccleſia tumulatum fuiſſe, nam de Translatione S. Wenceslai locuturus, inquit: *Requievit corpus Beati Martyris in Eccleſia ſanctorum Coſmæ & Damiani humatum per tres annos.* *Mſ. Bibl. Met.*

(b) Omnes vitæ veteres innuunt ſtatim a Martyrio S. Wenceslai ejus ſacrum tumulum quibusdam ſignis inclaruiſſe, idque etiam fidelibus quibusque ſtimulo fuiſſe ad ejus ſacras exuvias Pragam transferendas.

(c) Hanc Brzenam ſeu Bozenam ſuſpicatur Balbinus paganorum erroribus quoque fuiſſe irretitam, argumento illi eſt: quod vix credibile ſit a Drahomira ethnica Chriſtianam uxorem datam filio, præſertim cum hæc Brzena e diviſionibus Drahomiræ progenita fuerit. At vero mihi hactenus tam felici eſſe non licuit, ut vel Boleslai uxoris *Balbin. Epit. p. 32. & 91.*

nomen in quodam Hagecio vetuſtiore legiſſem. Quod *Stochow* patria dicatur hujus Brzenæ, ditioque Dragomiræ, meræ fabulæ ſunt. Nam jam alias oſtendimus Hagecii ſeu aliorum librariorum hallucinatione profluxiſſe, quod loco *Ztodor* vocabulum *Stochow* invexerint.

(*d*) Vitæ juſſu Ottonis ſcriptæ plurima ſubjiciuntur miracula usque ad annum 1092. priora vero omnia complexus eſt Chriſtannus. Vita e Codice Trebonenſi integram eorum ſeriem texit usque ad Caroli IV. tempora. Verum hæc febris depulſio, quæ præcipue locum merebatur, nec in aliqua vita, nec in authore ante Hagecium uspiam comparet. Erudite igitur doctiſſimi Viri Bollandiani: *Ut laudati ſcriptores aſſertis ſuis certam fidem facerent, debuiſſent vades ſatis antiquos adduxiſſe, ſine quibus non poſſunt pro indubitatis haberi, quæ de rebus tum diu ante ſua tempora geſtis, quarum nulla apud biographos ſanctis temporibus proximos exſtat mentio, forte ex ſola vulgi traditione commemorant.*

Acta SS. ad 28. Septemb. §. 10. n. 181.

(*e*) Hunc ſcriptorem prætermiſit Hagecius in ſyllabo Authorum Annalibus ſuis præmiſſo, e quibus hiſtoriam ſuam compilavit; quod vel ipſum indicio eſt authorem hunc non magni eſſe nominis. Balbinus indigitat eum Canonicum Vetero-Boleslavienſem fuiſſe & aliter etiam nonnunquam *Laczek Dobrohorsky* nuncupari ſolitum, ſed nec ætatem illius, nec quo idiomate ſcripſerit, usquam prodit, imo ne periodum quidem uspiam præter duo Hagecii loca ex ipſo refert. Bollandianis viſus author minime antiquus, quandoquidem ſupra teſtimonium ejus de febri uxoris Boleslai minimi faciunt. Mihi ubivis quæſitus nuspiam in manus venit, nec præterea de eo quidquam comperire licuit.

Balbin. Epit. p. 91.

PRÆTERMISSA.

I. Translationi corporis S. Ludmillæ paſſim S. Wenceslai biographi molimen Eccleſiæ Pragenſis S. Viti ſubnectunt, quod non prius quam anno hoc, neque ſerius quam ſequente accidere potuiſſe, multa perſuadent. Vix enim credibile S. Wenceslaum, quamdiu mater Drahomira cum ſuæ tyrannidis adminiſtris habenas Ducatus Boemiæ regebat, Clericos omnes exoſos habebat, patriaque exturbabat, imo valvas Eccleſiarum claudebat murisque obfirmabat, ejusmodi condendæ Eccleſiæ negotium ſuſcepturum fuiſſe; quin ſi prius cœptum abſolutumque

que opus, ut noſtrorum plerique volunt, cur non eodem tempore, quo S. Georgii Eccleſia dedicata eſt, conſecratum, præſente nempe Coepiſcopo Tutonis Ratisbonenſis Præſulis? cur, inquam, denuo ad id conſecrandum evocatus Tuto? quæ ipſa eadem Tutonis evocatio rurſum argumento eſt, id ultra annum ſequentem accidere non potuiſſe, cum illo Tutonem jam fuiſſe demortuum certo conſtet, quem nempe Arnulfus usque ad 12. annum Henrici Regis Eccleſiæ ſuæ præſediſſe prodit, annus autem 12. Regni Henrici in annum præſentem incidat; quanquam alii, qui annum 920. primum Henrico tribuunt, ſequentem duodecimum regni ejus fuiſſe ſtatuant. Anno 933. Eccleſiam S. Viti a Ratisbonenſi Antiſtite conſecratam fuiſſe quaſi indubitatum habemus ex calculo Coſinæ, ut ita trium quatuorve annorum ſpatio productus fuerit labor molimenque hujus Eccleſiæ antequam conſummaretur. Nec molem hanc fuiſſe puſillam modicamque omnibus locis produnt veteres, pluribus enim ſacellis fuiſſe diſtinctam innuit Marignola, dum huic Eccleſiæ inſtiram fuiſſe ſcribit Capellam S. Joannis Evangeliſtæ, ad quam tandem S. Wenceslai corpus Boleslavia translatum conditumque eſt, opus etiam magnis operis ſtetiſſe plurium artificum, mireque exornatum fuiſſe his verbis docet Anonymus Ottonianus: *Artifices ipſe* (Wenceslaus) *celeri juſſione convocat, fervet opus, labor impaciens effulget, Eccleſia ad perfecti ornatus extremam manum perducitur, miroque metallorum fulgore decorata exornatur.* Denique longius productum haud obſcure innuit Chriſtannus, dum ait per ſtructuram hujus Eccleſiæ S. Wenceslaum impeditum fuiſſe, ut ne Romam concederet, cucullum aſſumeret, fratrique Principatum cederet. Nili dicere magis libet dedicationem hujus Eccleſiæ usque ad anni 933. prope exitum ideo prolatam, quod demum altero abhinc anno Hungari Boemiam invaſerint, atque per duos continuos annos miſere laniaverint, ut ſuis locis videbimus. Ad præſentem igitur ſummum ſequentem annum pertinet, quod narrat Chriſtannus, cumque eo omnes vitæ veteres: *Gratia*, inquit, *deinde divina cordi ejus inſpirante, templum Domino in honore B. Viti Martyris condere meditatus, legatos allegat Ratisbonenſem ad Pontificem* (*Tutonem* verbis expreſſis nominat Anonymus Ottonianus, & biographus, qui Pellinæ Hizo creditur, aliæque omnes vitæ veteres) *in cujus, ut prediximus, tunc temporis Dioeceſi conſtabat Bohemia ſecundum ſtatuta Canonum, ut licentiam illi Pontifex tribueret edificandi baſilicam; „ Pater, inquiens, meus „ templum Domino in honore olim ſtatuit B. Georgii, egomet vero licencia cum „ veſtra eodem geſtio condere mox in honore Chriſti Beati Martyris Viti, „*

Marignola Mſ.

Mſ. Bibl. Mor.

Mſ. Bibl. Mor.

Quibus auditis venerandus Pontifex gratiarum cum actione Chriſtum ad Dominum extendendo manus profatur: „ Filio meo feliciſſimo Wenceslao hec redemptes mandata referte: Eccleſia tua jam venuſtiſſime ante Dominum conſtructa „ extat. „ Quibus auribus Princeps captatis exhilaratur corde, fundamenta mox jecit Eccleſie, parietesque optime locavit. Quæ verba Turonis Epiſcopi quod figuram anteoccupationis contineant, minusque recte ex illis deducatur argumentatio de conſecrata per Chriſtum Eccleſia jam ſupra egimus. De reliquiis S. Viti, quarum cauſa hæc Eccleſia condita paſſim aſſeritur, agemus ad annum 933, & 935.

II. Translationem S. Ludmillæ ſuperiore anno factam jam præſente anno miraculum haud vulgare ad ejus ſepulchrum ſecutum eſt, quod his verbis narrat Hiſtoria Translationis, & ex ea Chriſtannus: *Anniverſario autem ejus volvente die poſt translacionem ejus glebe ſacre ad gloriam nominis ſui, & ad declarandum meritum famule ſue Chriſtus Dominus inſigne operari prodigium dignatus eſt. Nam ut moris eſt Chriſtiane Religioni congregato Clero memoriam agere fidelium defunctorum, cum poſt orationes, ac refeccionem corporum una pariter reſiderent, quidam parvulus infirmitate corporis gravatus curvatusque ſurſum omnino non prevalens aſpicere, cum autem ad boſtium baſilice, ubi tante matrone corpus requieſcit, virtutemque Chriſti, meritumque ipſius ſancte imploraret, ſtatim erectus eſt, ſanitati per omnia reſtitutus. Quod plurimi intuentes omnipotenti Chriſto laudes canebant, quod ſue famule dignatus ſit magnalia declarare. Cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Amen.* Quibus verbis Anonymus hic abſolvit hiſtoriam Translationis. At vero locus hic admodum obſcurus, num memoria fidelium defunctorum ad B. Ludmillam, an ad preces fortaſſis quotidianas aut ſtatas pro defunctis peragi ſolitas reſpiciat? ſed nihil opinioni Beatitudinis D. Ludmillæ officit, ſi etiam admittamus primis annis memoriam defunctorum pro ea factam. Nam plurima loca ex hiſtoria Eccleſiaſtica, uti de S. Carolo M. ſancto Henrico &c. ſuppetunt, non raro etiam pro illis, qui ſanctitatis opinione mortui ſunt, memoriam defunctorum fieri conſueviſſe, donec nempe ab Eccleſia pro ſanctis agniti habitique fuiſſent. Quemadmodum id ipſum de B. Gaudentio fratre S. Adalberti innuit Coſmas ita loquens: *Quem tu dicis ſanctum, adhuc non eſt per Apoſtolicam ſedem canonizatus. Miſſam ejus, ut pro defunctis, celebramus.* S. Ludmillam vero adhuc anno 1100. non fuiſſe univerſaliter ab Eccleſia pro ſancta agnitam, conjicitur ex hiſtoria veli illius in Windelmuth, quam Coſmas ad dictum annum exhibet, & cujus ſe oculatum teſtem præbet.

Mſ. Bibl. Clementi.

Coſmas l. 2. ad An. 1100.

Ce-

Ceterum S. Ludmillam in gente noſtra ſtatim a Martyrio illius cultum meritam eſſe innuit vita ejus vetus & Chriſtannus, confirmatque præſentia Coepiſcopi Ratisbonenſis, qui a Tutone ad ejus tumulationem miſſus eſt, cujus, Principis Bohemiæ S. Wenceslai, populique unanimi ſuffragio illa procul dubio nomen *vindicatæ Martyris* meruit. Nam ut advertit eruditiſſimus Mabillonius: *Honorem ſive Martyribus, ſive Confeſſoribus tribuere Epiſcoporum erat (ut etiam Bellarminus agnoſcit) in ſua cujuque Eccleſia. Id vero fiebat tum communi populi, tum poſtea ſynodi & Principis conſenſu, tum erectione altaris vel oratorii ſuper eorum tumulum, tum denique corporum elevatione.* Dein vero ait: *Dum elevabantur non in ſummum locum, ſed ſuper pavimentum erecti ſunt loculi ſanctorum, & dignæ veneration is gratia poſiti, quibus poſtea ab Epiſcopo feſtus dies dictus eſt.* Denique aſſerit ejusmodi paſſim appellatos: MARTYRES VINDICATOS, quod pro ſanctis ab Epiſcopis & Eccleſia agniti & vindicati eſſent. Normam, qua Martyribus condita olim ſunt altaria, deſcribit Prudentius de S. Vito ita canens:

Acta SS. Bened. ſæc. V. præfat. p. LIX.

Ibid. p. LXVI

Sed mox ſubactis hoſtibus
Jam pace cunctis reddita,
Altur quietem debitam
Præſtat beatis oſſibus.
Subjecta nam ſacrario
Imamque ad aram condita,
Cæleſtis auram muneris
Perfuſa ſubtus hauriunt.

Quibus ſimilia leguntur apud S. Petrum Damianum in vita S. Romualdi & ejus libro *Gratiſſimo* dicto c. 29. Non ſemper autem oſſa Sanctorum infra altare poſita fuiſſe, ſed tumulis ſuper terram elevatis aras additas legimus ex Alemanno de Leone III. qui anno 816. mortuus eſt, ita ſcribente: *Virum Deo gratum Majores adeo venerati ſunt, ut ad ejus monumentum aram Deo (quem cultum antiquitus iis tantum, qui in ſanctorum numerum adſcriberentur, adhibere fas fuit) in ſacra Vaticana Petri Baſilica exſtruxerint, & cum ſanctitate paribus Leone I. II. & IV. uno in loco eum condi coliquę voluerint.* Ad eam proſſus normam etiam hodie ſpectatur tumulus S. Ludmillæ in Eccleſia S. Georgii, nempe ſuper pavimentum elevatus, cui altare ejusdem ſanctæ honori dicatum appoſitum eſt. Typum hujus monumenti ſcalpro excuſum ſecundum utramque plagam

Alemannus in Parietinis Lateran. c. 19.

hic

hic exhibemus, multum ab eo ornatu & architectura diversum, quem doctissimi Viri Bollandiani ad 16. Septembris publicavere pictoris sui oscitantia minus fideliter ad authographi exemplum delineatum. Illud tamen dolemus nullam prorsus super eo scripturam potuisse detegi, nisi eo fortassis plane loco apposita est, quem hodie ara tegit. Ceterum ornatum illum architectonicum non ab eo tempore esse, de quo agimus, persuadent quæque sanctorum statuæ, qui tempore hac Translatione fuere posteriores. Simulacrum illius argenteum reperiet etiam lector ea tabula, qua sepulchrum Wratislai excusum est N. VI.

III. Convolitantibus ad arma Rhedariis hoc anno omnes finitimæ Slavicæ nationes rursum contra Henricum Germaniæ Regem insurrexere. Rem copiose narrat Witichindus: *Cumque vicinæ gentes a Rege Henrico factæ essent tributariæ, Abotriti, Vulzi, Hevelli, Dalmanci, Bohemi, Redarii, & pax esset: Redarii defecerunt a fide, & congregata multitudine impetum fecerunt in urbem, quæ dicitur Wallislevi, ceperuntque eam, captis & interfectis omnibus habitatoribus ejus, innumerabili videlicet multitudine. Quo facto omnes barbaræ nationes erectæ iterum rebellare ausæ sunt. Ad quarum ferocitatem reprimendam traditur exercitus cum præsidio militari Bernhardo, cui ipsa Redariorum provincia erat subjugata, additurque legato collega Thiatmarus, & jubentur urbem obsidere, quæ dicitur Lunkini.* Narrata postea fuse clade & urbis deditione, quæ ad historiam nostram nihil faciunt, persequitur Witichindus: *Inermes igitur urbe egredi jussi: servilis autem conditio, & omnis pecunia cum uxoribus & filiis & omni supellectile barbarorum Regis captivitatem subibant. Ceciderunt etiam ex nostris in illo prælio duo Luitharii, & alii nobiles viri nonnulli. Igitur legatus cum collega & aliis Principibus Saxoniæ victores reversi, honorifice a rege sunt suscepti, satisque laudati, qui parvis copiis, divina favente clementia, magnificam perpetraverint victoriam. Nam fuere, qui dicerent, barbarorum ducenta millia cæsa: captivi omnes postera die, ut promissum habebant, obtruncati. Itaque recentis victoriæ lætitiam augebant nuptiæ regales, quæ eo tempore magnifica largitate celebrantur. Nam Rex dedit filio suo Oddoni conjugem filiam Ethmundi Regis Anglorum &c.* Quæ postrema Witichindi verba indubie indigitant hoc contra Redarios bellum ad præsentem annum pertinere, cum Continuator Reginonis his verbis nuptias Ottonis prodat: *Otto filius regis Henrici Edgild filiam Regis Anglorum duxit uxorem.* Et quanquam Sigebertus Gemblacensis aliique nonnulli hanc expeditionem ad annum sequentem narrent, tamen potior fides adhibenda Chronographo Saxoni & Chronico Quedlinburgen-

Witichind. l. 1. p. 639.

Ibid. p. 640.

Contin. Regin. ad h. a.

Chron. Saxo.

genſim pene ſimilibus verbis eam ad annum præſentem referentibus: *Facta eſt*, inquiunt, *pugna valida adverſus Sclavos juxta Albiam prope Lunkini, in qua Saxones glorioſiſſime vicerunt proſtratis Sclavorum CXX. millibus, in captivitatem vero DCC. ductis, ſuorum autem duobus Comitibus Luthariis cum quibusdam aliis amiſſis non multis, plurimis autem vulneratis.* Ditmarus hujus cruenti prælii etiam diem nempe Nonas Septembris prodit, cum duos Lutharios ſupra a Witichindo commemoratos, hacque expeditione cæſos abavos ſuos fuiſſe teſtatur his verbis: *Ex noſtris autem duo abavi mei uno nomine, quod Luther ſonat, ſignati milites optimi, & genere clariſſimi, decus & ſolamen patriæ Nonis Septembris cum multis aliis oppetiere.* Urbem *Wallislevi*, quam Rhedarii ceperunt, Henricus Maibomius hodie ſuperſtitem urbem *Wallsleba* in Ducatu Luneburgico eſſe cenſet, & *Lunkin*, ſeu ut Ditmarus vocat *Luncin*, idem Maibomius eſſe exiſtimat *Leontium* ſeu *Lentz*, contra Hahnius rectius *Löckenicz*. Jam cum Witichindus præſente anno omnes barbaras nationes (quas ante tributarias factas narravit, & inter quas etiam Bohemos complexus eſt) rebellare auſas dicat: quæritur, num novorum horum contra Henricum tumultuum etiam Boemi complices ſociique fuerint, & num in eo ingenti Slavorum exercitu comprehenſi? Affirmat Jo. Michael Heineccius in Antiquitatibus Goslarienſibus, imo hanc omnium Slavicarum gentium conſpirationem Boemorum cauſa ſuſceptam ſcribit. Verum contra hanc Heineccii opinionem magis, quam vetus aliquod teſtimonium militant ante de S. Wenceslai fidelitate prolata verba: *Quamdiu vixit, Imperatori* (Henrico) *fidelis & utilis manſit.* Et Chriſtanni noſtri: *Cui felix idem amicus jungebatur aſſidue.* Ut potius ad eorum ſententiam accedere malim, qui S. Wenceslaum ubivis Henrico ſuis auxiliis præſto fuiſſe ſentiunt. Et quanquam hujuſce rei vetus documentum non ſuppetat, tamen biographi illius paſſim produnt S. Wenceslaum ab exercitu bene inſtructum fuiſſe & ex præliis crebro victorem rediiſſe, per quæ prælia fortaſſis Henriciana illa intelligi poſſunt. Quod Joannes de Novo-Foro Epiſcopus Litomiſſl. & Olomuc. ſæculi XIV. ſcriptor claris verbis innuit: *Erga Imperatorem fortitudinis militia, erga Chriſtum devocionis decertat innocencia, & Evangelici precepti ſub armis non immemor, reddebat Deo que Dei ſunt, & que Ceſaris Ceſari reſtituebat.* Eo ipſo reſpicere videtur Anonymus Trebonenſis, dum ait: *Fuit autem Dux inclytus fortunatiſſimus in bellis contra infideles gentes, Chriſtiane fidei eas ſubjiciendo.* Chriſtannus inquit: *Exercitum non ſolum armis optimis, verum & indumento corpus adornabat.* Biographus (qui Hizo creditur) *Cui dominus tantam*

Chronic. Quedlinburg. ad h. a.

Ditmar. l. 1. p. 326.

In notis in Witichind. p. 683.

Hahn. in Henrico p. 29.

Heinecc. l. 1. ad An. 930. & 931.

Vita Mſ. S. Wenceſl.

gratiam dignatus eſt conferre, ut & in preliis victor exſiteris. Ceterum dubitare vix velim Drahomiram iis plane regionibus, quibus belli flammæ ardebant, in exilio his annis degentem tumultus hos Slavorum ſuffluminaſſe, ut vindictam aliquantum in Henricum exoneraret; an Boleslao filio fortaſſis perſuaſerit, ut militares quasdam auxiliares copias Slavis illis jungeret, nihil proditum, populares Drahomiræ Luiticios belli hujus etiam complices amice ſemper uſos Boleslao innuit poſterius Ditmarus inquiens: *Boleslaus Luiticios ſuis parentibus, & ſibi ſemper fidelas, in auxilium ſuum vocat.*

Ditmar. l. 4. p. 349.

IV. Ad anni hujus Slavo hiſtoriam etiam pertinet: quod Henricus ſua tam clara victoria effecerit, ut Obotritorum Slavorum Rex (quem Bangertus *Mislam*, Hahnius vero *Micislam* vocat) baptiſmi undis initiaretur, quod Continuator Reginonis Hermannus Contractus & Marianus Scotus ad annum ſequentem narrant. Id præterea eadem luculenta Slavorum clade effectum dedit, ut jam *Dalemincii*, prius nonniſi tributarii, pati cogerentur ab Henrico in pago ſuo urbem cum præſidio erigi, & Marchionem iſthic conſtitui. Quod Ditmarus his verbis narrat: *Hic* (Henricus) *montem unum juxta Albim poſitum, & arborum denſitate tunc occupatum excoluit, ibi urbem faciens. Cui de rivo quodam, qui in ſeptentrionali parte ejusdem fluit, nomen MISNI impoſuit, quam ut hodie in uſu habetur, præſidiis & impoſitionibus ceteris munivit.* E quo illuſtri loco habemus Miſniam urbem, a qua integra regio poſtea nomen traxit, & quæ etiam poſterius nonnunquam regibus noſtris paruit, his temporibus & veroſimillime præſente anno condi cœptam. Nam quamquam non pauci ſcriptores urbis hujus initia duobus tribusve annis prius ſtatuant, tamen cum Witichindus usque ad Rhedariorum tumultum annumque præſentem Dalemincios nonniſi tributarios faciat, vix credibile ſolum tributi lege obnoxios perpeſſuros fuiſſe, ut Henricus in eorum pago urbem caſtrumque condat, imo Marchionem iſthic conſtituat. Sane præ authoribus illis paſſim recentioribus major fides adhibenda Emſero, qui in vita Bennonis hunc ipſum annum 930, præſentem videlicet, defigit primum urbi Miſniæ, e quo veroſimillime notitiam ſuam hauſit Fabricius. Brotrufius etiam uno anno ſerius, nempe ſequente id accidiſſe autumat, quod quoque improbabile non eſt, ſi de ipſa ſtructura urbis agitur. Cum enim prodente Ditmaro clades Slavorum nonis Septembris contigerit, hieme præ foribus impendente, haud multum operæ in urbis ædificia ultra locare fas erat.

Bangert. in Helmold p. 38. Hahnius in Henrico I. p. 29

Dreſſer. Iſag. hiſt. P. 5. in Miſnia.

In Annal. Miſniæ urbis l. 1. p. 73. Brotruf. in Chron. Merſeb. l. 1. c. 23.

AN-

Ad Ann. 930

Sepulchrum S. Ludmillæ.



Latus Septentrionale.

Latus Meridionale.

ANNUS 931.

Tot mirificæ nusquamque antea auditæ res ad Wenceslai tumulum passim patrari solitæ nonnihil Boleslai animum perculere, ut jam minus de fratris sui sanctitate dubitare occiperet, atque ideo anguſtiis quibusque pulsarétur, ut ne vindex ira Dei hoc fratricidium in se graviſſime ulciſcatur. Mitior aliquanto igitur, & nonnihil religioſior redditus complures Eccleſias Boleslavienſem nempe S. Methudii, Pragenſem B. Virginis in Teyn, S. Viti in caſtro Pragenſi, labefactatas alibi, alibi præciſas, imperfectasque inſtauravit, abſolvitque; alias novis ſacellis ſtructurisque ampliavit. (a) Præter moram inſuper legatos ſuos cum muneribus maximis ad Michaelem Epiſcopum Ratisbonenſem miſit, qui eum verbis ſuis Pragam invitarent, ut eam ædificii molem, quam Divi Viti Eccleſiæ his diebus adjecerat, ſolemnibus Eccleſiæ ceremoniis dedicaret. (b) Verum quo minus antiſtes extemplo precibus ejus locum daret, dolor fecit atque indignatio ex indigniſſima Wenceslai, quem filii loco ſemper habuit, cæde concepta: nec niſi ab eodem ſancto per quietem monitus, Pragam venit, ubi maxima omnium ordinum Cleri ſcholarumque frequentia obviam exeunte ſuſceptus, fecit, quod rogatus erat, ſacravitque Kalendis Octobribus (c) ea ad templum S. Viti loca, quæ ante eum Wolfgangus, Ratisbonenſis itidem Epiſcopus, Wenceslai temporibus non expiavit. (d) At vero Boleslaus miraculi cujusdam & ultionis divinæ metu

Boleslaus reſtaurat Eccleſias.

Mittit legatos ad Ratisbonenſem Epiſcopum

Michael Ratisbo. Ep. conſecrat novas ſtructu-

ræ Ecclesiæ S. Viti.

...iis dedicationis ceremoniis non interfuit, quem postea Pragam venientem Præsul hac verborum acerbitate exhortatus est; „Quia fratrem, inquit, tuum interfeciſti, nolebam „quidem Boleslae voluntati tuæ morem gerere. Sed im„perio fratris tui, qui gloria decorus stat ante conspectum „Dei, coactus sum huc proficiſci, ædemque dedicare. Et „nunc quoque, ut vestigia fusi sacrati sanguinis, eaque lo„ca, quibus venerabilis Martyris exuviæ quiescunt, lu„strem, par est.„ Iter igitur Præsul Boleslaviam prehendens veneratus est sacrum tumulum, (c) mox Pragam reversus, Ratisbonam retro relegit viam.

Visitat locum Martyrii S. Wenceslai.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXXI.

JOANNIS XI. PAPÆ 1. HENRICI GERM. REG. 13. S. WENCESLAI 7. TUTONIS *Ep. Rat.* 38.

(a) Boleslaum ad cor rediisse, multaque ad incrementum rei Christianæ tum salubriter tum sapienter statuisse, feciſseque, sub ejus postea regiminis annis indicabimus. Cædes tamen sancti Wenceslai pietatis quodam stimulo tantum odium in animis gentis nostræ adversus eum concitavit, ut multa præclara gesta illius seu a posteritate obliterarentur, seu filio illius Boleslao II. adscriberentur; ille contra ubivis a scriptoribus vapularet, & nigro carbone notaretur. An tamen hæc, quæ de his Ecclesiis narrat Hagecius, vera sint, vadem veteriorem hactenus non inveni.

(b) Hæc quidem, & quæ sequuntur ex Cosma depromsit Hagecius, sed in duobus luculenter peccavit. Primo enim pessime huic anno consecrationem Ecclesiæ S. Viti a Michaele Ratisbonensi Episcopo præstitam illigavit, cum constet Michaelem viginti, & quod excurrit annis, posterius primum ad Cathedram Ratisbonensem promotum

tum, cautius autem egit Coſmas, qui id præter ordinem Chronologicum Martyrio S. Wenceslai annoque 929. ſubnexuit. Secundo narrata hæc Coſmæ Hageeius pro arbitrio ſuo plurimis adjunctis auxit, nihil enim Coſmas de apparitione S. Wenceslai Michaeli facta, nihil de objurgatione Boleslai, nihil denique de peregrinatione Boleslaviam inſtituta.

(c) Etiam in diei hujus deſignatione præter mentem Coſmæ ſcripſit Hageeius. Coſmas enim verbis expreſſis ait *dedicata X. Kalendas Octobris.* Errorem vero hunc Hagecii poſteriores omnes, & cumprimis Lupacius, Weleslavinus & Crugerius in ſuis Calendariis traxere. Kalendis enim Octobris non fuit conſecrata illa moles Eccleſiæ S. Viti, quæ a S. Wenceslao condita fuit, ſed poſterior illa, quæ anno 1343. a Joanne Rege & Carolo filio illius cœpta, poſtea vero a Wenceslao Rom. Rege Caroli IV. filio quoad chori ſeu presbyterii conſtructionem abſoluta eſt. Id teſtatur hodiedum inſcriptio in marmore Gothico charactere extra Capellam S. Wenceslai exarata, quæ prodit feſto S. Remigii (quod Kalendis Octobris celebratur, annoque 1385. in Dominicam inciderat) hanc conſecrationem accidiſſe. Verba autem hujus marmoris ſunt;

ANNO MCCCLXXXV. IN FESTO S. REMIGII CONSECRATUS EST CHORUS PRAGENSIS B. MARIÆ ET S. VITI PER REVERENDISSIMUM PATREM D. JOANNEM ARCHIEPISCOPUM PRAGENSEM TERTIUM APOSTOLICÆ SEDIS LEGATUM II. OLIM MISNENSEM EPISCOPUM &c.

Quare hodie dedicatio Eccleſiæ Pragenſis non eſt translata a Kalendis Octobris ad dominicam proximam, ut ait Berghauerus, ſed quia anno 1385. Kalendæ Octobris feſtumque S. Remigii in dominicam literamque A incidere, dedicationes vero, uſu regionum harum ſuſcepto, nonniſi Dominicis fieri ſolent, idcirco hodie adhuc dedicatio Metropolitanæ Eccleſiæ proxima dominica poſt Kalendas Octobrium celebratur. Quo ſtabilito & illa Berghaueri attentata conciliatio ruit, quod ex rationabili cauſa dedicatio Eccleſiæ Pragenſis a X. Kalendas Octobris a Coſma prodito ad ipſas Kalendas ſit translata.

Berghauer. Proto- Mart. Pœnit. a. 6. p. 181.

(d) Id Hagecii Chronologicum peccatum jam alias indigitavimus; non enim Wolfgangus Michaelem præceſſit, ſed ſecutus eſt in ſede Ratisbonenſi.

(*e*) S. Wenceslaum ſtatim a cæde Martyrem cultum innuunt omnes illius biographi, & multis probat Balbinus in ſua Epitome. Id certum vix annis quadraginta poſterius ab univerſa Eccleſia pro ſancto agnitum. Nam Joannes Papa in Bulla erectionis Epiſcopatus Pragenſis jam vivæ vocis oraculo eum *ſanctum & Martyrem* vocat: *Eccleſiam*, inquit, *ſanctorum Viti & Wenceslai Martyrum.* *Sancti* etiam nomine ubivis eum impertit Anonymus biographus, qui circa hæc ipſa tempora vixit, & juſſu Ottonis II. ejus vitam ſcripſit. Reliquiæ illius non modo genti noſtræ ſed etiam exteris veneratione fuere hoc ipſo, de quo loquimur ſæculo. Sic enim Chronicon Halberſtadenſe refert reliquias *de veſte ſanguinolenta Wenceslai Martyris*, quæ ab Hildeboldo (qui anno 996. obiit) Wormatienſi Epiſcopo Halberſtadii in altare SS. Martyrum Laurentii & Hippolyti impoſitæ ſunt. Anno 1021. leguntur illius lipſana ab Eluardo Miſnenſi Epiſcopo in aram SS. Remigii ac Cyriaci repoſita. Anno item 1080. a Sigilberto Epiſcopo Patavienſi *in Eccleſia* Draskirchen ſervata. Imo Martyrologia omnia a *ſæculo XI*, quæquæ in Bohemia ſuppetunt, jam ejus feſtum diem ad IV. Kalendas Octobris adnotant. Porro eum in hoc reliquiarum argumento verſemur, non prætermittendum Chriſtannum innuere cilicium hujus ſancti ſuo tempore adhuc reverenter ſervatum fuiſſe. Sic vero ille: *Ciliciis ex hinc ob ablucionem mundicie ſervandam utens aſperrimis nimis; que tempori usque ad hec ob reverentiam ipſius, velut nova ſervantur.* Joannes de Novo-Foro inquit: *Ferrea ſecum portabat arma, - - - que etiam usque in hodiernum diem in Camera Pragenſis Eccleſie honeſte reſervantur, & certis diebus a Clero & populo ob memoriam Beati Martyris reverenter ſalutantur.* Quæ vero illa fuerint; quæ in Camera Pragenſis Eccleſiæ aſſervabantur, prodit catalogus reliquiarum Eccleſiæ Metrop. anno MCCCLXVIII. die XVIII. menſis Auguſti a Wratibogio Decano conſignatus ad 28. Septembris, & a Peſſina publicatus. Præter corpus enim Boleslavia translatum: *Habetur etiam gladius ipſius in vagina, ex holoſerico rubeo, recondituſ. Item caſula ſeu planeta ex paludamento quondam ipſius facta, galea, lorice due partes, ſcyphus ligneus, pars pallii, cingulum, collare & quedam alia.* Inter cetera maxime notabile *vexillum magnum*, quod S. Ludmilla ſuis confecit manibus. *Habet*, inquit Balbinus, *alia quoque variſſima ex S. Wenceslao cimelia Eccleſia Boleslavienſis: habet pocillum ſeu caliculum, quo S. Princeps in ſacris poſt SS. Euchariſtiæ ſuſceptionem ablucbatur; habet calcoleum, quem in illo cædis tumultu aberrante manu, enſe diffidit Boleslaus; habet in cryſtallo lucidiſſima incluſos S. Wenceslai crines multo ſanguine concretos, quæ*

Leibnit. T. II. p. 118.

Ibid. p. 293.

Hueber in Auſtr. ex Archivo Mellic. p. 6.

Mſ. Bibl. Mer.

Vita Mſ. S. Wencesl.

Peſſina Rad. 3. p. 518.

Balbin. Epit. l. 1. c. 9. p. 38.

omnia pietati peregrinorum oſculanda Boleslaviæ porriguntur. De quo genere plura legi poſſunt apud Bollandianos in vita S. Wenceslai §. XIV.

PRÆTERMISSA.

I. Eo tempore, quo S. Wenceslaus in condenda S. Viti Eccleſia diſtinebatur, produnt biographi eum deſiderio ſancto exarſiſſe de Principatu fratri cedendo cuculloque ſuſcipiendo: ad hunc igitur ſeu ſequentem annum pertinet, quod Chriſtannus his verbis narrat: *Limina Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli Rome adire voluit, quo Papam illius temporis expeteret: quatenus eum monachicis indutum veſtibus attenderet in Clericum, proque Dei amore Principatum relinquens fratri ſuo, heu nimium ſeculoribus intentum actibus! contraderet, ipſeque pacifice degens, oviculas aliquantulas Chriſto Domino aggregaret. Quod & opere impleſſet, niſi illum prenotatum Baſilice* (nempe S. Viti) *impediret opus.* Sub hujus ſtructuram idem Chriſtannus innuit eum quandam vaticinii ſpeciem profudiſſe de corpore ſuo aliquando iſthic tumulando. Sic vero ille: *In qua* (Eccleſia S. Viti) *aliquando dum fabricaretur, deambulando dixiſſe fertur verſum Pſalmigraphi: „ Hæc requies mea in ſeculum ſeculi. „* Dum vero S. Wenceslaus Pragæ fabrica Eccleſiæ ſuæ S. Viti occupatur, æmulo plane labore Boleslaus frater de condenda Romano opere urbe ſua Boleslavia ſollicitus eſt. Et quanquam Duce Hagecio paſſim hiſtorici noſtri id primum poſt Martyrium & Translationem S. Wenceslai, nempe ad annum 937. referant, tamen id ante Martyrium hisque annis accidiſſe indubie ex verbis ipſis Coſmæ, qui primus eam memoriam protulit, eruitur. Memorata enim Translatione S. Wenceslai Coſmas molimen urbis Boleslavienſis narraturus inquit: *Unum ejus* (Boleslai) *ſatis audax & memorabile facinus, quod retro dierum in juventute ſua fecit, veſtræ Caritati referre cupimus.* Quæ verba *retro dierum* & *in juventute ſua* oppido innuunt id horum annorum ſpatio accidiſſe, antequam nempe fratri mortem intuliſſet Principatumque univerſæ Bohemiæ anno 936. fuiſſet aſſecutus. Nam ab eo ſtatim anno continuis per annos XIV. bellis cum Ottone I. implicabatur, & Chriſtannus jam ante cædem S. Wenceslai Boleslaviam *urbis* nomine impertit, ſic enim ille de vocato S. Wenceslao ad convivium loquitur: *Boleslaus domum propriam ſeu curtim habens in urbe cognomine vocitatam ſuo,* ſcilicet *Boleslavia.* Quæ vero hæc juvenis Boleslai fuerit audacia ferocitasque Coſmam loquentem audire libet: *factum eſt, ut in mente conciperet* (Boleslaus) *quo ſibi urbem Romano opere con-*

Mſ. Bibl. Mac.

Hagec. ad An. 937.

Coſmas l. 1. ex emendatione.

bus Codicis Dresdenſis.

conderet: moxque populi primates convocat in unum, & usque ad unum, & deducens eos in lucum juxta flumen Labe (Albim) atque designans locum, aperit eis ſui cordis ſecreta: „ Hic, inquiens, volo & jubeo, ut mihi opere Romano „ ædificetis murum urbis nimis altum per gyrum. „ Ad hæc illi: „ Nos qui „ ſumus populi fauces, & tenemus dignitatum faſces, nos tibi abrenuntiamus, „ quia neque ſcimus, neque volumus facere, quod præcipis; neque enim patres „ noſtri tale quid antea fecere. Esce in tuis aſpectibus aſſiſtimus, & potius tuo „ gladio, quam importabili ſervitutis jugo noſtra colla ſubmittimus. Fac, quid „ velis: non enim tuis obtemperabimus juſſis. „ Tunc Dux diram exarſit in iram, & proſiliens ſtetit in putrido trunco, qui forte tunc ibi jacuit in luce, & evaginato gladio dixit: „ O ignavi! & patrum ignavorum filii! ſi non eſtis ſe„ miviri, aut non viliores peripſimate piri, factis dicta comprobate, & utrum „ gladio an ſervitutis jugo ſit levius colla ſubmittere tentate. „ Erat res ſpectaculo digna, & audacis procacitate Ducis admiranda. Nam ſi mille dextras in uno corpore armatas haberet, non in tantum tanta turma hominum trepidaret. Quos ut vidit Dux buxo pallidiores præ timore, unum, qui fuit primus inter ſeniores, apprehendens per circinnos verticis, ut fortius valuit, percutiens amputavit ceu teneri papaveris caput, & inquit: „ Sic volo, ſic faciam, ſit pro ra„ tione voluntas. „ Ceteri hoc cernentes ſero pœnitentia ducti ceciderunt ad genua Ducis veniam cum lacrymis poſtulantes. „ Jam inquiunt Domine noſtris „ parce culpis. Jam per omnia tuis obtemperabimus juſſis. Jam ultro facimus, „ quæcunque velis, ne ſis nobis ultra crudelis. „ Et ſtatim ad Ducis voluntatem ædificant civitatem ſpiſſo & alto muro opere Romano ſicut hodie cernitur, quæ ex nomine ſui conditoris Boleslaum dicitur. Cetera animadverſione digna circa Boleslaviam ad annum 937. referemus, quo anno hæc narrat Hagecius.

II. Quod fatum nuper (Drahomira tyrannidem exercente) in Bohemia Rempublicam Chriſtiannam exagitavit, ut ſacerdotalis ordo Eccleſiis, poſſeſſionibus Ducatuque exturbaretur, idem plane his annis eveniſſe in Dania narrat Adamus Bremenſis: *Apud Danos Gwrm* (Gorm) *regnavit, crudeliſſimus inquam vermis, & Chriſtianorum populis non mediocriter infeſtus. Ille Chriſtianitatem, quæ in Dania fuit, prorſus delere molitus, ſacerdotes Dei a finibus ſuis depulit, plurimos quoque per tormenta necavit.* Quemadmodum vero periclitanti in Bohemia Eccleſiæ Deus anno 928. per Henricum Aucupem ſuccurrit, ita prorſum hoc anno Daniæ; refert enim idem Adamus Bremenſis: *Henricus cum exercitu ingreſſus Daniam Gwrm Regem primo impetu adeo perterruit, ut imperata ſe facere mandaret, & pacem ſupplex depoſceret.* Quod Chronographus Saxo

Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 47. p. 14.

Ibid. c. 48. p. 14.

recte

recte ad annum præsentem rejicit. Witichindus dein tributarium factum & baptismo ablutum tradit, idemque de baptismo ad hunc annum narrat Chronicon Augiense, Hermannus Contractus & Cosmas. Chronographus insuper Saxo & Adamus Bremensis isthic jam limitaneum Marchionem ab Henrico designatum prodit, verba posteriorisque sunt: *Henricus victor apud Sliaswich, quæ nunc Heidaba dicitur, regni terminos ponens, ibi & marchionem statuit, & Saxonum Coloniam habitare præcepit.* Quo facinore sibi eo tempore magnum nomen inter Italos conciliavit, ut scribit Luitprandus: *Henrici ex hoc apud Italos nomen maxime tum clarebat, quod Danos nulli ante subjectos solus ipse debellaret, ac tributarios faceret.* Ab ea Danica expeditione Henricum profectum in Gallias narrat Chronicon Augiense & Hermannus Contractus, nempe contra Rudolfum & Hugonem, qui Laudunensem & Remensem pagum, ut inquit Frodoardus, deprædabantur. Sed missa a Rodulfo legatione acceptis obsidibus & pacta securitate trans Rhenum in sua rediit. Quas Henrici expeditiones tot veterum testimoniis proditas idcirco adferre necesse fuit, ut palam faceremus Henricum hoc anno nihil hostiliter egisse in Boemia, quemadmodum duce Chronica Australi, Chronico Salisburgensi, atque Mellicensi Historici quique cum Heineccio sensere. Contra Balbinus hujus hostilitatis loco Magistri Philippi consilio hoc anno publicos ludos seu hastiludia toneamentave ab Henrico Aucupe instituta, ad eaque Ducem nobilitatemque Bohemiæ invitatam contendit, scilicet amplius, quam par erat, fidei commentitio tornea-mentorum libro, a Ryxnero adornato, tribuens: Verum quidem est, ut supra ex Witichindo locum retulimus, Henricum in exercitiis ludi excelluisse, ludosque haberi solitos teste auctore Vitæ Mathildis, at nobilitatem jam tum in quatuor circulos fuisse divisam, anxium examen de nobilium avis atavisque, clypeis, & insignibus fuisse institutum destinatis ad id explorandum judicibus, Duces Bohemiæ Wenceslaum, Wicetislaum, Vratislaumque, nescio quos veteribus omnibus incognitos Marggravios a Mehern Cretomislaum nempe & Poleshum, denique Ducem Poloniæ Miesconem aliosque Croatiæ, Russiæ, Silesiæque Duces comparuisse, meræ Ryxneri impostura sunt. Verius autem sentit doctissimus Vir Carolus Dufresne posterius veram torneamentorum rationem cœpisse, ejusque inventorem fuisse Gaufridum II. Dominum Pruliaci, de quo ita ad annum 1066. Chronicon Turonense: *Gaufridus de Pruliaco, qui torneamenta invenit, apud Andegavum occiditur.* Quæ eadem refert Chronicon S. Martini Turonense. Apud quem de

Witichind. l. 1. p. 641.

Adam. Brem. c. 1.

Luitprand. l. 3. c. 13.

Ad h. a.

Frodoard. in Chron. ad h. a.

Freher. script. T. I. p. 313. Hier. Pez. T. I. p. 338. Balbin. hist. S. Mont. Auctuar. II. p. 7.

Auctor. Vitæ Mathildis c. 4. p. 202.

Gloss. Vocab. Torneamenta.

de eo argumenti genere plura ſcriptorum veterum teſtimoniis roborata, præſertim de voce ipſa, quæ gallica eſt, uti & Hahnium, legi poſſunt.

Hahn. in Henrico I. p. 38.

III. Hoc anno, ſeu jam ſuperiore Tutonem Epiſcopum Ratisbonenſem fuiſſe mortuum diſcimus ex Arnulfo: *Tuto ſancti Emmerami Monachus Ratisbonenſi præfulabatur Eccleſiæ, qui a ſeptimo anno imperii illius* (Arnulfi Germaniæ Regis poſtea Imperatoris) *usque ad duodecimum regni Henrici Saxonis hac in vita permanſit.* Qui annus duodecimus Henrici pro vario anni primi Regni calculo ſeu præteritus ſeu præſens eſſe poteſt, cum vel ipſa diplomata Henrici, ut advertit Eruditiſſimus Abbas Gotvicenſis in hoc computu non ſint conformia, aliaque annum 919. alia 920. primum regni illius ſtatuant. Tutonem poſterioribus ætatis ſuæ annis oculorum viſu deſtitutum fuiſſe idem innuit Arnulfus ita ſcribens: *Hic atqui cæcatus corpore, ſed illuminatus mente caſtigatæ infirmitatis neceſſitatem vertit in animi auguſtum virtutem, & nequaquam valde depenſans privatum ſe luminis, quod ſibi commune eſſet cum muſcis &c.* Illius geſta ex Wolfgango Selendero noſtro Abbate Brevnovienſi tranſcripſit Raderus S. J. qui Idibus Octobris eum demortuum tradit. Beati titulum illi impertit Mauſoleum, quod ſic habet:

Arnulfus l. 1. de miraculis c. 6.

Chron. Gotvic. in Henrico.

Rader. Bavar. S. Volum. II. p. 137.

BEATUS TUTO EPISCOPUS RATISBONENSIS ARNOLPHI IMPERATORIS CANCELLARIUS, QUI FUIT MONACHUS ET CUSTOS HUJUS MONASTERII, OBIIT ANNO DOMINI DCCCCXXXIV.

Loc. cit.

Verum vel ipſe Wolfgangus Selender huic inſcriptioni, quæ poſterioris ætatis eſt, non tribuit fidem. Sic enim ille: *Ad Mauſoleum ipſius habetur ipſum obiiſſe anno DCCCCXXXIV. aliqui DCCCCXXXVI. Ego inſiſtendo maxime Mſſ. Codicibus invenio ipſum obiiſſe XII. anno Henrici, qui poſt Conradum regnavit.* Et ſapienter quidem ita ſtatuit Selenderus noſter. Nam Iſangrinus Tutonis ſucceſſor jam anno ſequente legitur interfuiſſe ſynodo Dingolvingæ, ut ex antiquo Mſ. ſæculi XI. refert Hanſizius. E quo loco ſimul eliduntur, corrigendique Catalogi Epiſcoporum Patavienſium, qui Tutoni ſucceſſorem Conradum ſtatuunt, quem Hundius atque Buccellinus nonniſi ſex menſibus præſediſſe ſcribunt. Certe Arnulfus eundem quoque Conradum expungit, Tutonique ſtatim ſubjungit Iſangrinum, quem & nos ſequemur, Iſangrino

Hanſiz. Germ. S. T. II. p. 146.

pri-

primum annum ſequentem tributuri. Ceterum qui de Tutone plura Chronologice, criticeque diſputata cognoſcere avet, Clariſſimum Mabillonium ſæc. V. Act. SS. Bened. p. 107. & ſeqq. adeat.

ANNUS 932.

Crevit cum diebus annisque apud tumulum B. Wenceslai miraculorum frequentia: quare omni parte fit ægrorum accurſus maximus, imbecillesque carris & lecticis huc implorandæ incolumitatis ergo deferuntur. *Miraculorum apud tumulum B. Wenceslai frequentia.* Acriter res hæc Boleslai animum ſceleris conſcium pupugit; ſubinde ſervis dat in mandatis, ut clam populum corpus fratris humo eximant, noctisque beneficio Pragam devectum in Eccleſia Divi Viti tumulent. (a) Quod eo factum conſilio, ut Boleslavia orbata ejus ſacro corpore ſimul prodigiorum deſtitueretur frequentia, atque ſi quid porro ejuſcemodi in templo Divi Viti accideret, id non tam Wenceslai ſanctitati, quam Divi Viti brachio, quod ibidem religioſiſſime ſervabatur, adſcriberetur. (b) Servitia Principis ſui imperium diligenter exequuntur: (c) ſub veſperum clam loculus acceditur, effoditur corpus, ſimul fragrantiſſimus odor ſe ſe tumulo effundit, mirumque viſu! corpus obductis omnium vulnerum cicatricibus integrum deprehenditur, (d) ſola illa ſecundum aurem demta plaga, quam Boleslaus frater inflixerat. Impoſitis in ignobile plauſtrum ſacris exuviis apparitores Pragam feſtinant. Veniunt noctis ſilentio ad exundantis fluenta Albis, & ictu oculi ſe ſe jam in ulteriore ripa conſtitutos advertunt, ut nemo vel co- *Corpus S. Wenceslai clam effoditur.* *Pragam plauſtro vehitur.*

gitatione assequi posset, quo pacto per tam vastum flumen deportati essent. (e) Abhinc in quendam collem pertingunt, in quo boves non tam refractarii quam occulta quadam vi cohibiti nullis stimulis adigi potuere, ut irent longius. (f) Effuderat se autem vernis aquis torrens Rokytnice appellatus, hic igitur cum hærent deliberantque de tranſitu: hem! eodem prodigio se se cum plaustro & bobus adverso litore consistere mirantur, (g) cujus ostenti causa in laudes & psalmos effusi iter versus vicum Porzyczan prosequuntur. Inde cum majorem Pragam cogitant, *quasi inter* sacrum saxumque amisso tramite hærent oculis *undique* castrum Pragense exquirentes, & rursum præter exspectationem in conspectu habent templa Divi Viti atque Georgii, quæ cum veluti scopum profectionis suæ oculis obversant, cum sacro onere ad Moldavæ ripas pertingunt, & nec opinato flumen hoc se emensos vident. (h) Id denuo maxime argumento illis fuit linguas suas in deprædicanda magnalia Dei exerendi, cujus virtute tres aquas citra pontium navigiumque adminicula sicco pede essent emensi. Albescente jam cœlo ad locum, quo publici in minori Praga carceres plurimis reis oppleti stabant, pertingunt. Hic boves plaustrumque tam contumaciter hærere cœperunt, ut nulla vi loco moveri possent; ergo trepidi dum hinc atque illinc discurrunt, dum plaustro alios atque alios cornipedes equosque admovent, urgent, stimulantque, nec quidquam tamen proficiunt. Oculato jam die multi mortalium ad tumultum accurrunt, mirantur rei insolentiam alii, alii rogant:

Prodigiose per exundantes aquas transfertur.

Perveniur ad publicos carceres.

gant: ecquid tanti veherent ponderis? ad rogata reſpondetur obiter: res eſſe quasdam ſecretas Principis Boleslavia in caſtrum Pragenſe transferri juſſas. Cum vero magis magisque vociferantur & flagris ſtimulisque inſtant, civibus pluribus atque pluribus concurrentibus res mira videri cœpit: non paucis de populo obtendentibus: „ Si ſaxa quævis „ graviſſima, ſi plumbum etiam onus eſſet, atqui tot equi „ tamen, tot boum juga mediocre plauſtrum facile movere „ loco deberent, verum, inquiunt, rem oppido prodigio- „ ſam iſthic latere oportet. „ Accedentes itaque plauſtrum velata carruca arcanum onus rimantur, arcam aperiunt, & primo ſtatim ſacrum corpus Principis ſui Wenceslai agnoſcunt. (i) Tollitur extemplo in altum clamor admiratione & divinis laudibus permixtus, rumorque per omnem raptim elatus Pragam ad tecta quoque Archipresbyteri Eccleſiæ Divi Viti permeat. Is præter moram cum omni ſuo ſacerdotum Clericorumque choro accurrens verbis ſimilibus profatur ad circumfuſum populum: „ Cives! jamne „ depoſuiſtis memoriam, ſanctiſſimo huic Duci, dum no- „ biſcum ageret, nil cordi magis fuiſſe, quam opera miſe- „ ricordiæ? non vos latet, quam intenſa ejus ſemper fue- „ rit pietas in ſublevandis præſertim illis, quos quæque ca- „ lamitas, vincula, aut captivitas premebat. An ex ad- „ verſo (carceres indigitans inquit) non videtis tot captiva „ capita (k) ſua cum ſorte infelici luctari? demite ſonti, in- „ ſontive vincula, liberos omnes dimittite, nam Wences- „ laus etiam mortuus odit ſævitiem, miſericordiam impen-

Proditur corpus S. Wenceslai.

Victores perdunt operam in promovendo

plaustro nisi dimissis vinctis egredere.

„ di desiderat. „ Placuit sacerdotis consilium: (l) vincti omnes ad unum donantur venia. (m) Illico, quod mireris, loco movetur vehiculum, duobus nonnisi bubus in montem, sanctique Viti templum facili negotio evehitur. At vero compedibus expediti inter divina præconia laudumque concentus liberatori patronoque suo adornatos, inter uberrime lætitia exuberante profusas lacrymas sacras exuvias ad castrum usque Pragense cum cetera hominum multitudine comitantur. E quorum numero pater quoque erat atque filius, qui abjurato extemplo ritu ethnico baptismi *lavacro* se tingi fecerant. (n) Depositis e plaustro sacro *pignore*, in-

Deponitur in templo S. Viti, ubi illico claret miraculis.

que templum illato jam ibi aliquanto etiam liberalius quam ante Boleslaviæ atque in Pragensi foro prodigiis certatum, nemoque ex tanto ægrorum imbecilliumque confluente numero inventus, qui per eos tres dies, quibus sacræ exuviæ palam ostentui erant, non beneficium sanati corporis lætus domum reportarit.

Populo dein sensim diffluente corpus integrum, & vulnera coivisse omnia observantur, (o) si plagam unam secundum caput inflictam excipias, quæ quasi recens sanguinem stillabat. Quod cum mirantur universi, sollicitique quærunt, quo auris sacra perveniisset, quæ una deesse animadversa? Przibislava germana sancti Martyris soror egregiis virgo conspicua virtutibus inquit: „ Hac nocte cum

Auris abesse advertitur.

„ more solito Deum precarer, proditum mihi per visum a „ cœlesti genio: aurem hactenus eo ipso, quo Martyrium „ oppetiit, loco inter parietis fissuras cespitemque vicinum

„ la-

„ latere. „ Nec mora ſacerdotium plenum fiducia nuncios Boleslaviam expedit minime hæſitans eventum dictis Przibislavæ reſponſurum. (p) Inter hæc ſacerdos quidam cognomento Hoſtivod propius ad ſacrum corpus accedens inque genua provolutus alta voce, ut ab adſtantibus audiretur, Martyrem precatus eſt: uti pro familiari conſuetudine, quam cum vivente contraxerat, particulam ſancti corporis cederet pietatis ſuæ amorisque monimentum. Videntibus cunctis ſtupentibusque ad rei novitatem: articulus digiti ſponte ab dextra ſancti corporis manu agitari, ſe ſeque enodare cepit, dum a cetera compage ſolutus decidiſſet. Quem inter præconia gratesque Divo præſtitas prehenſum ſacerdos theſauri inſtar ſummi habuit. (q) Cum poſtea etiam adferretur auris e latebris Boleslavienſibus, Clerus ſpectante turba innumera hominum eam loco vulnerique adaptat, quæ illico concreviſſe viſa nullo prorſus ſigno plagæ relicto. Quis vero ſatis explicet Chriſtianorum hæc ſpectantium affectus, jubila atque præconia? qui tandem Nonis Martiis ſacras exuvias præparato ad id loco inter pietate plenas lacrymas condiderunt. (r)

Sacerdos prodigioſe impetrat articulum digiti.

Auris reperta coaleſcit cum cetero S. corpore.

Conditur.

Tertio poſt die delatum quoque cubicularii ſui nomine Podivini corpus, quod Boleslaus ſævus, ut ante dixi-mus, ſuſpendio multaverat. Pependerat id trium annorum ſpatio e quercu ſine omni noxa, creſcente etiam cæſarie atque unguibus non modo in manibus, ſed pedibus quoque. Conditum denique proxime tumulum S. Wenceslai. (s) Miracula porro, quæ tum, atque poſtea ubertim accidere, con-

Podivin prope S. Wenceslai corpus tumulatur.

consignata sunt in libro Passionali dicto, (i) quæ prætermittenda censui, ut prolixitate lectoris tædium evitarem.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXXII.

JOANNIS XI. PAPÆ 2. HENRICI GERM. REG. 14. S. WENCESLAI 8. ISENGRINI *Ep. Rat.* 1.

(a) Omnes biographi eodem pene verborum contextu cum Continuatore Anonymi Ottoniani loquuntur id per visum quibusdam fidelibus revelatum. Sic vero ille: *Quiescente ibidem per trium spacia annorum venerando corpore fidelibus quibusdam nocte visum est, ut Deo rem insinuante, idem ad Ecclesiam S. Viti Martyris, quam ipse jam construxerat, religiosiore condendum sepultura transferri debeat. Qui somno emersi viso credentes, & licet Principis tyrannidem metuentes, noctis tamen medio conticinio bustum quam pavidi recludunt, precioſi Martyris corpus, non aperto sarcophago, vehiculo percaute ligatum superponunt.*

Mſ. Bibl. Met.

(b) Verba Cosmæ, ex quo hæc depromsit Hagecius, sunt. *Quatenus si quæ Deus mira suis ostenderet ad gloriam sanctis, non ejus fratris, sed S. Viti Martyris adscriberetur meritis.* Ubi de hujus sancti brachio nulla fit mentio, uti nec in aliis veterioribus. Sed vel ipse Cosmas hæc sua verba minus recte a S. Ludmilla & basilica S. Michaelis Tetinii traduxit ad S. Wenceslaum & Ecclesiam S. Viti. Ejuscemodi enim verba profert tam Historia Translationis S. Ludmillæ quam Christannus de domo S. Ludmillæ in basilicam conversa. Et Cosmam tacentibus veterioribus omnibus hæc minus meditate loco huic adscripsisse persuadet, quod S. Wenceslai corpus prius in Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani Boleslaviæ tumulatum fuerit, quorum meritis tam bene, quam S. Viti miracula isthic patrata adscribi potuerunt.

Cosmas l. 1. ad An. 932.

(c) Superior biographus, ut videre licuit, injussu Boleslai id factum innuit. At vero cum Christanno passim reliquæ vitæ scribunt: *Tunc misit* (Boleslaus) *& noctu corpus sanctum transferri precepit ea conditione, ut si ante auroram in sedem sepulture sancta membra tradita non fuissent, quibus injunctum fuerat, omnes se gladio multandos non dubitarent.*

Mſ. Bibl. Met.

(d)

(*d*) Continuator Anonymus Ottonianus inquit: *Precioſi Martyris corpus, non aperto ſarcophago, vehiculo percaute ligatum ſuperponunt.* Reliquæ vitæ id plane prætermittunt.

(*e*) De hac prodigioſa per Albim fluvium deportatione tacent primi S. Wenceslai biographi, ut hactenus primus omnium cognitus mihi ſit Hagecius, qui id adſtruat.

(*f*) Tam Chriſtannus quam Continuator Anonymi Ottoniani, quam denique Joannes de Novo Foro & Lectiones Propriæ Bohemiæ equis non bobus vectum corpus docent, quod certe feſtinatio illa a Boleslao imperata expoſcebat. Balbinus memorat in arce Carlſteinenſi ſervari tria ligna ex plauſtro illo, quo corpus ſanctum Pragam devectum fuit. *Balbin. Dec. 1. l. 3. p. 103.*

(*g*) Continuator Ottonianus corpus S. Wenceslai non item vectores prodigioſe translatos memorat, ac paulo aliter hæc narrat: *Perveniunt*, inquit, *ad rivum incedendo ſupergredi animalibus plauſtrum ducentibus, nimia profunditate intranſibilem naviculis & ponte utrumque carentem. Stant, quippe circumſpicientibus pons jam fractus undoſa transgreſſione diſſipatur, ligna ad ejus reparacionem non inveniuntur, quid facerent? Dum in hac verſantur anguſtia, ſubito erectis obtutibus, ecce mira Dei preſente virtute, plauſtrum ſtat altera ripa, undique ſecus aque humiditate intactum. Quo miraculo ipſi aliquantulum heſitantes, transnatato ſuper caballos rivulo, vehiculum ſacro faſce gravatum proſecuti ad locum predeſtinatum cicius applicant.* Porro torrentis Rokytnice crebro in hiſtoria noſtra occurrit memoria, nec alius eſt, quam qui ex meris lacubus ad Nedwies oritur, vicosque Kralowitz, Hagek, Hloupetin tranſiens infra Wiſſoczan & Liben ſe in Moldavam exonerat. *Mſ. Bibl. Met.*

(*h*) De Moldava rurſum nihil Ottonianus, reliqui tamen biographi cum Chriſtanno in hanc fere ſententiam ſcribunt: *Ad fluvium quoque properantes Wltawe pontem fractum reperientes, ingemiſcunt, inſuper & gravari ceperunt, ac eum omnino ſuſtollere non valentes, rurſus precibus inſiſtunt, quo eis ſolita pietate ſuccurreret, ne vitam preſentem amitterent. Quoniam ſecundum edictum Principis gallicinum matutinium tranſibat. Mox ſi exauditos intuentes ſuſtulant eum humeris, ac ſi nil oneris unquam habuiſſet, pontemque fractum ſine obſtaculo tranſiſſe ſe gratantur.* Anno 1676. ad

Hamerschmid. Glor. Prag. p. 592. pedem hodierni pontis Pragensis ad ipsam excubiarum stationem a Magistratu urbis Veteris Pragensis erectus est colossus lapideus cum imagine S. Wenceslai in monumentum, ut narrat Balbinus ex Venerabili Chanowsky, quod isthic boves substiterint, indeque prodigiose corpus in alteram ripam translatum sit. Verum pons hodiernus primum a Carolo IV. excitatus est, prior vero infra AA. RR. PP. Crucigeros cum rubea stella positus fuerat, ut jam Parte II. ostendimus.

Ven. Chanovsky P. 2. p. 198. Balbin. Epit. p. 94.

(*i*) Hujus universæ historiæ neque in Christanno neque Continuatore Ottoniano vestigium. Primus id breviter refert Joannes de Novo Foro sæculi XIV. scriptor, brevius etiam Anonymus Trebonensis tit. de Translatione.

(*k*) Ad hunc locum noster P. Victorinus: „ Luridus ille carcer, ex cujus adverso Wenceslai exuviæ immobiles hæsere, post paulo transiit in templum ejusdem sancti, quod Albertus a Waldstein Fridlandiæ Dux anno supra millesimum sexcentesimo sexto & vicesimo, dum RR. PP. Societatis Jesu Domum Professam ad S. Nicolaum excitaret, pro translatæ illuc parochiæ exercitiis ampliavit. Vetus illud rotundo ædificio, eoque idolorum fanis simillimo, Boleslai Pii vetustissimam pietatem sapiebat, tenuitque illam priscæ vetustatis formam ad annum usque 1685. quo primum pro novo S. Wenceslai templo (quod hodie sub Bibliotheca Domus Professæ S. J. visitur, duosque lapides de fenestris antiqui carceris e muro prominentes ad rei memoriam sub choro retinet) jacta sunt fundamenta. „ Hactenus noster P. Victorinus.

Pessina Rad. 3. p. 156. (*l*) Pessina hunc sacerdotem Gerardum vocat, Præpositique titulo nobilitat. Sic vero ille: *Hunc Gerardum nomine Bavarum natione, sed linguæ Slavicæ bene peritum, ideoque primum ejusdem Ecclesiæ Præpositum a D. Wenceslao constitutum in quibusdam vetustissimis & vix legibilibus archivi nostri literis invenio.*

(*m*) De hac captivorum deliberatione neque Christannus, neque Continuator Ottonianus. Primus Dalemilus unico versu eam indigitat: Wiezni sokowami z zalarze wynidu. Id est: *Captivi in præsentia* (nempe S. Corporis) *e carcere exeunt.* Copiosius id jam narrat duobus sæculis posterior Anonymus Trebonensis, multo tamen aliter quam Hagecius. Verba illius sunt: *Cum igitur sic gaudentes & Deum laudantes*

Dalemil. c. 31.

Ms. Bibl. Trebon.

iter

iter facerent prope carcerem tenebrosum, in quo multitudo hominum, super quos sententia mortis definita fuerat, vinculis detinebantur; maximus factus est terre motus, & carcer mirabili luce resplenduit, omnesque nimio terrore sive timore perterruit, omniumque captivorum pedes & manus illico absolvuntur, ac si una voce eis diceretur: surgite velocius, & properate ab his sedibus tenebrosis in occursum vestri Liberatoris Beati Wenceslai. Omnes quidem prope vitæ S. Wenceslai plures captivorum liberationes, vinculorum spontaneas disruptiones ad implorationem S. Wenceslai referunt, sed posterius, nempe postquam jam ejus S. corpus ad S. Vitum tumulatum fuisset. Memorabilis est locus Laurentii Cassinensis Monachi, quem crebro laudant Bollandiani, mihi vero lectus hactenus non est. Hic cum aliam captivorum liberationem narrasset, subjungit: *Hoc ita factum esse viva, ut ajunt, voce testari solitus est dominus Benedictus Saxonum gente progenitus, qui religiosissimum in Cassinensi cœnobio ducens vitam, partem fragminis earundem catenarum omni, quoad vixit, tempore secum devote gestare consueverat, referens se præsente tam ingens patratum fuisse miraculum.* Balbinus ait in arce Carlstein jacere compedem solidum cum tribus ferreis annulis, qui feratur ab his captivis esse. Vidi ego id ferramentum quoque anno 1763. ingenti mole & pondere, an compedis nomine dignum sit, ad eamque rem unquam adhibitum fuerit multum dubito, dubitavereque mecum omnes, qui tum spectaverant. *Balbin. Dec. 1. l. 3. p. 102.*

(*n*) Id posterius & fortassis pluribus annis post Translationem S. Wenceslai accidisse innuit tam Christannus quam Continuator Ottonianus. Et quidem posterior post miraculum quoddam, quo compedes sponte rupti & ostium carceris apertum narratur, subjungit: *Inter quos gentilis quidam baptismi gracia non dum mundatus cum se jam per Beati merita Wenceslai morte liberatum senserit, ad fidei Katholice veram agnicionem devotus convertitur, salubri lavacro purgatur, firmataque fide ac Dei in se confixo amore gnatum unicum, quem eque propria vita dilexit in Clericatus officium Dei servicio ad Beati Martyris Ecclesiam se daturum promisit.* Quibus simillima narrat Christannus.

(*o*) Sermo vetustissimus ad fratres de Translatione S. Wenceslai, qui habetur in eodem crebro a nobis laudato Codice Metropolitano, quique verosimillime a nostrorum primorum Episcoporum nonnemine dictus est, de incorruptione sacri corporis ita loquitur, unde authoris ætatem conjicias: *Quid enim*, inquit, *mirabilius quam corpus sub terra po-* *Mſ. Bibl. Met.*

situm, quasi sub aromatum condimento per aliquot curriculs annorum incorruptum conservari? Nec, ut plures adhuc visi miraculi superstites referunt testes, incorruptum, sed quod magis est mirandum, sanatis vulneribus apparuit. Quo loco cum Orator recurrat ad oculatos testes, haud posterior Episcopus oratorque is Ditmaro aut S. Adalberto esse potuit.

(*p*) Christannus non virginem sed matronam velatam & viduam appellat, quam Balbinus *Beatæ* imo Schœnleben *sanctæ* titulo impertit. Hæc vero circa auriculam S. Wenceslai gesta Christannus ante ejus translationem facta fuisse docet: Sic vero ille: *Memorata venerabilis matrona, soror videlicet Beati Martyris Przibislava vocabulo, ab ipsis incunabulis Christo Domino fuerat edocta servire Deo secundum documenta Evangelica sine querela. Postquam enim eam Dominus a jugo maritali solverat, totam se mancipaverat Deo famulandam æstuanti sitiens animo velamine sacro contegi die noctuque instanter orationibus, vigiliis, jejuniisque persistens. Huic in visione Beatus Wenceslaus astitit & inquit: „ Auriculam mihi persequentes „ me absciderunt, que actenus inter arborem, que Ecclesie jungitur, parietes- „ que ipsius Ecclesie jacet, ex quo abscissa fuerat. „ Hac comperta revelatione matrona venerabilis somno se se excuciens, Ecclesiæque expetens locum, thesaurum auricule sanctissime, ubi & locata fuerat, reperit, eamque cum reverencia gaudioque magno sumens, omnipotenti Deo gracias referens, monumentum fratris, dominique sui ac Martyris adiens cum quibusdam fidelissimis maxima cum reverencia aperuit, auriculamque imposuit, & cum omni diligentia rursus clausit. Que post translationem glebe ipsius venerabilis ita incorrupta, junctaque carni relique, ut prediximus, inventa est, ac si nec vestigium ferri unquam passa fuisset.*

Balbin, Dec. 1. l. 4. §. 5, Schœnleben in anno sancto Habsburgo-Austriaco. Mſ. Bibl. Metrop.

(*q*) Christannus nomen sacerdotis non prodit. Tam depravate etiam hæc transcripsit Hagecius, ut minime relatis Christanni respondeant, quæ jam ex Christanno audire libet: *In eadem vero hora ferunt inter reliquos ejusdem sepulturæ procuratores quendam venerabilis vitæ affuisse Clericum, qui huic sancto, dum hac lucis vita potiebatur, amicus fidissimus nectebatur, qui corpus sanctissimum, dum per singulos palparet artus, manum sancti lacrymarum imbre perfusus, oculis manui sue impositam, leviter ungulas ipsius manus attrectabat, ex quibus unam vacillantem reperiens lacrymosa ad socios voce profatur: „ Peccatoribus, inquit, ve nobis! quoniam corruptio- „ ni cernitur proximum fore sacratissimum corpus hoc: ecce enim & titubantes „ parent ungule. „ Quem reliqui increpantes „ quare, inquiunt, frater talia „ proferis, ac intellectu capuci aut prospicis aut obedicionis tue causa, que ser-*

Mſ. Bibl. Met.

„ ve-

„ *vebas, reliquias tibi ſui corporis impartiri cupis.* „ *At ille pugno pectus tundens, vere, inquit, vere & exiſtimo fere ita. Apprehenſaque rurſus ſanctiſſima manu unguium repetendo tangit, quam ita firmiter carni reliquæ herentem reperit, ac ſi nulla vacillationis ſigna patuiſſent in eo.*

(r) Marignola noſter inquit: *Quieſcit in caſtro Pragenſi in Eccleſia S. Viti Martyris in Capella ſancti Johannis Evangeliſtæ, quam ipſe conſtruxerat.* Anonymus Trebonenſis ait: *Sepelierunt corpus venerabile cum ympnis & canticis ſpiritualibus in Eccleſia Beati Viti Martyris prope altare Beati Johannis Evangeliſtæ, ubi modo requieſcit in pace.* E quibus haud obſcurum eſt Ecceleſiam S. Viti pluribus altaribus imo capellis primitus fuiſſe a S. Wenceslao inſtructam, ſecus quam poſteriores quique ſenſerunt. *Mſ. Bibl. S. Crucis majoris* *Mſ. Bibl. Trebon.*

(s) Quemadmodum ſupra anno 929. oſtendimus male Hagecium anno illi ſuſpendium Podivini illigaſſe, ita translationem præmature iſthic narrat. Chriſtannus inquit; *Poſt multum temporis viri illius* (Podivini) *ex loco illo ſublatum eſt, corpus, & translatum cum devotione Clericorum, virorum, mulierumque devotarum, & poſitum in Cimeterio Eccleſiæ S. Viti, ita ut S. Wenceslaus in Eccleſia quidem, & miles ille foris poſitus, ſola maceria dividantur.* Multo poſterius in Eccleſiam S. Viti in Capellam S. Nicolai translatus, de quo ſuo loco. Plura de Podivino legi poſſunt apud Balbinum Epit. p. 61. & 62. in Chriſtanno, quæ is hinc atque illinc multis auxit, illuſtravitque, quale illud de inclinatis omnibus quercubus per univerſam ſilvam, in qua ille ſuſpenſus, de gratioſa icone B. V. Boleslavienſis, quam e corpore S. Wenceslai ſublatam ſeu humi defodiſſe, ſeu ipſe geſtaſſe perhibeatur. *Balbin. Epit. l. 1. c. 9. p. 37.*

(t) Utinam Hagecius hoc vetus Paſſionale S. Wenceslai in ſcribendis geſtis hujus Divi ſecutus fuiſſet, non eum toties ex veterioribus emendare opus fuiſſet. Scriptores vero vitæ atque Martyrii tot tanti, tamque illuſtres dignitate per omnia ſæcula obtigere ſancto Wenceslao, ut vix alium Divorum exiſtimem, qui toties tam a domeſticis quam exteris diverſo ſtylo fuiſſet laudatus. Familiam inter hos biographos ducit Anonymus alienigena, qui juſſu Ottonis II. vitam & paſſionem S. Wenceslai ſcripſit, eaque habetur hactenus inedita in membranaceo Codice Metropolitano, a nobis aliquando inter Tomos noſtros ineditorum publicanda, & de qua ſupra copioſe diſſeruimus. *Altera* in eodem codice prioris Ottonianæ compendium eſt, quæ tamen

ultra cædem S. Wenceslai non progreditur. *Tertia* in eodem Codice exarata est, quæ passim a Pessina Hizoni Episcopo nostro tributur, huic præmissus vetus ille sermo ad fratres de Translatione S. Wenceslai, de quo mox supra. *Quarta* est Christanni nomine a Balbino in Epitome sua & postea a Bollandianis vulgata. *Quintam* Laurentii Monachi Cassinensis laudat Petrus Diaconus libro de Viris Illustribus Cassinensibus c. 6. eamque hodie in Bibliothecæ Cassinensis Mſ. codice servari testatur Erasmus Gattula in Historia Abbatiæ Cassinensis sæcul. V. c. 5. qua etiam subinde usi Bollandiani. *Sextam* commemorat Baronius in Martyrologio ad diem 28. Septembris ita incipientem: *Dominus ac Redemptor noster humanis visibus &c.* *Septimæ* meminere doc-
Acta SS ad 28. Sept. §. 1. n. 21. tissimi Bollandiani, quam valde prolixam exstare ajunt in Mſ. Codice S. Maximini Trevirensis ita exordientem: *Oportet nos fratres charissimi vitam & passionem S. Wenceslai Martyris.* *Octava* est Joannis de Novo Foro Episcopi Litomislienſis & Olomucensis, quam per *fragmenta*, elegantibus interjectis icunculis vitæ, martyrii, miracul*orumque histo*rias exprimentibus, Pragæ Anno 1643. vulgavit A. R. P. Ægidius Ordinis S. Augustini Discalceatorum Neo-Pragæ Prior. Quæ integra exstat in Codice Bibliothecæ Clementinæ Inclytæ S. J. *Nona* scripta, seu ut Marignola loquitur, magis compendiata est a Carolo IV. Romanorum Imperatore & Rege Bohemiæ, quam Bollandiani secundo loco ex Mſ. supranominati Joannis de Novo Foro *Viatico* seu *divinorum Officiorum libro* ad 28. Septembris publicarunt. *Decima* habetur in Codice Trebonensi, scriptaque est ingressu sæculi XV. omnium præsertim quoad miraculorum recensionem locupletissima, quam Reverendissimus ac Amplissimus DD. Canoniæ hujus Prælatus gratiosissime nobiscum communicari fecit. Commemorantur præterea tres quatuorve aliæ a Bollandianis, quas tamen non tanti momenti esse Viri ipsi Clarissimi innuunt. Posteriorum quarumque tam latino, quam Germanico, Boemicoque, imo Gallico idiomate scriptarum numerum inire haud vacat. Præcipuæ sunt: Joannis Dubravii Episcopi Olomucensis a Surio edita. Nicolai Salii S. J. Joannis Tanneri S. J. sub Titulo *Trophæa S. Wenceslai.* Matthæi Archiepiscopi Pragensis. Adriani Bailleti, qui Gallice vitam hanc scripsit, ut plures alios prætermittam. An vero ex primis illis veteribus Passionibus S. Wenceslai una earum
Cosmas l. 1. sit, ad quam provocat Cosmas, quamque *Tripudium S. Wenceslai* appellat, item an ipse alicujus supra nominatæ author sit? nihil exploratum. Ottonianam illam minus recte a Pessina ei fuisse adjudicatam jam supra ostendimus.

PRÆ-

PRÆTERMISSA.

I. Neſcio, quid in mentem venerit Goldaſto, qui præſente anno ex quodam Chronico Thuringico nobis Brzetislaum Ducem affingit, eumque Ottoni auxiliares copias dediſſe memorat. Sic vero ille: *Anno DCCCCXXXII. Brzetislaus Dux Bohemiæ ab Ottone I. Imp. evocatus in expeditionem contra Hungaros copias miſit auxiliarias.* Nolim contra dubitare hoc jam anno Hungaros noviter Moraviam Boemiamque inundaſſe, quandoquidem ſequente jam anno in ipſa Dalemincia verſati leguntur, & haud obſcure id innuit Mſ. Codex Labacenſis a Ludovico Schœnlebio relatus ita loquens: *Hungari viſa Dalmaturum fortuna vice verſa invadunt Moraviam, Bohemiam, & Saxoniam, rapinis, cædibus, incendiis omnia profanantes.* Et Hermannus Contractus jam ad hunc annum Hungarorum eruptionem defigit. Procul dubio Wenceslai Ducis Bohemiæ initam nuper cum Henrico Germaniæ Rege amicitiam, ictumque armorum fœdus non poterant non Hungari lividis ſpectare oculis, qui cum præterea viderent omnes ceteras pene Slavorum gentes attritas bellis, imperioque partim, partim tributo Henrici ſubjectas, merito quoque metuere, rebusque ſuis proſpicere debuere, ne aucta tantoopere Henrici potentia eadem cum Slavis illis ſe ſe fortuna ſequatur. E quibus haud vana conjectura capi poteſt: hactenus eam Boemos inter & Hungaros quoquo modo cultam pacem hoc anno reſciſſam, Hungarosque, ut Codex Labacenſis vult, jam non modo in Henrici, ſed etiam Boemiæ Moraviæque terras omnem latrociniorum vim exeruiſſe. Num vero Henricus hac Hungarorum irruptione tantoopere afflictis Boemis Moravisque ſuccurrerit? nihil in veteribus proditum, niſi fortaſſis dicere libet verba Chronicæ Auſtralis, Chronici Salisburgenſis atque Mellicenſis ad præſentem annum ſpectare, quæ ſuperiore anno unaniniter referunt: *Henricus Rex Boemium petit.* Ut nempe Henricus non quidem hoſtiliter, ſed amice Boemiam ingreſſus cenſendus ſit opem ſuis fœderatis contra Hungarorum vim laturus.

Schœnleben Annal. Carn. P. 3.

Apud Caniſ. ad h. a.

Ad An. 931.

II. Hoc ipſo præſente anno ſummum ſequente hodiernos Luſatas eidem tributo ut ceteras vicinas gentes Slavicas ab Henrico Germaniæ Rege fuiſſe ſubjectas ex Dithmari relatis eruitur. Qui cum naraſſet Miſniæ urbem caſtrumque poſitis iſthic Regiis præſidiis ab Henrico conditum fuiſſe (quod annis abhinc duobus accidiſſe ſupra oſtendimus) ſubjungit: *Ex ea* (nempe urbe Miſni) *Milzenos ſuæ ſubactos ditioni cen-*

Dithmar. l. 1. P. 327.

cenſum perſolvere coegit. Urbem quoque Lebus, de qua impoſterum latius diſputaturus ſum, diu poſſidens, urbanos in munitiunculam infra eandem poſitam fugere, & deditios fieri compulit. Ex ea die, qua hæc tunc incendio juſte periit, usque ad noſtra tempora habitatore caruit. Multa in his Ditmari verbis latent, quæ ad illuſtrandam hiſtoriam Luſatiæ patriæque noſtræ plurimum conducunt. Et quidem erant Milzeni Slavi tum Boemorum contermini, quorum pagus *Milzavia* & *Miſca* in veteribus nominatus reperitur, qui eundem prorſus ſitum olim habuit, quem hodie tenet ſuperior Luſatia Bohemiæ confinis. Iſtius pagi terminos ponit Abbas Gotvicenſis: urbem Miſni, Bohemiam, pagos Niſeni & Luzici, parte vero Orientali pagum Diedeſiſi. Adeo ut diſtrictus a fluvio Elſtra ad dextram Albis ad fluvios Sprevam, Nizam, & usque ad fluvium Queiſſe Silèſiæque confinia Milzenorum Slavorum ſedes & Marchia Milzavia olim fuerit. In hoc igitur pago Slavico ſita erat urbs *Lebus*, quam his temporibus captam & igne deletam ſcribit Ditmarus, & ad ſua usque tempora habitatore caruiſſe. Mea vero ſententia *urbs hæc* Lebus haud alia fuit ab hodierno Gerlizio, quod propter hanc conflagrationem Slavicam priſcam appellationem *Izgoreliz* (quaſi exuſtam dicas) indeptum eſt. *Iz* enim vetero Slavice præpoſitionem *ex*, *gorelì* vero *uſtum* connotabat. Poſteriores Slavi Boemique ſyncopate appellavere *Gorliz*, demum plane *Gœrliz*. Situm hujus urbis ditionisque proximum & conterminum Bohemiæ confirmat diploma Henrici III. Imp. apud Coſmam, in quo recenſitis limitibus Epiſcopatus Pragenſis poſt nominatam provinciam *Liutomerici* ponitur *Lebuzi* (nempe ut emendatiores Coſmæ Codices habent) quo ſcilicet hæc ipſa ditio & urbs Slavorum Lebuſiorum indigitatur. Scio quidem in eodem regionum tractu etiam hodie ſuperſtitem eſſe urbem *Loebaviam*, quam urbis hujus veteris reliquias eſſe autumare liceat; at ne Lœbaviam eſſe existimem, perſuadent mihi verba Ditmari ſupra relata: *Urbem quoque Lebus, de qua impoſterum latius diſputaturus ſum.* Ne verbo autem poſterius Ditmarus Lœbaviæ, bene vero urbis *Izgorelik* meminit, ut Lœbaviam poſterius excitatam fuiſſe haud temere ſuſpicari fas ſit. Porro ex his Ditmari verbis eliditur, quod hiſtorici quique patrii exterique his ipſis temporibus dominationem gentis noſtræ in Milzenos ſeu hodiernam Luſatiam protendant. Vix enim credibile Henricum jam amicitia & fœdere Wenceslao Boemiæ Duci junctum ſimile quidpiam attentaturum fuiſſe adverſus ejus ditiones urbemque. At vero Carpzovius contendit in partitione terrarum Wenceslaum inter & Boleslaum facta, hodier-

Chron. Gotvic. l. 4. p. 682.

Lodercker in Vocab. ſeptil.

Coſmas ad An. 1086.

Carpzov. P. 1. p. 26.

diernam Lusatiam ad ditiones Boleslai recidisse, imo nescio, quem Wenceslaum præsente anno isthic Burggravium seu advocatum constitutum scribit. Unde hæc ab Henrico non tam contra Wenceslaum quam Boleslaum suscepta fuisse dici possint. Verum authoribus tot sæculis a re gesta remotis non majorem fidem adhibendam esse, nisi quam veterum testimoniis probant, monent leges critices: scimus ex Ditmaro Suatopluci Moraviæ Ducis temporibus has regionum vicinias nexu quodam magnæ Moraviæ Regno fuisse obnoxias, at ab eo tempore usque ad Wratislai Regis nostri imperium nihil reperio eas Boemiæ fuisse accensas, aut sub Ducum nostrorum dominatu (si violentas momentaneasque prope incursiones excipias) fuisse comprehensas. *Idem ibid. p. 45. & 243.*

III. Ad annum hunc præterea spectare videtur: non modo Erphordiæ ab omnibus pene Alemanniæ Episcopis præsente Henrico sub die Kalendarum Juniarum synodum fuisse celebratam, sed & alteram ab Episcopis Bajoariæ Dingolvingæ præsidente Adalberto Archiepiscopo Salisburgensi, cui etiam Isengrinus Episcopus Ratisbonensis interfuisse legitur. In ea synodo cum præsertim de disciplina monachorum sacerdotiique actum fuerit, & presbyterorum, Diaconorum, Clericorumque in ea præsentium mentio fiat, vix dubitare velim ab Isengrino etiam quosdam e Boemia accersitos. Hæc certa: at vero illud perquam dubium, quod memorat Stredovskius: cum ad annum hunc ponit obitum Joannis Polessovienſis in Moravia Episcopi, quem postquam anno superiore adhuc Ecclesias quasque in Bohemia consecrasse, itque per sedecim annos Episcopale munus gessisse narrasset, hoc anno ingenti Moravorum luctu in sua Cathedrali Ecclesia tumulatum ait. Post cujus mortem Moraviam per decem annos Episcopo caruisse asserat. In relatorum suorum fidem laudat quidem Augustinum Kasenrot, Paproczium & Hirsmenzelium, at ego præ recentiorum istorum testimoniis vetustiorum vadimonium optassem. Nam post Joannis Archiepiscopi Moraviæ suffraganeorumque illius anno 899. & 900. memorias nullum vestigium uspiam de Episcopo quodam Moraviæ deprehendi, imo nec indicium, quo superiores illi post eversionem Regni Moravici devenerint. Ex Agapiti II. Papæ litteris viginti facile annis posterius scriptis haud obscure eruitur Moraviam tum Episcopo caruisse, quandoquidem eam Gerardo Laureacensis seu Patavienſis sedis Episcopo subjicit. Anno vero 976. jam rursus Moravos proprium *Baron. in Annal. ad h. a.* *Hansiz. T. I. p. 189. & T. II. p. 146.* *Stredovsky l. 5. c. 3. p. 486.*

habuisse Episcopum, eumque una cum Pragensi suffraganeum fuisse Moguntini Archiepiscopi, ad eum annum coævo documento probabimus.

ANNUS 933.

Portentorum ad Divi Wenceslai tumulum multitudo totidem stimulis fuit ethnicis, ut de superstitionibus suis dubitare occiperent, deque transitu ad Christianorum sacra cogitarent. Luzenses seu Zatecenses tamen pervicaciissimi idololatræ tot manifestorum signorum fidei non modo derogare ausi, sed & omne Christianum *nomen* exstinguere malevole conati. (a) Eorum infestorum hominum opibus cumprimis turgentia capita Launæ conciliabulum indicunt, trium dierum spatio deliberant, ac tandem sacrilege statuunt: legationem mittendam esse Boleslaviam ad Principem, quæ conditiones certas & media offerat, quo tot tantorumque prodigiorum rumoribus modus fiat. Compendium legationis consiliique id fuit; conventus a Boleslao indiceretur universis regni incolis Christum profitentibus aversantibusque. Eo vero caveretur: utrisque capitale fore de Wenceslai cæde atque prodigiis sermones miscere, nemini liceret Wenceslai virtutes prædicare, quin omnes jure cæsum a Principe dicerent. Gratum id Boleslao accidit consilium sceleris sui patronos ac defensores cupienti. (b) Indicta igitur comitia populo ad quercum robusti equitis, qui est in Turisko ad Styri tumulum.

Launæ conciliabulum ethnicorum.

Mittitur legatio ad Boleslaum.

Bo-

Boleslao autem his præſidere Comitiis viſum non eſt, miſit itaque cum poteſtate legatos, qui multitudini imperia ſua his verbis exponerent: „ Vetitum eſſe omnibus ab eo „ die Wenceslai memoriam quibusvis ſermonibus reſuſcita- „ re, & oblivioni tradendum eſſe, quidquid inter fratres „ Principes actitatum eſſet. „ Quantum autem edictum iſtud ethnicos ac cumprimis Luzenſes implevit lætitia, tantum Chriſtianorum, Pragenſium maxime, proſtravit animos, qui ſeceſſione ad conſultandum facta cum deliberant, quam arduum eſſet imperio Principis reniti, quam contra difficile veritati frena injicere: hem! momento temporis viſus ab omnibus in aere aureis armis heros candido equo inſidens ab occidente ſole aſcendere, & atram nubem crebris ignibus micantem, horrendoque mugitu terribilem a tergo trahere. (c) Nec mora ingens minaxque tempeſtas Comitialibus campis deſuper incubuit, tantamque in ſubjectos inter fragores fulminum effudit peſtem, adeo omnes exterruit, ut infecta re, qua poſſent, præcipites fugerent non ſine pernicie. (d) Scriptum reliquere nonnulli, & cumprimis Racek Dobrohorsky ad quadraginta homines ea fulminum eliſione protritos eſſe. (e) Tam inexſpectato Comitiorum exitu territus populus, territus Boleslaus: ille non auſus ultra illius impugnare ſanctitatem, iſte etiam in plurium præſentia ſanctum confeſſus eſt.

Comitia in Turſko.

Edictum de ſilentio cædis S. Wenceslai.

Comitia fulmine & tonitru prodigioſe diſturbantur.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXXIII.

JOANNIS XI. PAPÆ 3. HENRICI GERM. REG. 15. S. WENCESLAI 9. ISENGRINI *Ep. Rat.* 2.

(a) Ex eo errore, quod Drahomira gente Luzana seu Satecensis credita fuerit, enatum, ut posteriores hanc cultus ethnici pervicaciam Satecensibus affinxerint, de qua apud veteriores omnes silentium,

(b) Non repugnare velim Boleslaum pro prudentia sua, quam certe magnam postea in administranda republica ostendit, ad sedandos tumultus factionesque sopiendas silentium indixisse de cæde fratris a se admissa, at vero eum sceleris sui patronos & defensores *cupivisse*, aut ejusmodi sententiam a populo efflagitasse, ut S. *Wenceslaum* jure cæsum dicerent, nullus adduci possum, ut credam, nec enim de eo in veteribus indicium. Quin his plane adversa scribit Cosmas, qui eodem adhuc die, quo sanctum fratrem occidit, pœnitentiam illius, & peccati agnitionem indigitat his verbis: *Dux Boleslaus conscius sceleris patrati, timens pœnas tartari, mente semper recolens sagaci, quoque modo possit Deus super hoc crimine placari, votum vovit Domino dicens: si iste meus filius, inquit* (nempe Strachyquas ipso die fratricidii natus) *superstes fuerit, ex toto corde meo Deo eum voveo, Clericus ut sit, serviat Christo omnibus diebus vitæ suæ pro meo peccato.* Nec vero in satisfactionem reatus sui id solum fecit, ut filium tum unicum primogenitumque Deo & Ecclesiæ offerret, sed etiam sancti fratris sui simulacrum ipse primus in monetas suas assumsit, ut Parte IV. Annalium nostrorum quorundam hodie existantium solidorum typis ostensuri sumus. Quod profecto doloris & pœnitentiæ publicæ exemplum tantum fuit, quantum vix uspiam in Principibus personis historiisque orbis universi est legere. Verum partim pietas, qua gens nostra versus sanctitatem Divi Wenceslai ferebatur, partim execratio, qua fratricidii istius impietas passim merito exaggerabatur, adeo, Duce cumprimis Christanno, exasperavit omnium historicorum calamos, ut immemores ejus seriæ pœnitentiæ mera nonnisi fulmina in eum detonuerint, conviciis prosciderint, egregia quæque gesta illius seu indigna censura notaverint, seu plane obliteraverint, quæ nos idoneis roborata documentis suis annis prolaturi sumus.

Cosmas l. 1.

(c)

(c) Balbinus addit: „ Memorabile illud: quoties Wenceslai cœ- *Balbin. Epit.*
itus oblata ſpecies eſt, ſemper apparuiſſe armatum; alias aciem Bohe- *p.* 93.
norum equo candido inſidens præceſſit armatus, alias in aere conſpec-
us ſuper acie equo volante, alias victoriam ſua ipſe manu adjuvit.
Quo argumento ſibi Wenceslaus oſtendit arma placere. Ac certe
Wenceslaum felicem pluribus in bellis fuiſſe Chriſtannus docet com-
nuni Slavicæ gentis gloria. „ Hactenus Balbinus.

(d) Hiſtoria hæc Comitiorum etiam picturis quibusque hodie epræſentata inter geſta S. Wenceslai ſpectatur. Verum omnes bio-graphi vetuſtiores, quorum catalogum ſuperiore anno texuimus, ne verbo quidem hujus univerſæ narrationis meminere. Indigitat quidem nox infra Hagecius ejus authorem Raczek Dobrohorskium, ſed nu-piam nobis prodidit, cujus ætatis hic author fuerit, aut quid ſcripſe-rit. Balbinus eum quidem vocat Canonicum Bolesluvienſem, ſed neq; præterea quidpiam de eo manifeſtum facit, imo cum nuſpiam in ope-ribus ſuis (quantum memini) vel verbum ex hoc authore proferat, plane liquet vel ipſi Balbino Dobrohorsky exemplar incognitum fuiſſe. Ceterum quid doctiſſimi Bollandiani de hac univerſa hiſtoria ſentiant rurſum ſubjicere libet. Nam cum Balbinum ſua ex Hagacio & Dobro- *Acta SS. ad* 28.
norskio narrantem retuliſſent, ſubdunt; *Hæc Balbinus ex aliis non admo-* *Sept. §.* 10. *n.*
dum antiquis, quæ quanto illuſtriora ſunt, tanto certioribus indigent teſtimoniis, 183.
tantoque minus, ſi vera ſint, omitti potuerunt a Chriſtanno aliisque antiquiori-bus, ex quorum ſilentio eadem illis ignota fuiſſe dicere neceſſe eſt.

(e) Cum Dalemilus Canonicus quoque Boleslavienſis nec horum Comitiorum nec infirmitatis Boleslai aut Brzenæ, quam ſupra ex eodem Authore narravit Hagecius, ullam prorſus mentionem faciat, in rebus ejusmodi alioquin facundus, non leve argumentum deducitur Dobro-horskium Dalemilo poſteriorem fuiſſe, qui ceteroquin tam illuſtre fac-tum præſertim a Collega ſuo memoratum vix prætermiſiſſet. Mihi quidem Dobrohorsky partus haud alius videtur eſſe, quam quæpiam vita S. Wenceslai miracula cumprimis illius complectens: Quid ſi ea vernacula eſt, quæ Ludovici Regis noſtri imperio ſæculo ordiente XVI. Pragæ in quarto prodiit? cujus quidem dialectus ex eo ipſo non an-teriore quodam ſæculo eſt. Sed hem aliquoties alias a me hic atque illic viſam cum modo quæro, nuspiam invenio, ut exquirere liceret, num Dobrohorsky nulla ejus præfationi inſit memoria.

PRÆTERMISSA.

I. Non exſpectato novem annorum exitu, quod ſpatium temporis Henricus cum Hungaris anno 926. pacis colendæ, imo magis armiſtitii cauſa, pepigerat, præſente anno Hungari ditiones illius rurſum involant, quod diligentiſſimus temporum horum ſcriptor Frodoardus ad hunc annum his verbis adnotavit: *Hungari ſe in tres partes dividunt, quorum pars una Italiam petit, alia terram Henrici trans Rhenum invadit. Contra quos profectus Heinricus cum Bojoariis & Saxonibus ceteriſque quibusdam ſibi ſubjectis omnibus omnes usque ad internecionem ſternit, quorum triginta ſex millia cæſa referuntur, præter eos, quos abſorbuit fluvius.* Tertia pars, quæ procul dubio librarii oſcitantia in Frodoardi Chronico omiſſa eſt, in Thuringiam irrupit per Daleminciam, ut poſtea ex Witichindo legemus. Paſſim quidem poſteriores ipſeque Pagius cladem Hungarorum cum Continuatore Reginonis, Mariano Scoto, & Sigeberto Gemblacenſi ad annum ſequentem rejiciunt, at Frodoardo contemporaneo præ his omnibus tribuenda fides. Porro initium exitumque hujus belli ſolertiſſime juxta ac locupletiſſime deſcripſit Witichindus, qui narrat Henricum indictis Comitiis cum Principibus utriusque ordinis & populo univerſo deliberaſſe utrum præſtet eligere atrox bellum, ad quod ſuſcipiendum ſibi *militem equeſtri prælio probatum* eſſe dictitabat, an malint ad tributum annuum porro Hungaris præſtandum theſaurum divinis officiis ſanctificatum evacuari, patriam vectigalibus emungi, ærariumque hoſtis locupletari? ad quæ cum populus omnis levatis in cœlum vocibus ſignificaſſet ſe bellum præoptare, operamque ſuam contra Hungaros pacto firmaturum, tum enim vero Henricum ad bellum apparaſſe omnia; quæ conſequuntur, jam verbis Witichindi referre libet: *Poſt hæc legati Ungarorum adierunt regem pro ſolitis muneribus, ſed ab eo ſpreti in terram ſuam vacui ſunt reverſi. Hæc audientes Avares nihil morati cum gravi hoſtilique manu feſtinant intrare Saxoniam. Et iter agentes per Dalmantianos ab antiquis opem petunt amicis. Illi vero ſcientes eos feſtinare ad Saxoniam, Saxonesque ad pugnandum cum eis paratos, pinguiſſimum pro munere eis projiciunt canem.* Anonymus de fundatione quarundam Saxoniæ Eccleſiarum munus hoc non a Daleminciis ſed Henrico ipſo miſſum ait, ſic vero ille: *Henricus miſit ipſis pro tributo canem præciſum auribus & cauda.* Perſequitur vero Witichindus: *Et cum non eſſet injuriam vindicandi locus, ad alium pugnam feſtinantibus, cum ridiculoſa ſatis vociferatione longius proſequuntur amicos. Igitur quam potuerunt repentino impetu in eos*

Frodoard. in Chron. ad h. a.

Witichind. l. 1. p. 640.

Leibnit. T. I. p. 261.

ſunt

fines Thuringorum, illam totam terram hoſtiliter pervagantes, ibique diviſis ſociis, alii ad occidentem pergebant, ab occidente & meridie Saxoniam quærentes intrare. Sed Saxones pariter cum Thuringis congregati inito cum eis certamine cæſis Ducibus, ceteros illius exercitus occidentulis per totam illam regionem errare fecerunt. Quorum alii fame conſumpti, alii frigore diſſoluti, alii autem cæſi vel capti, ut digni erant, miſerabiliter perierunt. Qui autem in oriente remanſit exercitus audivit de ſorore Regis, quæ nupſerat Widoni Thuringo (erat namque illa ex concubina nata) quia vicinam urbem inhabitaret, & multa pecunia ei eſſet auri & argenti, unde tanta vi urbem expugnare cœperant, ut niſi nox viſum pugnantibus impediret, urbem caperent. Ea vero nocte audientes de caſu ſociorum regisque ſuper eos adventu cum valido exercitu (nam caſtra metatus eſt Rex juxta locum, qui dicitur Riaede) timore perculſi relictis caſtris, more ſuo igne fumoque ingenti agmina diffuſa collegerunt. Rex vero poſtea die producens exercitum, exhortatus eſt - - - His optimis verbis erecti milites Imperatoremque inprimis, mediis, & ultimis verſantem videntes, coramque eo ANGELUM (hoc enim vocabulo effigieque ſignum maximum erat inſignitum) acceperunt fiduciam, magnamque conſtantiam. Rex vero veritus eſt, quemadmodum evenit, ut hoſtes viſo milite armato fugæ ſtatim indulſiſſent, miſit legionem Thuringorum cum raro milite armato, ut inermes proſequerentur, & usque ad exercitum protraherentur. Actumque eſt ita. Sed nihilominus videntes exercitum armatum fugerunt, ut peracto milliario vix pauci cæderentur vel caperentur. Caſtra vero invaſa, & omnis captivitas liberata eſt. Rex vero victor reverſus modis omnibus gratiarum actiones divino honori, ut dignum erat, ſolvebat pro victoria de hoſtibus ſibi divinitus conceſſa. Tributumque, quod hoſtibus dare conſuevit, divino cultui mancipavit, & largitionibus pauperum deſervire conſtituit. Locum & nomen urbis, quæ Witichindus prætermiſerat, coævus alter Luitprandus poſteritati tranſcripſit, inquiens: *Hunc triumphum tam laude, quam memoria dignum ad Meresburgum Rex in ſuperiori cœnaculo domus per ξωγραφίαν id eſt picturam notari præcepit.* Ex quo loco habemus Hungaros per Daleminciam invaſiſſe Thuringiam, quod haud alio itinere fieri potuit, quam per Bohemiam, ut paſſim etiam exteri ſcriptores ſentiunt. Balbinus author eſt hac expeditione multum eos in Bohemia deſæviiſſe, ſic enim ille: *Hungari cum adverſus Saxones in Daleminciam pergerent circa annum 934. ſeptentrionalem Bohemiam captivitate, cædibus, & incendiis, quod illis perpetuum fuit, crudelem in modum pervaſtarunt.* Quid ſub hac Hungarorum irruptione egerit Divus Wenceslaus, urbesne ſuas præſidiis tuitus ſit, an copias Henrici exercitui junxerit? nihil teſtatum. Conjectura quæpiam ex Frodoardo capi poteſt:

Luitprand. l. 2. c. 9.

Balbin. Dec. 1. l. 3. p. 249.

teſt,: Boemos in exercitu Henrici fuiſſe, cum is præter Saxones & Bajoarios *quosdam Henrico ſubjectos* adfuiſſe memoret, quod de populis tributariis (quo in numero etiam Bohemi comprehendebantur) lato etiam ſenſu accipi poteſt. Qua conjectura veroſimillime uſus Zacharias Rivander, cum ad præſentem annum in Chronico ſuo Thuringico *Boleslaum* (forte Wenceslaum) Boemiæ Ducem huic expeditioni interfuiſſe memorat. Nec ſcio, quis ille *Boleslaus* Delmantiæ Dux (niſi forte noſter) quem Abrahamus Thamius in hoc prælio Martisburgenſi a Coldicenſi ſuo Chronico producit. Confidenter vero Peſſina ex Chronico Alberſtadenſi (loco a me toties fruſtata opera quæſito) S. Wenceslaum Boemiæ & Dalmantiæ Ducem fuiſſe contendit. Multo minus uspiam prodita aut veritati conſentanea ſunt, quæ Stredovskius de Ryxnerianis illis commentitiis Moraviæ Marchionibus Crotomisla & Poleslao narrat: illos ſcilicet ſub Hungarorum per Moraviam tranſitum comitia celebraſſe, quibus cautum fuerit: in caſtella, *urbes*, & loca tutiora transferendas omnes eſſe opes Moraviæ, *tecta vacua hoſti* liberumque tranſitum eſſe permittendum, & plura ſimilia omnibus veteribus incognita.

II. Omnium hactenus difficillimum intricatiſſimumque nobis viſum certum annum conſecrationis Eccleſiæ Divi Viti in caſtro Pragenſi defigere propter antilogiam trium diverſorum ſat veterum monumentorum, quorum unum quodque aliud atque aliud tempus conſignat. Et quidem Anonymus Ottonianus in vita S. Wenceslai conſecratam innuit Eccleſiam hanc a Tutone Epiſcopo Ratisbonenſi, item poſtremus in Mſ. Codice Metropolitano biographus his verbis hiſtoriam ſuam exordiens: *Creſcente fide Chriſtiana in diebus illis Dei nutu &c.* E quorum calculo itaque ſequeretur conſecrationem hujus Eccleſiæ non eſſe proferendam ultra annum 930. aut 931. quo alterutro Tutonem mortuum eſſe certo conſtat. Alterum documentum exhibet Peſſina *Peſſina Rad. I. p. 5.* ex veteri Mſ. Martyrologio, quo dicitur primum anno 935. S. Wenceslaum brachium S. Viti Pragam attuliſſe, ac tum demum Eccleſiam hujus S. Martyris honori condidiſſe, ut ita conſecratio etiam anno 936 poſterius accidere debuerit. Tertium habemus ex Coſma, qui plane negat S. Wenceslai regimine dedicatam fuiſſe Eccleſiam S. Viti, ſed cum ille morte præventus fuiſſet, inquit, poſtea a Boleslao fratre invitatum Michaelem Epiſcopum Ratisbonenſem, qui eam *decimo Kalendas Octobris* conſecraverit. Penſatis omnibus rationibus, hiſtoria temporum in concilium vocata, atque bis terve ſententia noſtra

ſtra reformata nulli horum trium documentorum calculo ſubſcribere poſſumus; adeo ut neque a Tutone, neque Michaele, neque poſt annum primum 935. dedicatam arbitremur, ſed hoc ipſo præſente anno. Et quidem Eccleſiam S. Viti vivente S. Wenceslao fuiſſe dedicatam innuunt omnes S. Wenceslai biographi, quorum quique ætate Coſmæ multo ſuperiores. Primus omnium Anonymus Ottonianus inquit: *Invitato jam dicto Epiſcopo* (Ratisbonenſi) *in honore ſancti Viti Martyris conſecratum, ibidemque plurima miraculorum divina virtute mortalibus geſtorum in præſens usque ſigna coruſcant.* Chriſtannus æque dicit miſſos fuiſſe legatos a S. Wenceslao ad Ratisbonenſem Epiſcopum, & Eccleſiam S. Viti ab eo non fuiſſe imperfectam relictam ſed conſummatam. Sic enim ille: *Baſilicam S. Viti Martyris in Metropoli Pragenſi Deo auctore a fundamento conſtruxerat, & ornamentis Eccleſiaſticis adprime decoraverat.* Quos demum ſecuti poſteriores omnes vitæ ſcriptores, qui baſilicam hanc omnino tempore S. Wenceslai conſecratam unanimiter innuunt. Sed jam verba ipſa Coſmæ afferre libet, ut ex ipſis Coſmam memoria & errore lapſum convincamus; ſic vero ille ſat copioſe de hujus Eccleſiæ dedicatione: *Servus Dei Wenceslaus Eccleſiam in Metropoli Praga ſub honore ſancti Viti Martyris conſtructam, non tamen conſecratam, morte præventus, reliquit. Hanc ut conſecrare dignaretur, qui tunc præerat Ratisbonenſi Eccleſiæ præſul nomine Michael, Dux Boleslaus ſupplex miſſis legatis cum magnis muneribus & majoribus promiſſionibus atque pollicitationibus, quo petitionem ſuam adimpleret, vix impetravit. Quod utique haud annuiſſet Præſul niſi ob recordationem animæ & ſalutem Wenceslai amici ſui jam interfecti id deliberaſſet fieri: quia vir Dei Wenceslaus, dum carne vigerat, nimio cum affectu coluerat, utpote patrem ſpiritualem, & benigniſſimum Præſulem. Nam & Præſul Michael ſimiliter hunc ſibi adoptaverat in filium dilectiſſimum, cum ſæpe inſtruens timorem & amorem Dei, cum ſæpe mittens ei ſua donaria, quibus maxime illo in tempore indigebat nova Eccleſia Chriſti. Mox ubi Dux* (Boleslaus) *eſt factus compos voti, plebs univerſa & proceres atque Clerici obviam advenienti Epiſcopo ruunt devoti, & cum magno honore & lætitia recipiunt eum in Metropoli Pragæ ædificia. Quid multa? decimo Kalendas Octobris dedicata S. Viti Eccleſia lætus repedat Præſul ad propria.* Verum Coſmam hac in narratione lapſum, quæque Michaelis anteceſſori adſcribere debuiſſet, ipſi Michaeli tribuiſſe, ex jam dicendis palam fiet. Michaelem enim Ratisbonenſem Epiſcopum inſtar patris a S. Wenceslao habitum, & contra S. Wenceslaum a Michaele inſtar filii adoptatum, aut ei munera pro ſua nova Eccleſia miſſa fuiſſe cum Chronologia manifeſtiſſime pugnat.

Mſ. Bibl. Met.

Coſmas l. 1. ad An. 929.

gnat. Certo enim constat Michaelem primum septemdecim annis post Martyrium S. Wenceslai in Cathedram Ratisbonensem esse evectum, nempe anno 952. sub Ottonis I. imperio, ut narrat Ditmarus, seriemque gesti, quo pacto sit factus Episcopus, tam ille, quam Chronicon Magdeburgense ad mox dictum annum refert. Ut itaque ea, quæ de amicitia Episcopum inter & S. Wenceslaum ex quadam corrupta traditione scribit Cosmas, procul dubio intelligenda sint seu de Tutone, seu de Isengrino Michaelis Prædecessoribus, cujus utriusque tempore vixit S. Wenceslaus. Verosimillimum etiam est Cosmam ex corrupta ejusmodi traditione hausisse: S. Wenceslaum morte præventum Ecclesiam S. Viti sine consecratione reliquisse. Id enim de Patre Wratislao & Ecclesia S. Georgii accipiendum erat, de quo tam Anonymus Ottonianus, quam Christannus aliique veteres similimis pene Cosmæ verbis: *Morte preventus ejus consecrationem diu desideratam minime perspexit.* Atque si tamen his Cosmæ relatis quæpiam veritas inest, *Michaelque* Episcopus Ratisbonensis ad consecrandam Ecclesiam *evocatus est a Boleslao*, id procul dubio accipiendum erit de consecratione Ecclesiæ SS. Cosmæ & Damiani Boleslaviæ, quam is condidit, & de cujus consecratione nuspiam aliquid proditum habemus.

Ditmarus l. 2. p. 336. Mabillon. Act. SS. Bened. sæc. V. p. 112.

Jam enervato hoc Cosmæ loco ratio tamen & prudentia suadet id Cosmæ concedendum esse, quod veram diem dedicationis *Ecclesiæ* S. Viti posteritati transcripserit. Cum enim ille Decanus hujus Ecclesiæ fuerit, absurdum esset dicere: eum veterem illum diem dedicationis propriæ Ecclesiæ ignorasse, Virum cumprimis historiæ deditissimum: *Decimo*, autem inquit Cosmas, *Kalendas Octobris dedicata S. Viti Eccles.* E quo diei indicio jam ducto computu Ecclesiastico annum dedicat. Ecclesiæ eruere conandum erit. Et quidem more Germaniæ & cumprimis apud nos usitato Ecclesiarum dedicationes haud alio quam Dominico die fieri consuevere, ut itaque dies decimo Kalendas Octobris, quo S. Viti templum consecratum est, eo anno in dominicam indubie inciderit. Jam huic diei seu vigesimæ secundæ diei mensis Septembris alligata est Ecclesiastica litera F, quæ in Dominicam Septembris incidit annis 922. 933. & 939. Anno 922. necdum S. Wenceslaus Ducatum Bohemiæ assecutus est, anno vero 939. jam pridem Martyrio ad superos transierat, igitur non restat, quam ut annum præsentem, seu 933. consecrationi Ecclesiæ Divi Viti defigamus, quo nempe Isengrinus Episcopus Ratisbonensis post insignem illam Henrici ab Hungaris obtentam victoriam, expurgatamque hac clade ab hostibus Bohemiam de-

lecimo Kalendas Octobris Ecclesiam S. Viti verosimillime dedicavit. Quæ huic epochæ obstare videntur, facillimo negotio diluuntur. Et quidem sententiam Cosmæ de Michaele jam supra enervavimus. Quod de Tutone Episcopo Ratisbonensi veteres quique biographi memorant, facile conciliari potest: ii enim notitiam hanc vix aliunde quam ex Anonymo Ottoniano hausere. Istius verba hæc sunt: *Nec mora in-* *Mſ. Bibl. Mec.*
stat impiger factus (S. Wenceslaus) *fervens autem propositi missis Ratispone sedis regie legatariis Tutonem Episcopum tocius probitatis virum supplici rogatu, quo idem opus Deo sacrandum ejus licencia & assensu fieret, implorat. Dato iuxta Beati Ducis vota ab Episcopo permissu, remissisque caritate nunciis artifices ipse celeri jussione convocat, fervet opus, labor impaciens affulget, Ecclesia ad perfecti ornatus extremam manum perducitur, miroque metallorum fulgore devota exornatur. Invitato jam dicto Episcopo in honore sancti Viti Martyris consecratum.* Quo loco posteriora illa verba *invitato dicto Episcopo* non tam ad Tutonem sed generice ad Episcopum Ratisbonensem respicere videntur, ut videlicet Tuto quidem facultatem S. Wenceslao Ecclesiam condendi dederit, sub eoque moles cœpta sit, sed producto demum opere aut Hungarorum incursione præpedito, mortuoque Tutone ejus successor Ratisbonensis Episcopus dedicaverit. Sane & Christannus & is biographus, qui Hizo creditur, lisentiam quidem ad construendam Ecclesiam a Tutone datam clare asseverant, at Ecclesiam ab eo etiam dedicatam fuisse, prætermittunt. Quod vero Tuto Pragensem Ecclesiam non consecraverit, id præcipue argumento est, quod antea ex Arnulfo testatum fecerimus: eum postremis Præsulatus sui annis oculorum lumine orbatum fuisse, qua cæcitate per sex annos pressum passim asseverant historici. Jam is anno 929. a S. Wenceslao ad Translationem corporis Beatæ Aviæ suæ, Ecclesiæque sancti Georgii consecrationem invitatus hanc infirmitatem obtendit, suique loco Coepiscopum misit. Cum autem ex omnibus veteribus certum sit dedicationem Ecclesiæ S. Viti posterius Translatione S. Ludmillæ & templi Divi Georgii consecratione accidisse, haud quidem a Tutone coeco præsturi potuit, qui teste Arnulfo his posterioribus annis remotius a Ratisbona Lunælaci quasi recessus causa solitariam vitam duxit. Hinc recte Carolus IV. in vita sua S. Wences- *Acta SS. ad 28. Sept. in Vita altera n. 6.*
lai inquit: Episcopum Ratisbonensem solum promisisse, quod velit mittere quempiam, non autem ipse venire; verba sunt: *Sed nutu tuo ad ipsum consecrandam libenter mittam.* Cum tamen is medio tempore e vivis sublatus fuerit, ea functio ad successorem Isengrinum devoluta.

Unum præterea Chronologiæ huic obſtare videtur Martyrologium Pragenſe, quod anno primum 935. Eccleſiam Divi Viti condi cœptam innuit. Verba Peſſinæ hæc ſunt: Mſ. Martyrologium vetus Eccleſiæ Prag. ita refert ad IX. Cal. Septemb. *Eodem die allatum eſt brachium S. Viti M. per ſanctiſſimum Wenceslaum M. Ducem Bohem. de Almaz Pragam: ubi mox ipſe B. Wenceslaus fundavit Eccleſiam Prag. in honorem ejusdem S. Viti M. anno ſalutis DCCCCXXXV.* Hoc documentum primas mereretur, cui vel ego utroque pollice ſubſcripſiſſem, niſi me aliud docuiſſet Jordanus, qui hoc ipſum Manuſcriptum Martyrologium vidit, expenditque. Audire libet, quid de loco hoc ſcribat, prolato enim mox laudato Peſſinæ fragmento ſubjungit: *Ita ipſemet ego quoque legi ſcriptum in dicto Martyrologio ad diem IX. Kal. Sept. excepto anno ſalutis, hic enim non eadem, ſed poſteriore manu ſupra verbum* Pragam *adnotatus reperitur. Martyrologium hoc, ut ex omnibus patet, conſcriptum eſt ſub temporibus Caroli quarti.* Et mox infra: *Martyrologium hoc eſt in Archivo Metropolitano Pragenſi inter manuſcriptos Codices ſub lit. C. 5. & ſub Carolo IV. ſcriptum eſt.* Eruditiſſimi Bollandiani (ad rem magis confirmandam) aſſeverant ſe habere apographum hujus Martyrologii ſeu Calendarii ex Bibliotheca Clementina Pragenſi, in quo idem annus deſideretur. Hem! in quo cardo rei verſatur: annus DCCCCXXXV. poſteriore manu appictus; quanquam nec hoc ipſum Caroli IV. ævum, quo Martyrologium ſcriptum eſt, ſatis nobis idoneum videretur ad controverſiam hanc dirimendam. Ego cum in Hiſtoria B. Guntheri non ita pridem a Reverendiſſimo piæ memoriæ Bonaventura Pitter Prælato Rayhradenſi publicata legerem in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi Mſ. Martyrologium Boh. vetuſtius in fol. ſignatum Hiſt. Eccleſ. L exſtare, literis interpellavi Perilluſtrem ac Clariſſimum Equitem Taulow de Roſenthal ſuæ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Conſiliarium & Archivarium (quem ob rerum patriarum apparatum, ſummamque criticam cognitionem merito hiſtoriæ Czechicæ Patrem appellaverim) ut Manuſcriptum hoc explorari faceret, num ſeu de reliquiis, ſeu de brachio S. Viti quidpiam contineret, & num annum translationis commemoraret? Qui præter moram, miſſis excerptis ex hoc Martyrologio (quæque hiſtoriam patriam concernerent) & adjuncta etiam Gentilothi in hoc manuſcriptum olim facta animadverſione, in literis ſuis humaniſſimis doctiſſimisque ad me datis in hæc verba reſpondit: Es iſt alſo von *den Reliquiis S. Viti ad d. XVII. Cal. Julii:* von dem Arm des heiligen *Viti ad IX. Cal. Sept.* von den 5 heiligen Brüdern *ad II.* oder *pridie Id. Novembr.*

Peſſina Rad. 1. p. 5.

Jordan. Orig. Slav. n. 1060.

Hiſt. B. Guntheri p. 67. & 68.

und

und von der *Translatione S. Ludmillæ* nichts darinn zu lesen. Quod Martyrologii tam vetusti sæculo medio XII. scripti silentium magis confirmat sententiam nostram: Annum præsentem dedicatæ S. Viti Ecclesiæ indubitatum videri.

ANNUS 934.

Boleslaum perpetuo rodebat interior quidam vermis, ut quanquam hilarem nonnunquam præseferre vultum videretur, intra tamen angeretur, nec dolorem satis silentio posset premere. Erupit vero aliquando coram servitiis suis in ejusmodi lamenta: „ Doleo, inquit, do- *Boleslai dolor de cæde fratris.*
„ leo præceps consilium, detestor effrenem iram: mater in-
„ felix Drahomira hujusce execrandi facinoris potissimam
„ fert partem. „ Admonitus a nonnullis sibi fidelioribus, Deoque devotis clientibus, ut pro noxa Deo fratrique satisfaceret, verum is alta nonnisi trahebat suspiria, gehennæ quidem pœnas oculis animoque vivacius repræsentans, at verecundia majus apud eum visa habere pondus, quæ se reum sceleris fateri deterrebat. (a) Ergo circumspicienti undique de pœnitentiæ remedio, amicorumque consilia exploranti, nihil magis occurrit salutare, quam Boleslaviensem Ecclesiam instaurare, diversisque ornamentis illustriorem reddere, tum filium Strachiquatem non amplius quin- *Devovet Deo & Ecclesiæ filium Strachiquatem.*
quennem puerum Deo & Ecclesiæ per cucullum devovere, (b) denique Episcopatum cum ampliſſima dote in ditionibus suis instituere. (c) Advocato jam Sudivlado & Krzesobojo proceribus suis a fidelitate magis probatis dat viginti

Mittit eum Ratisbonam. marcas in ſumtus, ut pupulum Strachiquatem Ratisbonam deducant, cui utrique moderatoris ſimul munus impoſuit cum imperio, ſedulam pueri Ducalis curam gererent, eo cumprimis omnem operam intenderent, ut rite latinis literis imbueretur. (*d*) Morem geſſere Proceres omni induſtria Principi promiſſa. Eo autem jam tempore Eccleſiæ Ratisbonenſis Præſul Wolfgangus (qui nuper a Boleslao evocatus Pragenſem Divi Viti Eccleſiam dedicaverat) mortem oppetiit. (*e*) Vir ſanctitatis opinione inter omnes maxime conſpicuus. In ejus locum ſucceſſit Emeramus (*f*) Antiſtes quoque vitæ integerrimæ.

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXXIV.

JOANNIS IX. PAPÆ 4. HENRICI GERM. REG. 16. S. WENCESLAI 10. ISENGRINI *Ep. Rat.* 3.

(*a*) Toties Hagecius Boleslao improperat publicæ pœnitentiæ ſatisfactionem: fortaſſis collimat ad veteres Canones & rigorem diſciplinæ Eccleſiaſticæ illius ævi, quæ graviſſimas pœnas in parricidas decernebat. Libet audire Gregorium Papam in epiſtola ad S. Bonifacium: *De his, qui patrem, vel matrem, vel fratrem, aut ſororem occiderint, dicimus: ut toto ſuæ vitæ tempore corpus Dominicum non ſuſcipiant, niſi in exitu pro viatico. Abſtineant etiam ſe a carnis commeſſatione, & potu vini, donec advixerint. Jejunent ſecunda, quarta & ſexta feria, ut ſic deflentes poſſint diluere commiſſum ſcelus.* Quanquam autem in hiſtoriis proditum non habeamus Boleslaum ejusmodi ſatisfactionem præſtitiſſe, attamen ſcelus agnoviſſe, verecundiam depoſuiſſe cum publico voto filium religioni devovit, cum ſancti fratris ſui imaginem in monetis recepit, teſtatum eſt.

Vita S. Bonifacii ab Othlone ſcripta.

(*b*) Coſmas hoc Boleslai votum ſtatim poſt nativitatem Strachiqua-

quatis adeoque post cædem narrat, quod in quintum hunc annum primo transtulit Hagecius.

(c) Quin imo multa patrocinantur Boleslao: Episcopatum Pragensem ab ipso, non filio fuisse institutum. Sed argumentum hoc pro temporis ratione ad quartam Annalium nostrorum Partem rejicimus, ubi id pro rei gravitate copiosius expendemus. An vero Boleslaus hunc Episcopatum Boleslaviæ instituere voluerit, ut vult Balbinus, penes eum fides esto. *Balbin. Epit. p. 25.*

(d) Unde rursum nomina horum duorum moderatorum hauserit Hagecius, minime exploratum. Non vero hæc ejus narrata conformia sunt relatis veterum, qui de scholarum disciplina, & legibus Ordinis S. Benedicti scripsere. Ipsi enim Monachi Magistri, præceptores, moderatoresque fuere etiam regiorum quorumque filiorum. Nihil vero de his Cosmas, verba illius multum difformia sunt ab Hagecio: *Posthæc*, inquit, *genitor voti non immemor* (Boleslaus) *cum esset* (Strachyquas) *jam puer docibilis, ac multum parentibus amabilis, non ferens pater, ut suis discederet pra oculis, misit eum Ratisbonam tradens sub regulares alas Abbati sancti Emmerami Martyris. Ibi Ecclesiasticis & regularibus sanctionibus est imbutus, ibi monachico habitu indutus, ibi usque ad virile robur est enutritus.* Nullum vero dubium more illi ævo usitato Strachiquatem statim puerili ætate attonsum, cucullosque indutum, nec habitum deserendi amplius habuisse potestatem. Erudita hanc in rem est doctissimi Pagii animadversio: *Viguit*, inquit, *multis seculis hæc monasteriorum praxis, ut pueri seu infantes a parentibus oblati perpetuo adstringerentur monachatui, nec eis liceret hunc vitæ statum ante vel post pubertatis annos repudiare. Hujus praxis exempla non pauca apud Francos cis & ultra Rhenum exstant, & est declaratio Gregorii II. Pontificis ad S. Bonifacium.* Hactenus Pagius. Quo in argumento cum versemur, antiquitatis gratia libet exscribere Divi Lanfranci Episcopi Cantuariensis c. 17. in Decretis pro Ordine S. Benedicti, quo ritum ejusmodi pueros suscipiendi vestiendique explicat, & quo ea plane confirmantur, quæ paulo ante ex Pagio retulimus. *Offerendus puer*, inquit, *facta sibi prius corona, manibus portans hostiam & calicem cum vino, sicut mos est post Evangelium sacerdoti, qui missam celebrat, a parentibus offeratur. Qua oblatione a sacerdote suscepta involvant prædicti parentes manus pueri in palla, qua altare coopertum est, & cujus pars anterius pendet, & tunc suscipiat eum Abbas. Quo facto præfati parentes co-*

Pagius in Critic. Baron. ad An. 726.

Bibliotb. Max. SS. Patr. T. XVIII. p. 801.

rum

ram Deo & ſanctis ejus ſtatim promittant, quod per ſe, aut à ſe ſuppoſitam perſonam, ſuſceptum ordinem puer nunquam derelinquat, neque ſe ei aliquid ſcienter daturos, unde puer, quod abſit, perire poſſit: hanc promiſſionem prius ſcriptam coram teſtibus verbis ibi prius edicant, & poſtea ſuper altare ponant. His expletis benedicat Abbas cucullam, & exuens puerum cappâ vel pellibus, vel aliqua hujusmodi chlamyde dicat: Exuat te dominus &c. *ut ſupra, & induens eum cuculla ſubjungat:* Induat te dominus &c. *Debinc ducatur ad redendum & veſtiendum ſicut noſtri ordinis conſuetudo eſt.*

(*e*) Bis lapſus memoria Hagecius: Nam jam anno 931. Michaelem fecit Epiſcopum Ratisbonenſem, & anno 923. non a Boleslao ſed Wenceslao evocatum dixit S. Wolfgangum ad conſecrandam S. Viti Eccleſiam. Wolfgangus vero primum anno 971. adeoque annis 37. poſterius in ſedem Epiſcopalem Ratisbonenſem eſt evectus.

(*f*) Hunc errorem graviſſime in Hagecio reprehendit *Balbinus*, qui S. Emeramum pluribus ſæculis præmortuum his temporibus adſcri-
Pulkava Mſ. pſerit. At vero condonandus hic error Hagecio, quem ex Pulkava hauſit, is enim ad annum 931. inquit: *Boleslaus ſævus filium ſuum Strachquas Ratisbonam miſit temporibus S. Emerammi liberalibus ſtudiis imbuendum.* Perperam nempe S. Emeramo ipſo pro ejus cœnobio ſumto. Sed ejusmodi hallucinationes non infrequentes ſunt ſcriptoribus ſequiorum ſæculorum, haud alio quidem defectu quam Chronologiæ, quæ animæ hiſtoriæ eſt, prognatæ.

PRÆTERMISSA.

Hungaris ſuperiore anno in Thuringia probe ab Henrico multatis viſum eſt alio temonem vertere, in aliisque gentibus fortunam experiri: In Græcos igitur orientisque Imperium præſente anno arma
In Romano Lacapeno n. 37. verterunt, quod verbis his indicat Anonymus Theophanis Continuator: *Turcorum prima expeditio adverſus Romanos contigit menſe Aprili Indictione VII.* (ideoque hoc anno inquit Pagius) *hi ad urbem usque excurrentes cunctos per Thraciam obvios præda abegerunt. Miſſus itaque Theophanes Patricius Protoveſtiarius, imperiique adminiſter ac Princeps ſenatus, ut cum eis pacem componeret, captivosque reciperet. Porro Theophanes admiranda prudentia & ſagacitate illis uſus, ex voto cuncta confecit.* Henricus itaque ab Hungarorum irruptione ſecurus ad compeſcendos Slavos Ucranos operam
Pagius ad h. a. n. 2.

ram convertit, quod his verbis Continuator Reginonis adnotavit: *Eodem anno* (nempe præmisso DCCCCXXXIV.) *Sclavos, qui Uncrani vocantur, hostiliter invasit, & vicit, sibique tributarios fecit:* Quod ad eundem annum nonnihil corrupte obscureque reddit Schafnaburgensis: *Henricus Rex Wucronin cum exercitu fugat.* Annales autem Hildesheimenses ita emendant: *Henricus Rex in Wocronin* (lege Ucronin) *cum exercitu fuit.* Quemadmodum emendatissime habet Chronicon Quedlinburgense: *Rex Henricus in Ucronin profectus est, subjiciens eos sibi.* Non fuit autem Ucronin seu Ucrania, item Uncrania dicta civitas aliqua, in qua Henricus præsidia habuisset, militemque ad arma assuefecisset, ut nonnemo nuper scripsit, nec fuere Uncrani populi inferioris Carnioliæ hodie nominati Unter-Crainer, ut sensit Schœnleben, sed pagus Slavicus ad fluvium Uccri, Ucram, germanice Uckerfluß in hodierna Pomerania inter fluvios Havelam & Oderam in Ucromarchia, quæ nomen etiam hodie suum retinuit, ut jam alias ex Abbate Gotvicensi ostendimus. Et quanquam Chronographus Saxo aliaque nonnulla Chronica hanc Henrici expeditionem ad sequentem annum rejiciant, alia cum superioris Hungarici bello illigent, tamen tot priorum vetustorum Chronicorum fides præferenda, & persuadet maxime paralysis Henrici, in quam sequente anno jam incidit, tum denique Chronicon Quedlinburgense, quod superiore anno cæsos Hungaros, præsente subjectos Uncranos recte dispescuit.

Schœnleben P. 3. p. 493.

Chron. Gotvic. l. 4. p. 829.

Porro cum Christannus innuat sub cædem S. Wenceslai, quæ annis duobus posterius accidit, jam matrem Drahomiram adfuisse, Annonymus vero Trebonensis tum eam revocatam dicat cum fratris Boleslai odium adversus S. Wenceslaum occiperet, haud incongrue Drahomiræ ab exilio in Bohemiam reductio huic anno illigari poterit, & fortassis Divo Wenceslao, matrem hoc anno revocandi, causa esse potuere exorti motus bellici, quos in eas regiones intulit Henricus, quibus cum ex pietate filiali matrem exulem nollet magis magisque affligi, eam cum honore reduxit. Verba itaque Christanni huc pertinent: *Quoniam timore casto, qui permanet in seculum seculi, plenus erat* (Wenceslaus) *memor preceptorum divinorum, quibus patrem honorare debemus & matrem, eam rursus tempore elapso reduxit; verum honore dominationis pristine caruit usque ad obitus sui diem.*

Mss. Bibl. Trebon.

ANNUS 935.

Boleslaus urbem quandam demoliri jubet.

Boleslaus Dux (quo consilio dicam nescio) coactas multas operas in septentrionem misit cum imperio: urbem quamdam ditionis suæ a Wlastislao imperfectis munitionibus relictam (a) funditus demolirent, barbaris omnibus inque Deorum cultu duratis habitatoribus disjectis profugatisque.

Wlastislavienses cæduntur demolitores.

Wlastislavienses ethnici homines a feritate multum nominati consiliorum istorum conscii facti in quodam vico Drzevenice hodie Trzebenicz (b) dicto demolitores istos operiuntur, inopinos secureque cum suis ligonibus paboni-busque progredientes ex insidiis adoriuntur, quinque supra viginti cæsis, reliquos in fugam præcipites agunt. Quæ cædes cum ad Boleslaum perlata esset, non mediocriter is furere cœpit, misitque trecentos bellatores cum jussu: civium nemini vitam concederent, hocque latronum receptaculum cum nomine ipso delerent. Quorum viribus cum oppidani impares se numero & armis viderent, exhausta noctu supellectili vacuam urbem & inania tecta potentiorum iræ permisere. In quæ sic furor satellitum Boleslai desæviit, ut æquata solo Wratislavia, nunquamque postea resuscitata, ne ex ruinis quidem hodie ostentet, quid olim, & ubi fuerit? (c)

Boleslaus ulciscitur.

Wlastislavia urbs everti-tur.

)o(

AN-

ANNUS JESU CHRISTI DCCCCXXXV.

JOANNIS XI. PAPÆ 5. HENRICI GERM. REG. 17. S. WENCESLAI II. ISENGRINI *Ep. Rat.* 3.

(*a*) Ad hunc locum noſter P. Victorinus: *Erat Wlaſtislavia in agro Bilinenſi urbs non ignobilis, niſi quod conditor illius Wlatislaus Zatecenſis dynaſtes (is qui potiente rerum Neklano tantoopere Wiſſebradenſem domum ſuperioribus annis vexarat) imperfectam a munimentis, incurſionibusque obnoxiam reliquit.* Nos de ſitu memoriisque hujus urbis jam in Neklano egimus. *P. Victorin Mſ.*

(*b*) Imo hodie paſſim *Trebnitz* audit, quibus literis etiam in Tabulis Geographicis excuſum reperitur. Eſt vero oppidum in regione Litomericenſi ſpectans hodie ad Inclytum Parthenonem S. Georgii Ordinis S. Benedicti.

(*c*) Nolim negare in hac Hagecii narratione quasdam ſcintillas patriæ veræque traditionis deliteſcere, intelligendumque eſſe de hac Wlaſtislavia, quod de everſa ignomine urbe ſubreguli narrat Witichindus. Verum iſtud uno anno poſterius jam ſub Ottonis I. imperio accidit, multoque res aliter apud eundem Witichindum narrata reperitur: Nempe ſubregulum quendam Bohemiæ imperiis Saxonum paruiſſe: quod cum Boleslaus ferre nollet, indictum fuiſſe ſubregulo bellum, ſubregulum contra ab Ottone I. contra Boleslaum auxilia impetraſſe, fortunamque faviſſe primum his auxiliis, ut Boleslai exercitum cæderent, ſed mox ille adunato rurſum exercitu, inquit Witichindus: *Super improviſos ac recenti victoria ſecuros irruit, & Ducem cum omni noſtro exercitu delevit. Pergensque* (Boleslaus) *ad urbem ſubreguli primo eum impetu cepit, & usque in hodiernum diem ſolitudinem fecit.* Quam univerſam hiſtoriam verbis Witichindi ad annum ſequentem, quo ſpectat, referemus, atque ex noſtris nonnihil illuſtrabimus. *Witichind l. 2. p. 643.*

PRÆTERMISSA.

I. Tria vetuſta Chronica nempe Quedlinburgenſe, Hildesheimenſe & Schafnaburgenſis præter recentiora nonnulla iisdem pene verbis

bis ad annum præsentem referunt: *Magna synodus fuit in Erpheresfurt.* Quam Continuator Reginonis minus recte ad annum sequentem narrat: *Synodus*, inquit, *apud Erfurd in Thuringia celebratur a complurib⁹ Episcopis.* Verum non est accipienda hæc Erfurdiana synodus pro concilio Episcoporum solum, ut vult Continuator Reginonis, sed pro *placito Regis*, qua significatione hanc vocem creberrime a veteribus accipi monet Carolus Dufresne in suo Glossario. Synodus enim Episcoporum jam celebrata fuit Erfurti anno 932. ut supra ex Baronio ad hunc annum ostendimus, cujus synodi ille quoque quinque canones publicavit. Hoc anno vero Erfurti habitus est magnus conventus Principum utriusque ordinis, in quo Henricus jam jam in infirmitatem graviorem prolapsus cum iisdem de successore Regni deliberavit. Rem narrat author vitæ Mathildis c. 2. §. 8. *Rex Henricus adiit Bathfeltbum, quo sæpissime exercuit venatum. Ibi paucis diebus interpositis languore correptus, vi febrium nimirum laboravit. Sed parumper sedato infirmitatis dolore inde ad Erfordiam iter direxit, ibique cunctos Principes regni convenire præcepit, ut se invicem coadunarent, quem suorum filiorum regale solium possidere eligerent.* Jam cum Hagecius narret in illis ipsis Comitiis, quibus Henricus filium Ottonem successorem Princip bus commendaverat, sanctum Wenceslaum interfuisse, in eodemque consessu Principum accidisse, quod jam anno 923. ex eo copiose retulimus: nempe S. Wenceslao duobus Angelis stipato in Comitia hæc ingredienti Henricum Germaniæ Regem assurrexisse, eique non modo primum locum, sed postea etiam S. Viti brachium dedisse, hinc argumentationem cepere plures scriptores patrii posteriores hanc universam historiam perperam ab Hagecio anno 923. fuisse illigatam, eamque non ad Ratisbonensia quædam Comitia, sed præsentis anni Erfordiæ celebrata spectare. Quin imo ex Dubravio adjecere: hoc ipso in placito S. Wenceslaum ab Henrico fuisse Regem appellatum, omnis annui tributi onere absolutum, aquilamque illi in clypeum datam. Ea in sententia familiam ducit Pessina, ex quo longum esset narrationem eam, quam ex Hagecio & Dubravio compilavit, suisque conjecturis nonnullis amplificavit, exscribere. Verum nuspiam documentum certum suppetit vel interfuisse his Comitiis S. Wenceslaum. Quin cum auctor vitæ Mathildis de hoc Erfordiæ placito celebrato dicat; *Ibique cunctos Principes Regni convenire præcepit*, neque de exteris ullam mentionem faciat aut ipse aut Witichindus aut Ditmarus, qui etiam hujus electionis Ottonianæ meminere, nonnisi violenter & S. Wenceslaus & universa hæc circa eum gesta historia in

Dufresne voce synodus.

Baron. ad An. 932.

Leibnit. T. I. p. 196.

Hagek ad An. 923.

Pessina Rad. I, p. 10. & 11.

hæc

hæc Erfurtiana Comitia intrudetur. Nos præterea jam ad annum 923, indigitavimus: antiquiſſimum biographum Ottonianum, alterum Chriſtannum, nec non duos reliquos in membranaceo Bibliothecæ Metropolitanæ Mſ. Codice exaratos Anonymos vitæ S. Wenceslai ſcriptores, univerſam hanc hiſtoriam ſeu ignoraſſe ſeu prætermiſiſſe, nec antiquiorem hactenus reperiri Dalemilo, qui multo ſtrictius ac nonniſi generatim nullo loci aut Imperatoris Regisve Germaniæ commemorato nomine eam referat. Quæ ipſa mihi haud alia cauſa videtur, quod nulla firma vetuſtatis habita baſi, in tot ſententias poſtea hiſtorici noſtri patrii abierint, ut alii id factum velint in Comitiis Ratisbonenſibus cum Hagecio, alii in Wormatienſibus cum Dubravio, alii in Erfordienſibus cum Peſſina, alii in Aquisgranenſibus cum Balbino, alii anno 923. alii 933. alii 935. 936. aut 937. id accidiſſe contendant. Quarum quidem opinionum quamcumque apprehendas, inter ſacrum & ſaxum te hærere experiaris, quod vel ipſe expertus Balbinus, qui locis omnibus ſecum ipſe pugnat, difficultatesque ſummas obverſari fatetur. Advertit hæc partium ſtudia inter hiſtoricos noſtros doctiſſimus operis Bollandiani Continuator, qui ſingulorum ſententiis recenſitis ſubjungit: *Vides lector, quam variis adjunctis laudati ſcriptores iſta exornent, quantumque laborent, ut eadem ſuo loco, tempori, & Imperatori aut Germaniæ Regi aſſigneut. At miror* (inquit) *Balbinum aliosque ſupradictos de hiſce tam ſollicitos fuiſſe, nec potius curaſſe, ut illam Angelicam viſionem, donationesque S. Wenceslao factas ex aliquo ſaltem monumento ſatis vetuſto comprobarent. Atqui id maxime neceſſarium erat, ut dictis ſuis fidem facerent in re tanta, de qua ſilent alii, quos antiquiores illis eſſe, certo novimus. Nihil de iſta crucis angelorumque viſione, & ceteris eodem ſpectantibus, nihil de S. Viti brachii vel manus donatione, nihil de titulo Regio, immunitateque Bohemiæ, nihil denique de inſignibus aquilæ S. Wenceslao conceſſis, nihil, inquam, de iſtis omnibus commemorant Chriſtannus, auctor Anonymus, qui ſe ſub Ottone II. ſcripſiſſe profitetur, Laurentius Monachus Caſſinenſis, ac aliquot Vitæ aliæ Mſſ. quas velut incertæ ætatis prætereo.* Verum quandoquidem narratio hæc temporum curſu confirmata jam civitatem in hiſtoria patria obtinuiſſe videtur, hic ſeparatis paragraphis inquirendum eſſe cenſeo: 1) an S. Wenceslaus unquam brachio S. Viti ab Henrico donatus ſit? 2) an Rex ab eo aut Ottone appellatus? 3) an aquila illi in clypeum conceſſa? jam de ſingulis. Et quidem *Acta SS. ad 28. Sept. §. 6, n. 108.*

II. Peſſina (qui plerisque hodiernis ſua opinione rem acu tetigiſſe *Peſſina Rad. 1. p. 11.*

ſe videtur) contendit: finito Erfordiæ conventu S. Wenceslaum ab Henrico Mersburgum invitatum, ibidemque oſtenſo theſauro reliquiarum petenti dediſſe brachium S. Viti. Argumento Peſſinæ ſunt 1. Martyrologium vetus Eccleſiæ Pragenæ a nobis ſupra ad an. 933. allatum, quod allationem brachii S. Viti huic ipſi præſenti anno affigit. Alterum argumentum illi eſt Chronicon Halberſtadienſe, & Schafnaburgenſis, in utrisque ait dici: *Henricum tempore meſſis celebraſſe magnam ſynodum in Erphesfurt cum Epiſcopis, & Principibus & Comitibus multis ex Francia, Bavaria, Alemania, Saxonia, Thuringia, Bohemia, Slavia, & Serabia.* Signanter vero aſſeverat Chronicon Halberſtadienſe inter alios præſentes Germanos Principes nominare *Wenceſlaum Bohemiæ & Delmantiæ Ducem ſanctimonia vitæ, & omni virtutum ſplendore illuſtrem, ac Regi ſemper fidelem*: tum in eodem Chronico ſubjici: Regem Henricum finito Erfordiæ conventu eundem Bohemiæ Ducem, & quosdam alios Principes Mersburgum ad regiam ſuam ſedem adduxiſſe, ut ipſis locum prælii & cladis Hungaricæ tum vero pictas tabulas in palatio Merſeburgenſi oſtenderet. Denique ſubdit: laute hos Principes per plures dies habitos, nec niſi magnis excultos muneribus dimiſſos. Quo itaque tempore indubitatum eſſe concludit Peſſina: brachium S. Viti Divo Wenceslao ab Henrico fuiſſe oblatum. Verum in omnibus hiſce tribus monumentis ne minimum quidem Peſſinæ præſidium: nam 1. ante ex Jordano oſtendimus annum DCCCCXXXV. multo poſteriore manu ſuper vocabulo *Pragam* in Pragenſi vetere Martyrologio fuiſſe appoſitum. Quod alterum eſt: nec Chronicon Halberſtadienſe, quod Leibnitius T. II. Scriptorum Brunſuicenſium excudi fecit, nec Schafnaburgenſis eorum omnium habet verbum, quæ Peſſina ex illis recitat. Schafnaburgenſis paucula verba: *Magna ſynodus fuit in Erphesfurt* jam ſupra N. I. attulimus, Chronicon Halberſtadenſe etiam memoriam hujus ſynodi prætermiſit. Ut itaque Peſſina procul dubio falſus videatur ab aliquo alio authore, qui hæc jactanter, ut lectori fucum faceret, referens ad hæc vetuſta Chronica provocavit. Denique neque illud veterum relatis conſentaneum, dum Peſſina dicit: Henricum abſoluto Erfordiæ placito Merſeburgum cum Duce Bohemiæ & quibusdam aliis Principibus conceſſiſſe. Nam auctor vitæ Mathildis diligenter hoc anno itinera Henrici ſerie quadam adnotavit, præſertim ubi is in morbum incidiſſet. Ait vero: *His ita diſpoſitis* (nempe Erfordiæ) *Rex Henricus perrexit ad Memleben ſecum comitantibus paucis: illic iterata eſt ejus infirmitas, & non multo poſt ſequebatur mortis aſperitas.* Verum quanquam de

an-

anno brachii S. Viti a S. Wenceslao allati ob vetuſtorum ſilentium nihil ſtatuere liceat, nihil certum etiam aſſeverare fas ſit, a quonam illud obtinuerit? illud tamen extra dubitationem affirmari poſſe exiſtimem: jam S. Wenceslai tempore Eccleſiam Pragenſem quasdam S. Viti reliquias & os brachii habuiſſe. Ut id credam perſuadent mihi vetuſta quæque documenta, quorum præcipuum eſt Martyrologium ſæculi medii XIII. a Jordano inſpectum & in Archivo Metropolitano inter Mſſ. ſub Lit. G. 7. aſſervatum, in quo hujus brachii allati jam fit mentio. Tum brachii hujus inter hiſtoricos meminit Dalemilus c. 29. ſæculi ordientis XIV. ſcriptor, poſt eum vero non modo omnes Chronographi Bohemiæ ſed & S. Wenceslai biographi: nempe Carolus IV. Joannes de Novo-Foro Epiſcopus Litomiſlienſis & Olomucenſis, denique Anonymus Trebonenſis, ut Dubravium, ut Salium, Matthæumque Archiepiſcopum Pragenſem prætermittam. Magnum rei huic firmamentum accederet ex monetis Boleslaorum Ducum noſtrorum Brzetislaique, in quibus paſſim ſpectatur effigiata manus cum literis fugientibus V. M. quibus initialibus characteribus haud aliud connotari quam verba VITI MANUS non pauci ſentiunt, e quorum numero & ego olim fueram. Verum poſtquam parte IV. Annalium noſtrorum typos horum numorum excuſos protulerimus, invictis prope argumentis oſtendemus: has manus e nubibus prominentes pro ævi illius more præſentiam & Divini numinis protectionem indigitaſſe, quemadmodum & adjectas literas nihil aliud eſſe quam Græcum A & Ω Alpha & Omega tanquam proprium ſolius Dei attributum. Ceterum hæ S. Viti reliquiæ hoc ipſo annorum curriculo quaqua demum occaſione ad Eccleſiam Pragenſem pervenire, aut ipſi Divo Wenceslao offerri potuere, nec prorſus incredibile S. Wenceslaum hoc munus ab Henrico ipſo Germaniæ Rege quoquo demum tempore accepiſſe, tum quod conſtet arctam inter utrumque coaluiſſe amicitiam, tum quod Henricus a Corbejenſibus in teſtimonium gratitudinis has ipſas S. Viti reliquias dono accipere potuerit. Nam narrant ipſæ Membranæ Corbejenſes a Mabillonio de Translatione S. Viti relatæ: *Henricus Imperator Pius cum uxore Mathilde dedit impenſas auri & gemmarum ad fabrefaciendum altare S. Viti.* In cujus beneficii vicem, præſertim cum Henricus tantus S. Viti cultor eſſet, non incredibile aliquas reliquias, hocque ipſum brachium a Monachis Corbejenſibus fuiſſe oblatum. Nec velim quis exiſtimet nos id de integro S. Viti brachio ſentire ſed de oſſe brachii. Nam ſecus admittendum foret S. Vitum plura habuiſſe brachia, cum

Jordan. Orig. Slav. n. 1060. in notis.

Acta SS. Bened. ſec. IV. P. I.

tria

tria quatuorve hic atque illic in diverſis Eccleſiis ſervata cultaque inveniam. Nec vero Corbejenſes Monachos in diſtribuendis S. Viti Lipſanis tam ſcrupuloſos parcosque fuiſſe perſuadent tot altarium conſecrationes in veterum chartis ſuperſtites, in quibus non uno loco mentio fit reliquiarum S. Viti, quæ ſimul cum aliorum ſanctorum Lipſanis recenter conſecratis altaribus imponebantur. Atque ut vel unum exemplum obiter proferam: teſte Chronico Saxonico jam anno 859. Halberſtadenſis Eccleſia S. Viti reliquias habuit, quas Hildegrinus Junior Halberſtadenſis Epiſcopus ſummæ aræ incluſit. Si cui autem minus probabile videtur munere hoc ab Henrico ipſo S. Wenceslaum donatum: An Monachi ipſi Corbejenſes has reliquias in Bohemiam adferre Divoque Wenceslao ob noviter huic ſancto conditam baſilicam offerre non potuerunt? præſertim cum conſtet Monachos Ordinis S. Benedicti tum ſe inſinuaſſe in Boemiam, & ipſum S. Wenceslaum animo agitaſſe Ordinis hujus cucullum ſuſcipere? Profecto Chriſtannus non obſcure innuit hoc pacto plura ſanctorum Lipſana D. Wenceslai *tempore* in Bohemiam fuiſſe illata, ſic enim ille: *Velut apes ad alvearia haud ſecus ſacerdotes, levitæ, plurimique famuli Dei confluunt Bavariorum, Sucvorum, aliarumque provinciarum locis reliquiis cum Sanctorum - - - - quas cunctis honore cum ingenti ſuſcipiens* (Wenceslaus) *animoque gratanti amplectens, obſecundabatur, ut decebat, tribuens abunde auri vel argenti copiam.* Quid ſi denique has reliquias miſit Ratisbonenſis Epiſcopus? nam de eo ſcribit Coſmas: *Sæpe mittens ei* (Wenceslao) *ſua donaria, quibus maxime ille in tempore indigebat nova Eccleſia Chriſti.* Quæ idcirco hic locupletius pertractavimus, ut reliquiarum S. Viti antiquitatem vindicaremus. Sed a reliquiis transeundum ad *Regis* titulum.

Idem ibid.

Coſmas l. 1. ad an. 929.

III. De Regis titulo & dignitate S. Wenceslao ab Henrico aliove Imperatore aut Rege Germaniæ conceſſo altum apud veteres ſilentium. Primus omnium id ſubobſcure atque generatim innuit Kranzius ita ſcribens: *In Wandalia noſtra oſtendimus Ducem Bohemiæ per unum ex Ottonibus Regem ſublimatum.* Et alibi: *Tertius Henricus coronam reddidit contemporaneo Regi Wratislao, ante quidem a patribus ſæpe promeritam, & acceptam, ſed a ſequentibus non dignatam accipere.* Quibus ſimillima ex eodem Kranzio refert Vadianus. Quæ cum veroſimillime in alterutro legeret Dubravius, generatim illorum dicta S. Wenceslao accommodavit, minimeque dubitavit confidenter aſſerere S. Wenceslaum in Comitiis Wormatienſibus ab Ottone I. Regem eſſe appellatum, in quibus Ot-

Kranzius l. 4. Saxon. c. 28. Idem l. 6. Wandal. c. 6.

Vadian. l. 1. p. 19.

Dubrav. l. 5.

(o-

tonem ita loquentem inducit: *Dona Cæsare digna a nobis accipe, Regium inprimis decus, quo te ex dignitate tua merito decoramus, deinde tributo absolvimus, quod Carolus quondam solvendum Cæsaribus instituerat.* Dubravium, ut fit, sequuti posteriores pene omnes: Pontanus, Goldastus, Balbinus, Pessina, Crugerius, Stredovskius, Tanner, Hammerschmid, Jordanus, Pater noster Victorinus, aliique. Id tamen passim asseverant: S. Wenceslaum humilitatis obtentu neque diadema Regium accepisse, neque se Regem scripsisse. Glafeysius argumento hoc in utramque partem disputato in eam tandem abit sententiam: verosimillimum esse: quod tempore S. Wenceslai aliquid circa collationem regii tituli actitatum fuerit, negotium tamen quocunque casu ad executionem non pertigisse, cum scriptores ejusce & paulo posterioris ætatis rei hujus memoriam non faciant. Si vero Glafeysius authoritatem veterum necessariam credidit ad executionem seu ipsius tituli Regii usurpationem, cur non, obsecro, ad ipsius quoque, si ita appellare libet, causæ actitationem? Ubinam vetus documentum aliquod legit Glafeysius S. Wenceslai tempore aliquid circa Regium titulum actitatum fuisse? Novi ego Ducatum S. Wenceslai nonnisi in Henrici Regis Germaniæ, annumque primum Ottonis I. quo ille haud quid amplius, quam Rex Germaniæ erat, incidisse; Jam quæro: illine jus & potestatem habuerint reges creandi, titulumque, quem ipsi gesserant, cum aliis communicandi? Quare si S. Wenceslaus titulum & regium diadema tamen gessisset, non essent repetenda ab Henrico aut Ottone, sed a facto suo proprio, quod is titulum Regis proprio ausu assumsisset, talemque a suis se agnosci velle declarasset. Verum alia omnia his adversa persuadent vetusta quæque, quæ supersunt, monumenta. Adsunt mihi ad manus sigilla Ducum nostrorum nonnisi uno sæculo posteriora, quæ in Contrasigillo imaginem S. Wenceslai repræsentant, ubi is solio insidens nudo capite sine ullius coronæ diadematisve signo spectatur, & quorum epigraphe verbis expressis eum nonnisi Ducem declarat: sic enim habet: SANCTUS WENCEZLAUS BOEMORUM DUX. In monetis quoque nudo passim capite limbo circumcinctus cum eadem epigraphe jam hoc ipso sæculo X. visitur. Veteres, quæ supersunt, imagines, nonnisi ducali pileolo redimitum exhibent, uti videre licet ex simulacro, quod ex Mſ. picturato hac Parte Annalium proferimus, & ex Romana icone, quam Doctissimi Bollandiani ad 28. Septembris excusam dedere. Nec vero ab ipsis Regibus nostris S. Wenceslaus unquam (ut omnes scriptores nostros veteres prætermittam)

Pragmatische Geschichte c. 2. *Thes.* 2.

tam) Rex fuit agnitus, aut in computum Regum Boemiæ venit. Wenceslaus II. Rex Boemiæ in *Jure suo Montium* Mſ. aliisque pluribus diplomatibus ſe ſcribit: *Sextum Regem Boemorum:* quo numero plane oſtendit ſe S. Wenceslaum in cenſum Regum non aſſumſiſſe, ſecus enim ſe *ſeptimum Regem Boemorum* ſcribére conveniſſet. *Primus* enim Rex erat Wratislaus. *Secundus* Wladislaus. *Tertius* Primislaus I. *Quartus* Wenceslaus I. *Quintus* Primislaus II. *Sextus* tandem ſupra nominatus Wenceslaus II. Ut tamen hujus opinionis de titulo Regio S. Wenceslao conceſſo aliquod principium adferamus: non aliunde id profluxit quam ex Witichindi verbis, qui non modo S. Wenceslaum ſed etiam fratrem Bolcslaum *Regis* nomine impertit, quo eodem titulo Boleslaus a Frodoardo donatur. Non dubitandum vero titulum hunc ea de cauſa utrique datum, quod noſſent hi authores S. Wenceslai & Boleslai ævo adhuc plures fuiſſe Duces in Boemia vaſallos clientesque Wenceslai atque Boleslai, quos cum illi noſſent nomen *Ducis* quoque gerere, ut Pragenſem horumque Ducum caput ceteris *eminentiorem* oſtenderent, *Regem* appellarunt. Quo vocabulo haud aliud indigitare voluerunt, quam id ipſum, dum Continuator Annalium Francofuldenſium hos ipſos Pragenſes Duces *Ducum Primores* appellat. Ea ipſa ex ratione etiam veroſimillime Witichindus Henrico Germaniæ Regi *Imperatoris* titulum tribuit, ut Wenceslao honore atque dignitate eminentiorem fuiſſe indigitaret. Nolim igitur cum Schminkio dicere Witichindum Frodoardumque *ceſpitaſſe*, cum prudentes ſcientesque haud ſine ratione id feciſſe videantur. Ceterum his plane aſſentior, quæ idem Schminkius adverſus condonationem annui tributi (quæ cum dato regio titulo acciderit) argumentatur: *Tributarium*, inquit, *factum Wenceslaum ab Henrico Aucupe omnes veteres teſtantur hiſtorici: at illud remiſſum ad unum omnes tacent. Contra hos nihil valet autoritas Dubravii; ejus enim fides in rebus antiquis tanti penes me non eſt, quanquam cum & alii Bohemi ſcriptores ſequantur, quemadmodum Balbinus l. 1. Epit. c. 7.* In iis porro piget fatigare calamum, quæ de tradita (ſalvis tamen ejus juribus) Moravia, eidemque S. Wenceslao ab Henrico Aucupe conceſſa prolixe perſequitur Stredovskius, quæ ſi legere cuipiam animus eſt, ejus libri quinti caput quartum ad hunc annum accedat.

Frodoard. in Chron. ad An. 950.

Annal. Fuld. ad An. 895.

In Goldaſtum l. 3. c. 10. p. 430.

Ibid. l. 2. c. 3.

IV. Reſtat jam de aquila, quæ S. Wenceslao in clypeum data aſſeveratur, diſſerere: Argumentum iſtud me latius criticeque expenſurum jam Parte II. Annalium Hagecianorum p. 162. lectori recepi.

Aquil-

Aquilæ hujus mentionem in nemine Dubravio ſcriptore ſæculi medii XVI. vetuſtiore hactenus deprehendi. Sic vero ille poſt ea, quæ ſuperius ex illo narrata ſunt: *Juſſit* (Otto) *poſtremo & inſignia ſua Wenceslaum ferre fuſcam aquilam in clypeo candido.* Quod poſt Dubravium certatim omnes noſtri, ac plerique exterorum amplexati. Balbinus hoc de clypeo locupletiſſimam adornavit diſſertationem, hæretque ubivis num tres fluvios, num aquilam primum Ducatui Bohemiæ inſigne concedere debeat? Opinionem de tribus fluviis prolixe Parte II. p. 161. & ſeqq. refutavimus. At majus pondus non habent quæque demum a noſtris pro aquila adſtruuntur: cum certum indubitatumque ſit ejusmodi clypeorum Provincialium, hereditariorum, ſtabiliumque rationem adhuc illi ætati fuiſſe incognitam. At vero paſſim noſtri contendunt hanc aquilam S. Wenceslao in vexillo fuiſſe ab Imperatore conceſſam, hinc hodie etiam vulgo a pictoribus vexillum aquila nigra inſigniri. Argumento illis eſt, quod vetuſti quique authores in feudo-vexillis ab Imperatoribus concedi ſolitis plerumque adſtruant aquilas pictas textasve comparuiſſe, quemadmodum id verbis expreſſis teſtatur Saxo Grammaticus: *Fridericus Barbaroſſa Boguslavum & Caſimirum datis ſolemniter aquilis, Duces Slaviæ* (id eſt Pomeraniæ) *appellavit.* Sed præterquam Fridericus Barbaroſſa ad ſæculum XII. pertineat, jam ad annum 928. copioſe oſtendimus falſos quosque noſtros, qui vexillum, quod etiam antiquitus in dextram S. Wenceslai manum datum eſt, verum vexillum, bannerium, aut feudo-vexillum eſſe; ibidemque probavimus nihil aliud eſſe quam temporibus illis uſitatam lanceam cum flammulo, ſeu haſtam faſciatam, quæ omnibus certis ſtabilibusque ſignis carebat, inde autem nomen *flammuli* indepta eſt, quod ex rubeo ſerico ignei & coruſcantis coloris faſcia eſſet confecta, quæ haſtæ appendebatur. In hac denique faſcia, quæ ex haſta S. Wenceslai dependet, nuspiam comparet aquila aut alterius clypei ſignum, quemadmodum id ex Contraſigillis Ducum noſtrorum ad oculum exhibere licet. Ornatus cauſa ductus quidam decuſſati, clatri, cratiumque inſtar punctis mediis in hoc flammulo ſeu faſcia ſpectantur, quod uniformiter in omnibus Ducum noſtrorum ſigillis a Boleslao Pio ordiendo usque ad Ottocarum II. obſervatur, quem primum deprehendo in faſciam leonem aſſumſiſſe. Quam normam poſtea ſervavit Wenceslaus uterque, dum demum Joannes Rex, penitus depoſita hac lancea faſciata, in dextram nudum vagina mucronem aſſumſit, quod etiam ſervavit filius ejus Carolus poſtea Romanorum Imperator factus. Simili-

Dubrav. l. 5.

Balbin. l. 1. c. 7. p. 30.

Saxo Grammat. l. 15. hiſt. Dan.

Carolus Du-freſne in Gloſſ. voce Auriflamma.

liter in Contrasigillis istis clypei omnes, quos manu sinistra gerit S. Wenceslaus, omnibus prorsus signis, insigniisque carent. Primum omnium deprehendo Ottocarum I. in Contrasigillo suo S. Wenceslai clypeo aquilam unicipitem inseruisse, ut sigillum illius diplomati anno 1194. dato appensum in Archivo Melitensium id exhibet. Nec audiendus Berghauerus, qui eam aquilam jam sigillo Sobieslai Ducis tribuit, a quo eam abesse suo loco ostendemus. Quam ob causam autem id primus fecerit Ottocarus? num id ejus jussu factum? an sculptor injussus suoque arbitrio fecerit, quis certum statuat? Si conjecturæ locus concedendus, fortassis inde ortum suum habet: quod testentur quique scriptores nonnunquam Aquilam albam cum aureo capite prodigiose super vexillo S. Wenceslai visam in præliis, quemadmodum id adhuc sub Ottocaro II. factum fuisse testatur Pulkava sub eam cladem, qua Hungaros attrivit. Id certum: post Przimislai istius Ottocari I. tempora nec ante opinionem illam inoleviſſe: *Aquilam* seu S. Wenceslai, seu ipsiusmet Ducatus Bohemiæ prima insignia fuisse. *Post* centum & quinquaginta annos hæc opinio jam tantum confirmata fuit, ut Joannes Rex Bohemiæ publico diplomate non dubitaverit aquilam pro armis seu clypeo S. Wenceslai agnoscere. Nam Ughellius Italiæ sacræ Tomo V. producto Joannis Instrumento de anno 1339. testatum facit: Joannem Regem Boemiæ Nicolao Tridentino Episcopo Capituloque *Aquilam* tanquam *Arma S. Wenceslai Martyris ejusdem regni nostri Patroni glorioſi nunc vacantia* concessisse. Quanquam de forma, & colore aquilæ campique nunquam unanimiter conventum fuerit: aliis nigram, aliis fuscam, aliis plane albam aquilam statuentibus; aliis rursum campum candidum, aliis rubrum, aliis denique flammeum prætendentibus. Cum porro authores hi originem hujus aquilæ ignorarent, in diversissimas abiere sententias, aliud atque aliud ei principium meris conjecturis, ne dicam somniis, exquirentes. Dalemilus, ut in rebus ejusmodi argumentosus, & conjecturis quibusque facilis, primus omnium conniſus est hujus aquilæ originem investigare atque ad posteritatem transcribere. Non ille aquilam quidem ad S. Wenceslai tempora, sed sæculo uno posterius ad Brzetislai Ducis nostri imperium pertinere docet, quam originis narrationem tot aspergit fabulis, tot vitiat Chronologicis erroribus, ut suo se indicio forex prodat, & luculenter merum commentum esse ostendat. Narrat igitur ob raptam Juditham (quam perperam Ottonis Imperatoris filiam facit) bellum Brzetislaum inter & Ottonem Imperatorem *Album* nomine, ut ille inquit,

Bergbauer. c. 1. p. 17.

Pulkavæ Mſ.

quit, fuiſſe exortum: Poſtquam autem Cæſar placatus eique conciliatus fuiſſet, ſubjungit:

Tehdy da Czieſarz za wieno zieti ſwemu
Brzeczyſlawowi udatnemu:
Rzka, kdyz Czieſarz k dworu pozowe tebe,
Puſt ohen za mily okolo ſebe.
To (wiecz) Zniezata Czeſka za prawo wzechu,
A proto Orliczy w plamenem ſtrietie noſiechu.
Id eſt:
Igitur Cæſar in dotem dat genero ſuo
Brzetislao ſtrenuo.
Dicens: ſi te Cæſar ad curium invitaverit,
Mitte ignem per milliare circum te.
Hanc rem Duces Bohemiæ inſtar juris acceperunt,
Propterea aquilam in flammeo campo geſſerunt.

Quæ verosimillime conjectura ex Brzetislai hujus numo deprompſit Dalemilus, in quo ſtans quædam volucris tribus pennis capiti inſertis comparet. A Dalemilo rem emutuâvit Pulkava, qui tamen ea, quæ de uno milliario dicit Dalemilus, ad tria milliaria extendit. Verba Pulkavæ ſunt: *Quod dum Duces Boemiæ & peſſeros ſuos Curium Imperatoris accedere contingeret, & ad tria milliaria in vicino venirent, terras imperii per incendium ſub ejusdem imperii diſpendio licite damnificare valerent. Et quod ad perpetuam hujus rei memoriam pro armis Ducalibus Boemiæ aquilam Imperialem in campo albo per pennas flammis diſtincto deferrent.* Verum crebrius legimus Duces noſtros in Curiis Imperatorum comparuiſſe, nec tamen ſeu domeſticorum ſeu exterorum (qui id certo narrare non intermiſiſſent) aliquis teſtatum reliquit ſimile quidpiam a Ducibus noſtris in Germania fuiſſe attentatum. Ego hanc præterea Dalemili conjecturam ex veteri Slavorum conſuetudine ortam ſuſpicor, quod ii excitato majore igne crebro tanquam ſigno uſi ſint ſeu ad ſignificandam amicis fœderatisque ſuis præſentiam, ſeu quandoque ad diſperſum ſuum per cohortes exercitum congregandi. Quale ſignum & ipſis Hungaris in uſu fuiſſe ſuperiore anno ex Witichindo legimus. Sane Anonymus, quem laudat Balbinus, ſolum *ingentis flammæ*, non item locorum incendio devaſtatorum mentionem facit ſæculo XIV. pene exeunte ſub Carolo IV. quo iſtius flammæ uſus adhuc obtinuit. Sic vero ille apud Balbinum: *Pulkavæ Mſ.*

Balbin. Epit. l. 1. c. 7. p. 30. *Anno* 1370. *Wenceslaus Rex Boemiæ adhuc novennis secutus est patrem ad Comitia Norimbergam, & suum adventum significavit per ingentem flammam. Id enim solemne habebant Reges Bohemiæ, cum ad Aulam Cæsaris venirent. Id etiam fiebat ob insignia aquilæ nigræ in flamma stantis in albo campo, quod in clypeo Ducis Bohemiæ ferebant olim.* Vides hic lector, quantum in opinione hac clypei varient authores noſtri, cum enim Dalemilus dixiſſet ideo a Ducibus Boemiæ aſſumtam aquilam in flammeo campo, ut per eam ſignificarent jus ſibi ab Ottone conceſſum: quo ad Curiam Imperatoris venientes per milliare ignem circumferre poſſent, hic contra author dicit, ideo a Wenceslao ingentem flammam excitatam, ut nigræ aquilæ in flamma ſtantis memoriam referret. Scilicet author hic poſterior flammam ingentem a Wenceslao anno 1370. excitatam ſeu tanquam auritus ſeu plane oculatus teſtis ad poſteritatem ſincere tranſcripſit, notitiam vero illam de aquila in flamma ſtante ex Dalemili aut Pulkavæ conjecturis hauſit, quæ nobis plane fidem non faciunt narrationem citra hæſitationem dubiumque recipi poſſe.

Sed fortaſſe hujus tuendæ traditionis ergo dicet aliquis: in *vexillo* illo *Magno* ſeu proprie dicto *Vexillo S. Wenceslai* procul dubio effigiatam fuiſſe *aquilæ* imaginem, quæ propterea *arma S. Wenceslai* appellata, & poſtea a ceteris Ducibus pro inſigni acceptata ſit: Scio ex hiſtoriis noſtris vexillum quodpiam, quo S. Wenceslaus vivens, legionesque adverſus hoſtem educturus utebatur, poſt cædem illius duplici titulo inter reliquias illius fuiſſe aſſervatum cultumque, tum quod ipſe eo uſus fuiſſet, tum quod S. Ludmilla avia manu ſua id vexillum confeciſſet. Scio *vexillum* iſtud *Magnum*, & *vexillum S. Wenceslai* paſſim appellari ſolitum, ſcio id pia quadam fiducia toties legionibus noſtris poſterius prælatum, quoties adverſus hoſtes expeditio fiebat. Non me fugit id adhuc ſub Ottocaro II. a Jaroſſio Burggravio caſtri Pragenſis adverſus Hungaros in aciem productum fuiſſe, ut præter Pulkavam narrat Anonymus apud Menkenium. Imo ſcio vexillum hoc adhuc anno 1368. ſuperſtes fuiſſe, quandoquidem Wratiwogius Decanus Metropolitanus id recenſet in ſuo Inventario ſupellectilis ſacræ & reliquiarum Metropolitanæ Eccleſiæ his verbis: *Vexillum magnum, quod fecit B. Ludmilla.* At quanquam creberrime vexilli iſtius per diverſa ſæcula fiat mentio, nuſpiam tamen proditum invenio id aquilæ effigie inſignitum fuiſſe. Quin ſi concedamus etiam in hoc vexillo aquilam effigiatam fuiſſe: an propterea hæc arma Divi Wenceslai fuiſſe *tuto* dicere licebit? Quis neſcit in vexillis legionum etiam primariis arbi-

Menken. T. III. p. 1728.

Peſſina Rad. 4. p. 473.

tra-

traria fuiſſe ſigna eo ipſo, quo S. Wenceslaus vixit, tempore? Quid de primario Henrici Aucupis vexillo loquitur Witichindus? *His optimis verbis*, inquit, *erecti milites, Imperatoremque* (Henricum) *in primis, mediis, & ultimis verſantem videntes, eorumque eo Angelum (hoc enim vocabulo effigieque ſignum maximum erat inſignitum) acceperunt fiduciam, magnamque conſtantiam.* An igitur *Angelus* inſigne aut clypeus fuit Regum Germaniæ? Nemo id certe affirmaverit. Quare ſi e tenebris etiam monumentum quodpiam erueretur, quod S. Wenceslaum ſeu in ſua faſciata haſta ſeu vexillo magno aquilam præſetuliſſe proderet, aquila hæc nonniſi pro ſigno arbitrario habenda eſſet, quemadmodum etiam olim Romani inſignis annulorum ſuorum pro arbitrio variavere.

Porro ut ut poſt Ottocari II. tempora opinio illa de armis S. Wenceslai invaluit, tamen vetuſtas liberum ſibi credidit ſeu vexillum clypeumque S. Wenceslai omnibus inſignibus vacuum præſentare, ſeu in alterutrum jam aquilam, jam leonem indere, jam etiam aquilas geminare & quæque nobilitatis arma inſerere. Quod ne fingere videamur, exemplis quibusdam teſtatum facere libet: Et quidem tam vexillum quam ſcutum omnibus armis vacuum apparet in illa S. Wenceslai effigie, quam hac Parte ex veteri Mſ. Picturato excudi fecimus. Tam in clypeo quam vexillo aquilam videre eſt in ſigillo Adminiſtratorum Archiepiſcopatus Pragenſis de anno 1364. in ſigillo Judicii terreſtris Boh. de anno 1508. in ſigillo Univerſitatis Pragenæ ſæculo XV. & XVI. in icone Obſequiali ſeu Benedictionali vulgo Agendæ Eccleſiæ Pragenæ præmiſſa & Norimbergæ anno 1496. cum ſimulacro adſtantis Wladislai Regis filiique Ludovici excuſa. Quam geminam aquilam etiam paſſim ſpectare licet in auratis tabulis S. Wenceslai effigiem referentibus, quanquam & aliæ ſint, ut ea Neo-Pragæ ad ΛΛ. RR. PP. Ordinis S. Auguſtini diſcalceatos, in quibus haſtam ejus ſine omni flammula aut faſcia ſpectare licet. Nudo clypeo ſolam aquilam videre eſt in faſcia in altari Romano, cujus iconem excuſam dedere Bollandiani. Contra nudo vexillo ſcutum S. Wenceslai aquila inſignitum ſpectatur in ſigillo Decani Olomucenſis de anno 1369. in ſigillo Vicariatus Archiepiſcopatus Pragenſis de annis 1359. & 1389. in ſigillo Officiolatus Curiæ Archiepiſcopalis Pragenſis de annis 1345. & 1390. in ſigillo Joannis Epiſcopi Olomuc. de anno 1353. in ſigillo Eccleſiæ Pragenſis de anno 1355. in ſigillo Conſiſtorii Collegii Caroli IV. pluribusque aliis. Rurſum aliis placuit aquilam vexillo, contra leonem ſcuto S. Wenceslai apponere: ea norma ipſe Carolus IV. S. Wenceslaum

peſſina Rad. 7. P. 716. laum in tumba effingi fecit, ut refert Peſſina ex veteri Mſ. deſcriptione tumbæ S. Wenceslai his verbis: *Deſuper vero imago S. Wenceslai habens in manu dextera lanceam cum vexillo habente aquilam, in ſiniſtra vero clypeum cum leone de perlis facto.* Alii nudo vexillo in clypeum ſolum indidere leonem: uti id ſigilla majoris Civitatis Pragenſis & Magiſtri Vinearum Pragenſium ſæculo XVI. & XVII. exhibent. Sigillum Cœleſtinorum monaſterii S. Spiritus in Owin, quod non longe Zuittavia fundavit Carolus IV. repræſentat S. Wenceslaum in clypeo caput leonis ferentem, ut Carpzovius id excuſum propoſuit. Sigillum Vicariatus Ecclefiæ Pragenſis de anno 1459. in clypeo S. Wenceslai refert quasdam arbores verosimillime gentilitia arma ejusce temporis Decani. Berghauerus meminit in pago Proſanka in Capellæ majori ara perveterem exſtare S. Wenceslai imaginem, in cujus ſcuto rubro tres albæ ſeu argenteæ lineæ ſpectentur. Sic jam Parte II. innui a me ipſo ad Budvicium S. Wenceslai ſimulacrum viſum, quod in clypeo roſam præferat. Quæ idcirco hic copioſe attulimus, ut appareat *antiquitatem* plane non fuiſſe ſcrupuloſam in definiendis S. Wenceslai armis, procul dubio quod quique perſpexerint in ſimilibus quandoque magis ſtatuariorum, ſculptorum, pictorumque genium, arbitrium, & artem, quam veritatem & antiquitatem hiſtoricam quærendam eſſe. Quibus ſtabilitis jam evaneſcit ſeu ab Henrico ſeu Ottone S. Wenceslao aquilam in clypeum conceſſam eſſe: Quid vero ejusmodi inſignia ab Imperatoribus aut Germaniæ Regibus ſeu petere ſeu accipere opus fuit? quaſi vero Ducibus noſtris integrum non fuiſſet & ſibi & Ducatui ſuo ſigna quæcunque clypeorum deligere? Nec enim illa Friderici Barbaroſſæ leonis bicaudati conceſſio, aut tot nobilitati noſtræ in bello Mediolanenſi data gentilitia arma, quæ narrat Hagecius, locum merentur in hiſtoria, quæ ad oluſcullariarum fora condemnanda ſunt, indigniſſima veris faſtis patriis, ut ſuo loco oſtendemus.

Ehren-Tempel P. 1. p. 84 n. 47

Berghauer. c. 1 p. 17.

V. Ad hunc annum Continuator Reginonis inquit: *Henricus Rex paralyſi percutitur.* Copioſius rem narrat author vitæ Mathildis: *Poſt hæc* (nempe poſt deliberationem de monaſterio in Quedlinburg condendo) *Rex Henricus adiit Bathfelthum, quo ſæpiſſime exercuit venatum. Ibi paucis diebus interpoſitis languore correptus vi febrium nimirum laboravit, ſed parumper ſedato infirmitatis dolore inde ad Erfordiam iter direxit, ibique cunctos Principes Regni convenire præcepit, ut ſe invicem coadunarent, quem ſuorum filiorum regale ſolium poſſidere eligerent - - - - His ita diſpoſitis Rex Hen-*

Author. vitæ Mathild. c. 2. §. 8.

Henricus perrexit ad Memleben secum comitantibus paucis illic iterata est ejus infirmitas. In his autem Erfordiensibus Comitiis, quorum §. I. jam copiose meminimus, consentiente populo designatus Otto filius Henrico successor, quod Witichindus his verbis testatur: *Cumque* (Henricus) *se jam gravari morbo sensisset, convocato omni populo designavit filium suum Oddonem regem, ceteris quoque filiis prædia cum thesauris distribuens: ipsum vero Oddonem, qui maximus & optimus fuit fratribus, & omni Francorum imperio præfecit.* Witichind l. 2. p. 642. Inter hæc vero Hungari teste Frodoardo irruptionem in Burgundiam & Italiam faciunt: *Hungari:* inquit, *per Burgundiam diffunduntur, prædisque, incendiis, ac cædibus, non tamen diu debacchati. Comperto Rodulfi regis adventu in Italiam transmeant.* Frodoard. in Chron. ad h. a. Verosimillime Arnoldo Bavariæ & Carentanorum Duci fœderato suo, qui hoc anno collectis copiis in Italiam contra Hugonem expeditionem suscepperat, suppetias laturi. Luitprand. l. 3. Verum cum Arnoldus ibidem cæsus, & Ungari etiam a Marsis & Pelignis non modica clade affecti fuissent, in sua redere. Leo Ostiensis l. 1. c. 58.

ANNUS 936.

Gens Hungarorum pacis & quietis inimica in planis Budæ campis militem quatuor supra viginti millium coegit. Ei delectæ manui duo præfecti belliduces Lelus alter nomine alter Bulchus. His ducibus in terras Bojoariorum effusus hostilis exercitus ad Augustam Vindelicorum longe lateque calamitatem circumtulit; nec ætati nec sexui parcens. *Hungari in Bajoariam effunduntur.* Abinde tyrannica magis quam victricia arma in Burgundiam usque atque Gallias intulit. (a) Ex Galliis pedem referens Argentoratum obsedit. Hanc terrarum perniciem cum Erhardus Lotharingiæ & Bertholdus Brabantiæ Dux æquis ultra non possent ferre oculis, collectis tumultuarie copiis inopinatos oppressere Hungaros, multis eorum Charonti submissis, aliis captis inque vincula conjec-

Cæduntur. tis. (b) Nec fatum iſtud præcipuos Duces Lèlum atque Bulchum pertranſiit: nam uterque ad Argentoratum furcæ innexus præfracta gula ignobilem mortem ſubiit. (c) Tempore haud magno elapſo etiam captivos omnes novis ad id paratis patibulis ſeu quercubus exquiſitis ſuſpendere placuit. Septem eorum vitæ quidem, ſed majori ſervati pœnæ; nam præciſis auribus remiſſi in Hungariam cum mandato: populares exemplo ſuo commonefacerent, quam periculoſum eſſet terris illis vim inferre. Quodſi vero nihilominus ad id audendum illos cœca cupido incenderet, ſcirent: ad Argentoratum capaces tantæ multitudini furcas paratum iri. Ungari a mutilatis his fratribus minarum Germanicarum certiores facti magis magisque iracundia inflammati ſunt, comprehenſosque hos ſeptem die ſubſequo in crucem egerunt cum dicto; Quoniam nuncium minime gratum adferre vobis libuit, nihilo gratius præmium a nobis habete. (d)

Bellidaces ſuſpenduntur.

Septem præciſis auribus in Hungariam remittuntur.

In crucem aguntur.

ANNUS JESU CHRISTÍ DCCCCXXXVI.

LEONIS VII. PAPÆ 1. HENRICI GERM. REG. 18. S. WENCESLAI 12. ISENGRINI *Ep. Ratisb.* 4.

(a) Hungarorum res geſtas ad plures annos tum ſuperiores tum conſequentes ſpectantes in hunc annum perperam acervavit Hagecius.

(b) Ad hunc locum noſter P. Victorinus: „ Pugnaſſe hoc in prælio contra Hungaros cum lectiſſima mille Bohemorum equitum turma Boleslaum teſtatur Weleslavinus in Calendario ad 10. menſis Auguſti, eamque inſignem alum, etſi ultima in Germanico exercitu ſta-

ret,

ret, primàm tamen Hungaros, vitata exercitus fronte, a tergo adortam esse. Et primo quidem impetu Bohemos, cum nonnullos e suis cædi capique viderent, tantamque hostium multitudinem sustinere non possent, cedere coactos esse. At ubi Conradus cum Franconibus, ac deinde Cæsar ipse laborantibus Bohemis succurrisset, integrato prælio, magno dein adjumento ad summam victoriæ fuisse. „ Hactenus P. Victorinus. At Weleslavinus hæc ad annum 955. accidisse ait productis ibidem pluribus Chronicis, ad quæ se revocat. Post annum 952. atque sub Ottone I. ea accidisse indubitatum est, ut mox videbitur.

(c) Anonymus Belæ Notarius hos belliduces vocat *Lelu* & *Bulsuu*, idque ait ad fluvium Hin sub Conrado Imperatore factum fuisse. At neque sub Conrado neque ad fluvium Hin, sed sub Ottone I. & ad flumen *Scalth* hæc acciderunt. Tum non *Bulbu* seu, ut Gallici scriptores eum vocant, *Bulgio* captus est, sed nepos Regis Hungarorum, cujus nomen sibi excidisse inquit Baldericus. Is vero *abscisso capite*, ut idem author ait, *obtruncatur*, *caput hastæ defixum summo muro*. Quod denique annò 953. mense Aprili contigit. Post quæ Bulgio casum amici graviſſime ferens vastavit omnia. *Anon. c. 55. p. 36. Apud Schwandtner. T. I.* *In Chron. c. 74. apud Bouquet T. VIII. p. 280.*

(d) Cum ex patriis historiis Hagecio hoc anno nihil suppeteret, Hungarica inseruit loco maxime improprio. At vero annum hunc fertilissimum fuisse a memoriis quibusque Czechicis subjuncta Prætermissa palam facient.

PRÆTERMISSA.

I. Quunquam Henrici Aucupis obitum Chronica plura ad annum 935. alia ad annum 937. reponant, certum tamen indubitatumque est hodie inter Chronologos eum præsente anno vitam cum morte commutasse. Testatum id habemus ex Chronico Frodoardi synchroni scriptoris accuratissimi, ex Ditmaro, Hepidano, Hermanno Contracto, Continuatore Reginonis, Mariano Scoto, Chronico Augiensi, Saxonico, Rotomagensi, Cosma nostro & Adamo Bremensi. Nec dubitationi ultra locum relinquit author vitæ Mathildis ita de B. Mathilde Henrici Aucupis conjuge scribens: *Nec hoc silendum esse censeo, quare tali reverentia custodiret* (Mathildis) *sabbatum: primo quidem esse propter vigiliam dominicæ resurrectionis - - - dehinc quia venerandi Regis Henrici*

anima in eadem die de corpore soluta est. Jam cum certum habeamus ex Witichindo, Ditmaro aliisque coævis Henricum VI. Nonas seu 2. Julii mortuum. Secunda Julii litera Ecclesiastica A. signata hoc ipso anno 936. in sabbatum incidit, cujus anni bissextilis literæ dominicales fuere C. B. ut ducto calculo Ecclesiastico res plana est & expedita. Habito jam certo anno mortis Henrici (qui ad definiendum annum Martyrii S. Wenceslai summe necessarius est) ex Witichindo referre libet quæpiam, quæ is tum de morte illius, tum de successione filii Ottonis narrat. Sic vero ille: *Testamento itaque legitime facto & rebus omnibus rite compositis, defunctus est ipse rerum dominus, & regum maximus Europæ, omni virtute animi corporisque nulli secundus, relinquens sibi ipsi, majori filioque magnum latumque imperium, non a patribus sibi relictum, sed per semetipsum acquisitum & a solo Deo concessum. Erunt autem dies, quibus regnavit XVI. anni, vitæ autem fere LX. Translatum est autem corpus ejus a filiis suis in civitatem, quæ dicitur Quedelingeburg, & sepultum in basilica sancti Petri ante altare cum planctu & lacrymis plurimarum gentium.* Quibus verbis absolvit Witichindus primum suum librum, secundum rursum orditur: *Defuncto itaque patre patriæ & regum optimo maximo Henrico omnis populus Francorum atque Saxonum jam olim designatum regem a patre filium ejus Oddonem elegit sibi in Principem, Universalisque electionis notantes locum, jusserunt esse ad Aquasgrani palatii. Cumque illuc ventum esset, Duces ac Præfectorum Principes cum cetera Principum militumque manu congregati in Sistorio basilicæ Magni Caroli cohærenti, collocarunt novum Ducem in solio ibidem constructo, manus ei dantes, ac fidem pollicentes, operamque suam contra omnes inimicos spondentes more suo fecerunt eum Regem.* Postea persequitur Witichindus ceremoniam unctionis ab Hildiberto Archiepiscopo Moguntino præstitam aliaque huc spectantia, quæ longum esset hic exscribere. Conatus etiam Mathildis matris regnum alteri filiorum Henrico præ Ottone deferri optantis legi possunt in illius vitæ auctore, enuncleate vero in Hahnio. Hoc itaque Henrici obitu, quemadmodum Germania alium accepit rectorem, ita non multo post sublato per Martyrium Divo Wenceslao Boemiæ alius Dux obtigit, & quidem fratricida, de quo jam:

Witichind. l. 1. p. 641.

Ibid. l. 2. p. 642.

Leibnit. T. I. script. Brunsv. p. 192.

II. Vix in epocha alia tot tamque diversas tum nostrorum tum exterorum sententias est reperire, atque in anno Martyrii S. Wenceslai: qui annus cum a nemine coævorum consignatus fuisset, posteriores in opiniones etiam quatuordecim annorum spatio differentes receserunt. Cosmæ principis primique Chronologi nostri epocha, nempe annus

929.

929. familiam ferme eousque ducere visa, dum Ms. Christanni sæculo superiore e tenebris protractum nostris innotuit, in cujus diversis exemplaribus cum jam annus DCCCCXXXVII, jam XXXVIII. jam XXXIX. consignatus deprehenderetur, imo oculatiores quique in exemplari Metropolitano unum numerum X. posteriore nonnulla manu interjectum haud obscure adverterent, hinc factum, ut alii ex Christanno Cosmæ calculum confirmatum sibi certo persuaderent, alii nihilominus adstipulante Sigeberto Gemblacensi annum 938. præeligerent, aliis denique etiam annus 937. aut 939. non displiceret. Verum quemadmodum aliquoties superioribus annis innuimus: annos vitæ regiminisque Ducum nostrorum nonnisi conjectura aliqua seu a Christanno ipso, seu posteriore quocunque in vitam veterem S. Ludmillæ fuisse intrusos, ita prorsum de anno Martyrii S. Wenceslai sentiendum, quem nec vita S. Wenceslai jussu Ottonis II. scripta, nec Laurentius Monachus Cassinensis, nec duæ aliæ vitæ veteres in Codice Metropolitano Ms. exaratæ expressere. Hoc fonte procul dubio profluxit, quod hodie alios atque alios annos in diversis Christanni exemplaribus consignatos reperiamus, ut me piæ memoriæ Reverendissimus Prælatus Rayhradensis docuit. Et vero ex Criticorum observatione res confecta est: Martyrologia, Passiones, & vitas sanctorum olim sine annorum computu scribi solitas, hinc etiam posteriores S. Wenceslai biographi Carolus IV. & Joannes de Novo-Foro commemoratione anni Martyrii abstinuerunt. Contra id veteribus ejusmodi biographis usitatissimum: quod plerumque diligenter atque fideliter dies Martyrii, obitus, aut Translationis consignaverint, quam quidem ab omnibus vitæ S. Wenceslai scriptoribus unanimiter ad IV. Kalend. Octobr. consignatam deprehendimus. Sed ut notitiæ historicæ causa brevem catalogum differentium sententiarum lectori ob oculos ponamus: annum 925. martyrii consignat Continuatio Cosmæ Pragæ edita. Annum 928. statuit Neplacho, Dalemilus, Hofmannus, vita S. Wenceslai sæculo XV. scripta Codicis Trebonensis. Annum 929. cum Cosma amplexus est Marignola, Pulkava, Hagecius, Cuthenus, Lupacius, Weleslavinus, Chronicon Monasterii Mellicensis, Boregk, Bailletus, Assemannus. Annum 937. Chronographus Saxo. Annum 938. defigunt: Sigebertus Gemblacensis, Ursbergensis, Albericus Monachus Trium-Fontium, Chronicon vetus Teutonicum apud Leibnitium, Stranskius, Balbinus, Jordanus, Schminkius, Stredovskius, Dlugossus. Annum 939. ex corrupto Christanni loco delegit Pessina, quem secuti Puczalka, Hammerschmid, *Leibnit. T. III p. 267.*

Berghauerus. Verum ex his tam diverſis ſententiis, ex tot tamque diſcrepantibus calculo hiſtoricis nemo certum genuinumque Martyrii annum S. Wenceslai detexit, quorum ſingulæ epochæ ſi cum coævorum relatis conferantur, ſi ex vera Chronologiæ hiſtoriæque criſi expendantur, illico cognoſcere licebit eas nutare, nec firmo pede conſiſtere. Numeris ipſis cum nuſpiam a coævis Martyrii annum conſignatum habeamus, ad eorum narrationes recurrendum eſt, ex iisque annus eruendus: & quidem ſi Witichindi atque Ditmari hiſtoria ſedulo meditateque excutiatur, annus præſens ſeu 936. ſe indubie prodit, lectorisque judicium convincet haud alium atque iſtum Martyrio Divi Wenceslai deſigi poſſe. Uterque vero luculenter innuit eodem anno, quo Otto in Regem electus & Aquisgrani in regem unctus eſt S. Wenceslaum a fratre Boleslao cæſum. Et Witichindus quidem narratis unctionis coronationisque ceremoniis illico ſubjungit: *Interea barbari ad novas res moliendas deſeviunt, percuſſitque Bolizlaf fratrem ſuum virum Chriſtianum, & , ut ferunt, Dei cultura religioſiſſimum.* Qua voce *interea* ſeu *inter ea* quid aliud indigitat, quam cædem hanc inter ipſam Ottonis Aquisgrani unctionem accidiſſe? Quæ quod in præſentem annum inciderit, his verbis teſtatur Ditmarus: *Hanc* (Ottonem) *Hillibertus Moguntiæ Curator cathedræ cum licentia Wigfridi ſanctæ ſedis Colonienſis Archipræſulis, in cujus diœceſi hoc fuit, & auxilio Trevirenſis benedixit anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXXXVI. in Eccleſia S. Mariæ ſemper Virginis.* Qui & ipſe huic Ottonis conſecrationi, antequam aliud ejus geſtum narraſſet, ſtatim ſubdit: *Hujus* (Ottonis) *proſpera multa turbabant adverſa: Nam Bohemorum Ducem Wenceslaum Boleslaus nefandus, fratrem domino ac Regi perimens fidelem reſtitit multo tempore audacter.* Quod vero non alius quam hic ipſe præſens annus verus genuinusque Martyrii ſit, alia luculenta argumentatione ex eodem Witichindo deducitur: Poſt cædem S. Wenceslai narrat illico Witichindus inter *Novum Regem* ſeu Ottonem atque Boleslaum Bohemiæ Ducem fratricidam bellum erupiſſe, atque id quatuordecim annorum ſpatio duraſſe: Verba Witichindi ſunt: *Perduravitque illud bellum usque ad quartum decimum Regis imperii annum*, ſeu ut ait Sigebertus Gemblacenſis: *Et longa inter eos concertatio per XIV. annos protracta eſt.* Jam ſi alia vetuſta imo coæva Chronica in adminiculum vocemus, deprehendimus unanimiter ab illis adſtrui: bellum Ottonem inter & Boleslaum duraſſe usque ad annum 950. quo anno Boleslaus ab Ottone victus eſt, & ex quo tempore *Regi*, ut Witichindus etiam loquitur, *fidelis & utilis permanſit.* Sic enim Frodoardus ad annum 950:

Witichindus l. 2. p. 643.

Ditmar. l. 2. p. 331.

Witichind. c. l.

Frodoard. in

Otto

Otto Rex, qui quondam Wenedorum magnam obſederat urbem nomine Prai-dam (lege *Pragam*) *Regem ipſorum in ſubjectionem recipit.* Continuator Reginonis de nomine vocat Boleslaum: *Eodem anno*, inquit, *Bohemorum Princeps Bolizlaus Regi rebellat, quem Rex validiſſima manu adibat, ſuaque per omnia ditioni ſubdebat.* Sigebertus Gemblacenſis: *Rex Otto in Boemia contra Boizlaum proficiſcitur. Boizlaus vero Regi reconciliatur, eique tandem feliciter ſubjicitur.* Coſmas noſter ad eundem annum: *Dux Boemiorum Boleslaus Regi rebellavit, quem Rex valida manu adiit ſuaeque per omnia ditioni ſubjugavit.* Copioſiſſime Annaliſta Saxo: *Illo quoque tempore Rex proficiſcitur in militiam contra Bolislaum Regem Bohemiorum, & cum ſapienda eſſet urbs, quae nuncupabatur Nova, in qua clauſus obſidebatur Bolizlavi filius, prudenti Rex conſilio diremit prælium, ne miles in rapiendis hoſtium ſpoliis aliquod periculum incideret. Conſiderata itaque virtute Regis ac innumera multitudine exercitus Bolizlavus urbe egreſſus maluit tantae majeſtati ſubjici, quam ultimam perniciem pati, ſub ſignisque ſtans ac Regem audiens, reſponſaque reddens veniam tandem promeruit. Inde plena victoria glorioſus factus Rex Saxoniam regreditur.* E quibus veterum teſtimoniis jam nemini dubium videbitur anno 950. bellum illud Ottonem inter & Boleslaum fuiſſe terminatum. Jam ſi ab anno 950. annos XIV. quibus id bellum duraſſe prodit Sigebertus, demas, ſi item verba Annaliſtæ Saxonis huc revoces: *Ita more Francorum Otto Rex creatus regnare cœpit - - - ab Incarn. Dom. IXCXXXVI.* plane liquet anno præſente cœptum Ottonis bellum cum Boleslao, atque idcirco cædem S. Wenceslai paulo ante eodem anno præceſſiſſe, præſertim cum Ditmarus jam ipſi Ottoni fidelem fuiſſe S. Wenceslaum innuat: *Boleslaus nefandus fratrem Domino ac Regi perimens fidelem.* Non recte igitur eruditiſſimus Aſſemanus Coſmæ Chronologiam tueri volens: *Rebellionem Boleslai per annos XIV. duraſſe nullus alius ſcriptor praeter Sigebertum teſtatur.* Teſtatur id certe ſupra laudatus Witichindus, inquiens: *Perduravitque illud bellum usque ad quartum decimum Regis imperii annum*, teſtatur id Frodoardus, Continuator Reginonis, Coſmas & Annaliſta Saxo, qui omnes poſt annos XIV. nempe anno 950. pacem cum Boleslao initam ſcribunt. Ex quo eodem ipſiusmet Sigeberti Gemblacenſis calculo error in ejus Chronico emendandus, & S. Wenceslai cædes duobus annis retro ad annum 936. reponenda. Neque vero in hoc argumento omnia: tam ex Witichindo, quam Ditmaro perſpicuum eſt hanc S. Wenceslai cædem, bellumque Ottonis Boleslao intentatum ante Hungarorum invaſionem accidiſſe; at vero anno ſequente jam Hungaros infeſtaſſe

Chron. ad An. 950.
Cont. Regin. ad An. 950.
Sigeb. Gembl. ad An. 950.
Coſmas l. 1. ad An. 950.
Apud Eccard. T. I. p. 280.
Ad An. 936.
Aſſeman. T. IV. p. 160.

Fran-

Franciam non modo ex Frodoardo ſed etiam Continuatore Reginonis, Mariano Scoto aliisque legimus. Inſtar complementi ſit inſtrumentum ſæculi XIV. quod Autographum ſigillo pendente in manus meas pertigit: Hoc inſtrumento, quod datum eſt Olomucii anno 1357. die VIII. menſis Maji, Henricus Decanus Eccleſiæ Cremſirienſis & Joannis Epiſcopi Olomucenſis Vicarius in ſpiritualibus Generalis fundat in Eccleſia Olomucenſi Altariſtam cum onere atque hac conditione, verba ſunt: *Singulis feriis IV. ſub auroram dicat miſſam ad altare Beati Wenceslai Patroni glorioſi hujus Eccleſie ob memoriam Paſſionis ejusdem ſancti, quæ per anni circulum huic Eccleſie incanonizata eſt.* E quo documento licet ſæculis quatuor poſteriore haurimus tamen traditionem perpetuam S. Wenceslaum feria IV. paſſum, Martyriumque ſubiiſſe, ac proinde anno Martyrii IV. Kalendas Octobris ſeu vigeſimam octavam Septembris in feriam IV. ſeu diem Mercurii incidiſſe. Habito hoc indicio litera Eccleſiaſtica F, quæ vigeſimæ octavæ Septembris perpetuo illigata eſt, docet nos anno Martyrii Dominicalem literam B fuiſſe, quæ anno biſſextili præſente 936. omnino menſe Septembri locum in Calendario habuit. Nec deſunt quique authores veteres gravesque, quibus idem annus 936. probari viſus. Annaliſta Saxo ad hunc ipſum annum locum Witichindi de cæde S. Wenceslai recitat, alii, quanquam annum 936. non exprimant, tamen eum innuunt, cum anno Ottonis primo cædem accidiſſe ſentiant. Inter eos eſt Anonymus Saxo, Author magni Chronici Belgici, Martinus Polonus, Ricobaldus in hiſtoria Imperatorum, Meiſterlinus, Vitus Ebersbergenſis, author Faſciculi temporum, Mutius, Rolewinkius, Brunnerus, proximeque accedit doctiſſimus Pagius. Nec huic ſententiæ quidpiam detrahit Chriſtanni locus ita dicentis: *Agebantur vero hæc temporibus Henrici Regis Saxonum, qui primus inter ipſos Chriſto ſibi propitio diadema impoſuit, cui felix isdem* (Wenceslaus) *amicus jungebatur aſſidue*, quibus nempe verbis nonnulli contendunt ultra Henrici imperium S. Wenceslai martyrium non eſſe rejiciendum. Verum meditate Chriſtannum expendenti proclive erit cognoſcere: hæc verba illius ad præcedentia ſeu fratris Boleslai ſuorumque ſatrapum odium ſpectare, quod omnino Henrici temporibus cœpit, virus vero ſuum duobus nonniſi menſibus Henrico demortuo penitus in S. Wenceslaum effudere.

Nihil itaque Chronologiæ veterumque relatis magis conſentaneum, quam præſente anno S. Wenceslaum per Martyrii palmam ad ſuperos evolaſſe: in quo anno definiendo jam annos ante quinque mul-

multa mihi literaria concertatio cum A. R. P. Athanasio Ordinis S. Augustini Discalceatorum Collega studiosum meorum intercessit, dum utriusque tandem sententia eo evasit: haud recte alium, quam Ottonis primum annum designi posse. Et non mediocriter postea gavisus sum, cum edito Tomo VII. mensis Septembris hunc ipsum annum Clarissimos Viros operis Bollandiani Continuatores amplexos legerem. Ad hunc annum igitur pertinent, quæ supra anno 929. de Martyrio S. Wenceslai retulit Hagecius, quæ cum ibidem omni loco ex veterioribus illustraverimus, emendaverimusque, supervacaneum est seu Anonymi Ottoniani, seu Christanni, alterisve veteris verbis hanc historiam iterare.

III. Sublato fratre Wenceslao non potuerat non metuere Boleslaus Ottonis nuperrime electi Germaniæ Regis indignationem, quod non nesciret, teste Witichindo, cum Henrico patri fidelem utilemque, teste etiam Christanno amicum fuisse, imo jam vel ipsi novo Regi Ottoni, ut Ditmarus prodit, fidelem atque utilem. Ut igitur Boleslaus Ducatum Boemiæ sibi stabiliret, simulque se adversus omnes casus præpararet, quam acri erat ingenio, bellum vel hoc ipso anni exitu imminentemque hieme præoccupandum esse ratus est. Jugum tributi excutere, pacta nuper a Wenceslao conditiones rescindere urgentissimi videri potuere Boemis stimuli ad arma adversus Ottonem eumque clientes capessenda. Igitur primum studium de regulis Boemiæ in ordinem redigendis, qui seu fœdere aliquo Ottoni sociati erant, seu illius imperio favere videbantur. Quid egerit, concinne narrat Witichindus: *Witichind. l. 2. p. 643.*

Boleslaus, inquit, *timens sibi vicinum subregulum, ne quod parvisset imperiis Saxonum, indixit ei bellum. Qui misit in Saxoniam ad expostulanda sibi auxilia. Mittitur autem ei Esic cum legione Merseburiorum, & valida manu Hassiganorum, additurque ei exercitus Thuringorum. Erat namque illa legio collecta ex latronibus. Rex quippe Henricus* (Pater Ottonis) *cum esset satis severus extraneis, in omnibus causis erat clemens civibus: unde quemcunque videbat furem aut latronem manu fortem & bellis aptum a debita pœna eripiebat, collectos in suburbano Merseburiorum, datis agris atque armis, jussit civibus quidem parere, in barbaros autem, in quantum auderent, latrocinia exercerent. Hujusmodi ergo hominum collecta multitudo planam in expeditionem producti legionem. Bolizlaus autem audiens de exercitu Saxonico, & quia Saxones seorsum, & seorsum Thuringi irent contra se, divisis & ipse facibus, sicuti erat acerrimus consilio, utrique exercitui occurrere disposuit. Ac*

Thuringi ut hostes improviſe ſibi occurſitare viderunt, fuga periculum devitaverunt. Æſſa autem cum Saxonibus & cæteris auxiliariis nihil cunctatus in hoſtes ruit, maximamque partem ex eis armis fudit, cæteros fugere compulit, victorque ad caſtra reverſus eſt. Et cum ignoraſſet de exercitu, qui inſecutus fuerat Thuringos, minus caute uſus eſt victoria perfruitus. Bolizlaf autem videns exercitum noſtrum diſperſum, & alios in extrahendis ſpoliis cæſorum, alios in ſuis corporibus reficiendis, alios in paleis equorum congregandis occupatos, fugatum reverſumque coadunans exercitum, ſuper improviſos, ac recenti victoria ſecuros ſubito irruit, & Ducem cum omni noſtro exercitu delevit. Porgensque inde ad urbem ſubreguli primo eam impetu cepit, & usque in hodiernum diem ſolitudinem fecit. Hem primum Heroicum Boleslai facinus a veteribus noſtris omnibus hiſtoricis prætermiſſum! quod ut re ipſa glorioſum erat, ita procul dubio ei amorem populi ſui conciliabat, odiumque illud de perpetrata fratris cæde ſeu delebat, ſeu certe leniebat. Ab ea victoria enim in libertatem priſtinam reſtituit gentem Bohemicam, & adverſus tributi annui exactionem ſtrenue Ducatum ſuum armis quatuordecim annorum ſpatio tuitus eſt. Nec fortaſſis mirum cuiquam videri poteſt Deum non potius vindicem dexteram in eum exeruiſſe, illudque fatum, quod Saxones tetigit, in eum ejusque copias convertiſſe, cum ante ex Coſma legerimus eum a perpetrato fratricidio culpam illico agnoviſſe, filiumque ſuum unigenitum Deo in holocauſtum obtuliſſe pro peccato ſuo. Quod ad narrationem ipſam Witichindi attinet: innuimus jam anno ſuperiore quasdam traditionis veteris ſcintillas in Hagecii narratis contineri, veroſimillimeque urbem illam ſubreguli hoc anno a Boleslao deletam haud aliam videri, quam Wlaſtislaviam ſeu Wratislaviam, ut in ſcriptione noſtri variant, quæ in Bilinenſi regione ſita fuiſſe paſſim aſſeritur. Quis vero, & cujus nominis ſubregulus hic fuerit? penitus tectum. Balbinus quidem in hunc locum Witichindi ita commentatur: *Quem bello Boleslaus invaſerit, fateor equidem nihil certi me habere; at cum Hagecius, etſi non obſervato tempore, Lucenſem ſeu Zatecenſem Principem bello petitum a Boleslao ſignificet, fat probabilis eſt conjectura: Dobromirum, qui tum Lucenſibus imperabat, & Saxoniæ vicinus Saxonum imploranæ auxilium, intelligi.* Qua conjectura ſua Balbinus non quidem ad Hagecii anno priore ſed ſequente 937. narrata collineat. At vero indubie ex Hagecii hoc utroque anno narratis cumque Witichindi relato loco conciliatis cognoſcere eſt, Hagecium errore corruptæ traditionis hiſtoriam unius anni a Witichindo prolatam in duos diſpeſcuiſſe, anno enim 937. agit de bello ſubregulo Zatecenſi intento,

Balbin. Epit. p. 101.

tato, & quod posterius narrare conveniisset, anno 935. jam præoccupavit urbis demolitionem. Balbini vero fluctuationem jam tanquam historiam certam venditavit Pessina, qui multum prolixe cum adjunctis plurimis hæc narrat, cum contra Weleslavinus eo tempore Radobylum Principem regionis Luzensis, Teplensis & Lipensis faciat. Ego lubens ad alterutrius sententiam accederem, si sua narrata veteri aliquo vadimonio firmassent, aut saltem Dobromiri illius Radobilive nomen auctoritate aliqua antiqua fulcivissent. *Pessina Rad. 3. p. 157. Weleslav. in Genial. Duc.*

Atque his cum Martyrio Divi Wenceslai supremam operi præsenti manum imponimus: Eundem Divum Tutelarem Gentis Bohemæ exorantes, ut a Deo Optimo Maximo incolumitatem, ingenium, viresque imploret, quo ejus gloriosam Translationem, divinam in ficarios suos exertam ultionem, plura ejus stupenda prodigia, nec non cetera populi sui (cujus ille tutelam seculis omnibus egit) gesta prosequi mihi integrum sit, & anno sequente IV. Partem horum Annalium Lectoris obtutibus sistere possim; typographum interea Tomi II. monumentorum meorum nusquam antehac editorum excusione distenturus.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

A.

Adalvinus Episc. Salisburg. p. 178.

Adelhaidis secunda uxor Zuentibaldi 171.

Adrianus Papa ordinat S. Methudium Archiep. 91.

Aesic cum exercitu mittitur ab Ottone adversus Boleslaum, eum cædit, inopinus opprimitur, interficitur 657. 658.

Agaton Metropolita Moravorum in Pseudo-Synodo Constantin. 188. legatus missus ad Ludovicum *ibid.*

Albertus de Altenburg castrum condit in Bohemia 532.

Albim miraculose transvehitur corpus S. Wenceslai 603. 609.

Alemanni cædunt Hungaros 440.

Alemanniam invadunt Hungari 427. 428. 444. 448. 528.

Altaham monasterium ditionibus auget Privina 44.

Altheimii concilium 454.

Amoris pocula apud veteres 569. 570.

Anasburgum conditur 356.

Anesum fluvium transeunt Hungari 355.

Angelus signum maximum Henrici 623. 647.

Anicula aruspica asinam ditari præcipit 98.

S. Antonii hospitale Pragæ conditur 533. 534. 535.

Aquila num S. Wenceslao in clypeum date? num prima Bohemiæ insignia 642. 643. 644.

Arabo fluvius 212. in eo mergitur Popo 220.

Arbo præficitur Comitatibus transdanubianis 159. ei bellum infertur, facit fœdus cum Zuentibaldo, expellitur, restituitur 168. 225. 226. 211. auxilio mittitur Zuentibaldo juniori 326. diffidii inter fratres causa, privatur præfectura 327. moritur 226.

Argentoratum obsidetur 649.

Aris olim sanctorum reliquiæ non superponi solitæ 498.

Arno Episc. Würzburg. cum expeditione adversus Boemos mittitur 130. 131. 143. redux occiditur 264. 265.

Arnoldus Dux Bavariæ obtinet Ducatum 407. cædit Hungaros 441. bellum gerit cum Conrado Germ. Rege 449. fugit ad Hungaros 460. redit, invitatur ad regnum Germaniæ, resistit Henrico, dedit se illi 472. 483. uxorem habuit Hungaram 472. an subjecta illi fuerit Boemia? 475. movet in Boemiam 512. 513. 556. occiditur in Italia 649.

Arnulphus Dux Bav. *vide mox supra Arnoldus.*

Arnulphus Imp. commendatur a patre Carlmanno Ludovico, accipit Carentanum 200. ejus filium levat Zuentibaldus ex baptismo 202. 249. ejus homines conspirant in necem Zuentibaldi 212. venit Welehradium 213. 217. recipit hostes Zuentibaldi, ejus terræ invaduntur 220. pacem facit 224. 225. accipit Caroli Crassi regnum 232. auxilia a Zuentibaldo, simulat amicum 233. Ratisbonæ placitum celebrat 237. in Forchheim 241. contra Obotritos movet *ibid.* cum Zuentibaldo colloquium habet, ei concedit Ducatum 249. num vera illius donatio? 250. 251. 252. Slavorum insolentiam reprimit 263. cum Moravis pacem renovat 263. 265. fert Borzivojo suppetias 263. vastat Moraviam, Hungaros in auxilium vocat, cum Bulgaris amicitiam renovat 268. 269. ejus ambitio 269. 270. 271. obtinet victoriam 272. Italiam petit 274. 304. evocatur a Formoso Papa 276. iterum invadit Moraviam, cum difficultate redit 277. 278. cum Zuentibaldo bellum gerit 301. ejus res gestæ 304. ei se socient Boemi 306. 307. coronatur in Imperatorem 315. ejus unctio imperialis rescinditur 328. exeubat ex parte Aquilonari Danubii, accipit legationem a Moymiro, item a Boemis 319. Isancrinum in deditionem accipit, ei comitatum eripit Isancrinus 335. bellum ei infert Zuentibaldus 339. cæditur 340. adversus Hungaros suppetias mittit 341. occupat Welehradium 340. an illi subjecta fuerit Bohemia aut Moravia 200. 201. 238.

Arpad primus Dux Hungarorum, qui in Pannoniam transiit 246. versus Nitriam suos mittit 373.
Asina litatur 98. 107.
Attila reverens legationum 20.
Avares *vide* Hungari.
Augiam defertur sanguis Christi 513. 514.
Augusta Vindelicorum obsidetur 528.
Aurum copiose effoditur 117.

B.

Bubenbergæ vicinias colunt Slavi 151. 369.
Bailletus biographus S. Wenceslai 614.
Bajoariæ Episcopi primum lumen accendunt Moravis 65. 66. scribunt ad Joannem IX. 343. accusantur a Moravis 346. frustra pacem petunt 347. laudantur 350. 351. accusatores S. Methudii 184. Bajoaria infestatur a Boemis 109. 110. ab Hungaris 354. 355. 407. 408. 528. eam ambit Sustoplueus 274. 276. evocatur ex illa Stuymirus 309. remittitur ad eam 311. 312. infestant Hungari 649.
Bajoarii mittuntur in Bohemiam 16. inopine opprimuntur a Zuentibaldo 127. 128. cæduntur 143. 407. 408. cum Moravis pacem ineunt 304. vastant Moraviam 326. 327. suppeditant Hungaris pecunias 332. item linea vestimenta 334. obsident Ifangrinum 335. pacem optant inire cum Moravis 336. vastant Moraviam, incidunt in insidias 353. pacem faciunt 361. cædunt Hungaros 367. 440. Num in electione Henrici fuerint? 472. sunt tributarii Hungarorum 387.
Bannerium 561. num S. Wenceslaus acceperit? 643.
Bardo cadit in prælio 20. 23.
Basiliani Monachi 50.
Basilius Imp. tyrannice saultat Slavos 121.
Bavari *vide* Bajoarii.
Bavaria *vide* Bajoaria.
Bellonæ erigitur fanum Clatoviæ 109.
Belogradum pro Welehrado acceptum 92. 93. 130.
Benedictini 50. jam verosimillime fuere in Boh. temporibus S. Wenceslai 568. 569.
Benedictus constituitur Episcopus Moraviæ 342. 344. 352.
Berengarius eripit magnam partem Italiæ 238. evocat Arnulphum ad Italiam 276. invitat Hungaros 502, 520. Ludovicum Imp. privat oculis 368.
Bertha uxor Wratislai Ducis Mor, 239.
Berthramus cum legatione mittitur a Zuentibaldo 148.
Betularum mons. 153.
Bichin urbs 529.
Bigilas insidiatur Attilæ 20.
Bilinensis Principatus 181. 182. vastatur 204. Duces 183. cæduntur 214.
Bitozevsium vicus 104. 108.
Boemis bellum infert Ludovicus 20. cæditur ab illis 22. bellicosi 23. lacessuntur 26. eorum fœderati invaduntur 37. tributo se eximunt 41. infestant Bavariam 109. 110. item Thuringiam, cæduntur 110. petunt suppetias a Carlmanno 111. dissentiunt cum Moravis 112. bello petuntur a Ludovico 130. 131. 143. eorum legati mittuntur in carcerem, vindicant injuriam 149. pacem faciunt cum Ludovico 157. 158. ejus auxiliares 161. Carlmanni 175. eis nonnisi latini ritus concessus Episcopus 197. delegatur Slavicus ritus a Concilio Constantiensi 198. subjecti legibus Portoriis in Norico 201. lacessunt Thuringos & Slavos ad Salam 201. cæduntur 202. fideles Regibus Francicis 250. victores 264. Borzivojum ejiciunt in exilium 283. 284. Stroymirum sibi Ducem statuunt 265. 309. revocant Borzivogium 266. 320. licentissime vivunt 303. recedunt a Moravis, sociant se Francis 306. 307. Duces in conventu Ratisbonensi 307. exosus illis fit Stroymirus 309. 310. remittunt in Bavariam 311. 312. factionibus scinduntur 316. comitia agunt 317. 318. Borzivogi revocationi favent, factio hæc victrix 318. legationem mittunt ad Arnulphum 319. sermonis sui tenacissimi 324. vastant Moraviam, incidunt in insidias 353. recuperant Lusatiam 356. Ungaris resistunt 384. eis tributum solvunt 397. conciliantur eis 409. usque ad Moravam fluvium terras protendunt 416. socii Hungarorum 448. 650. usque ad Visurgim pervadunt 449. ethnici Christianos infestant 461. vincuntur 465 466. 468. 469. vincunt 467 469. 470. eis venduntur Obotriti 536. causam communem agunt cum ceteris Slavis 541. bello petuntur ab Henrico 555. tributo rursum subjiciuntur 557.

558. 559. 560. 592. an complices novi belli? 593. an Conrado subjecti? 464. præter tributum non habuere alium nexum cum Regno Germaniæ 436. 437.

Boemiam vastat Ludovici filius 3. haud feliciter invadit Ludovicus 16. pluribus Ducibus paret 22. 144. non fuit portio terrarum Ludovici 69. Suatoplucum agnovit summum Principem 129. magnæ Chrobatiæ nomine indigitata a Græcis 130. non erat portio Carolomanni 169. 170. nec ei aut Arnulpho paruit 200. 201. quid de donatione Arnulphi sentiendum 249. 250. 251. 252. non est primitus instituta ritu Græco 198. jurisdictioni Episc. Ratisbonensis subjecta 302. sæculum X. ei felicissimum 341. ad eam venit S. Methudius 376. plures Hungarorum familiæ se hic stabiliunt 397. 415. non fuit subjecta Conrado 437. in Ducales filios partiri solita 458. infestat Arnulphus 512. 513. num in feudum data? 561. vastant Hungari 615. 623. quis primus clypeus? 643. 644. num Duces ad Curiam venientes vicos cremare soliti? 645.

Boganow locus pugnæ 236. 237.

Bogoris Bulgarorum Dux bello petitur, ad Christum convertitur 49. baptizatur 75. petit latinos presbyteros 81.

Boharinus Russorum Dux invitatur a Suatopluco 279. 284.

Bohuslaus primus Præpositus Boleslaviæ 447. 448.

Bojoarii *vide* Bajoarii.

Boleslavia conditur 427. 446. 448. 599. 600. SS. Cyrilli & Methudii Ecclesia 446. 447. cedit Boleslao 484. 486. huc invitatur S. Wenceslaus 564. 569. cæditur, sanguis indelebilis 566. 573. Ecclesia SS. Cosmæ & Damiani 569. S. Wenceslaus hic conditur 587. jam fuit urbs ante cædem S. Wenceslai 599. restauratur Ecclesia 629. Episcopatum hic meditatur Boleslaus 631.

Boleslaviensis ditio verosimillime fuit portio Wratislai vivente Spitignæo 308. obtingit Boleslao 456. 457. 458.

Boleslaus filius Borzivoji moritur 405.

Boleslaus filius Wratislai nascitur 422. 426. 427. a moriente patre proceribus commendatur 450. tutelæ S. Ludmillæ traditur 457. 530 Dralomiræ educandus conceditur 456. 458. transalbina regio illi traditur 457. curtem habet Boleslaviæ 458. Boleslaviam deducitur 484. 486. irritatur a matre adversus fratrem Wenceslaum 515. falso rumore magis exasperatur 516. 517. 519. sævitiei arguitur 563. 568. ejus uxor, invitat S. Wenceslaum Boleslaviam 563. insidiatur ejus vitæ 564. cædit S. Wenceslaum 566. 572. 654. 655. eum solummodo vulneravit 572. 573. pœnitet illum fratricidii 568. 574. 575. 576. 629. 630. purgat se de crimine 574. filio dat nomen ab eventu 567. pulsatur febri, liberatur 586. 587. 588. ei fideles Luiticii 594. condit Boleslaviam 599. ejus audax facinus 600. pia opera 595. 596. jubet clam noctu transferri corpus S. Wenceslai 603. 608. mittitur illi legatio 618. comitia indicit, silentium præcipit de cæde fratris 619. 620. filium mittit ad S. Emeramum detondendum 629. 630. 631. copias adversus Wlastislavienses 634. 635. a multis egregiis gestis laudabilis 620. 631. num S. Viti Ecclesiam curaverit consecrari 625. 626. non fuit Rex 642. ei movet bellum Otto 654. subigitur 655. bellum adversus sub regulum movet, cæditur ab Ottonis copiis, delet universum Ottonis exercitum, sub reguli civitatem evertit 657.

Bolislaus Dux Moraviæ 529.

Borzivojus nascitur 152. etymologia nominis 155. inauguratur Dux 245. 248. exulat 253. 254. ejus baptismus 254. 282. annus verus baptismi 254. 255. 256. 257. 258. 287. adit Suatoplucum Ducem Moraviæ 303. 304. humi excipitur in convivio 258. 279. 284. reprehenditur ob id a S. Methudio, persuadetur ei Christi religio 259. 280. 281. ducit Ludmillam uxorem 260. solio deturbatur 284. exul præsidium quærit apud Suatoplucum, accipit suppetias ab Arnulpho & Zuentibaldo 263. revocatur in Bohemiam 266. 283. 320. condit templum S. Clementis 283. prophetis de ejus stirpe 282. condit Ecclesiam Teynensem 321. 358. SS. Petri & Pauli 329. omnium sanctorum 357. an fuerit in expeditione contra Moravos 353. Christianis indicit comitia 358. abdicat se ducatu 388. condit castrum Tetin *ibid.* ejus monita data Spitignæo filio 393. mortuo Spitignæo revocatur ad Principatum 404. defert illum filio Wratislao 404 405. venatur cervam 417. 422. increpatur ob id a S. Ivano 418. redit Tetinium,

nas-

narratque Ludmillæ, quæ sibi inter venandum acciderant 420. condit sacellum 422. 425. Ecclesiam S. Michaelis 428. moritur 363. 428. 430. 431. numus illius, ejus ossa Pragam transferuntur *ibid.*

Boymirus fugit 19.

Bozdiechovienses campi 94. 105.

Bracteati numi 73.

Brandeburg capitur ab Henrico 540.

Branimirus Dalmatiæ Dux 275.

Brazlavo Slavorum Dux fit cliens Caroli Crassi 202. cum eo colloquium Arnulphus 270. committitur ei urbs Paludarum 314.

Brixium invadunt Hungari 502.

Briznica torrens 78.

Brtak strenuus miles 52.

Bruska castrorum locus 94.

Brynna a Prinnina condita 4.

Brzena Boleslai uxor uterum fert 563. liberatur febri 586. 587. 588.

Brzetislaus Dux Boh. 615. ei primo tribuitur aquila 644. ejus numus 645.

Brzoslaus pater Drahomiræ 466. 469.

Bssovium muris cingitur 171. 173. huc proficiscitur Borzivojus 321.

Bubuiza alphabetum Slavicum 29. 325.

Budeczium urbs capitur 36. concidit 37. 389. 391. 392. Ecclesiam condit Spitignæus 389. 390. 391. gymnasium celebre 389. 322. 324. 325. 326. 444. 445.

Budina munitur 204. 206.

Budinicium expilatur 14. 15.

Budinka præsidio firmatur 203.

Budislavus conditor Budissinæ 212. exauctoratur 213.

Budissina urbs conditur 212.

Bugat Hungarorum Rex 502.

Bulchus Hungarorum Dux 649. 651. furca multatur 650.

Bulgari in comitiis 3. adversus Ludovicum arma movent 6. cauda equina pro signo bellico utuntur 87. convertuntur ad Christum 32. 38. 48. 49. 50. mixti Gazaris 34. vastant regnum Suatopluci 212. 217. 218. cum iis amicitiam renovat Arnulphus 270. cum Græcis bellum gerunt 278. 279. 313. 534. 537. cædunt Hungaros 313. vincuntur *ibid.* tributarii fiunt 407.

Burchardus Dux Thuringorum 414. 437. 438. commentitius Marchio Moraviæ 460. Alemanniæ Dux 482. 483.

C.

Cambluvius & Comitatus 159.

Captivi liberantur ad præsentiam corporis S. Wenc. 605. 610. 611.

Carinthiam infestant Hungari 362.

Carlmannus a patre mittitur contra Moravos 37. pugnat 38. fœderatur Rasticio 48. 53. Patri reconciliatur 53. iterum deficit 53. 56. labitur fuga 62. reconciliatur 56. accipit Bavariam 69. 74. Boemiam infestat 110. 111. contra Suatoplucum mittitur 110. bis cædit Moravos 113. ei se tradit Suatoplucus 118. Rasticis terras occupat 119. capit Suatoplucum 126. dimittit, muneribus donat 127. cæditur illius exercitus, reddit obsides 127. 128. premitur a Slavis, ad incitas pene redigitur 149. mittuntur ei auxilia 142. 143. ingreditur Italiam eamque sibi subdit 174. contra Winidos belligerat, cum Moravis fœdus init 168. 170. infirmatur 175. moritur 200. num Moravia seu Boemia ei subjecta unquam fuerit? 169. 201.

Carolus accipit Alemanniam in partitione regni 69. *Ludovici filius* contra Rastizen mittitur, victor 113. non vult contra Moravos Carlmanno ferre auxilia 142. *Imperator* vincitur 169. fugit, moritur 174. *Crassus Imp.* terras Ludovici obtinet, ad eum Moravorum legatio 210. Arboni comitatum restituit 168. 211. iterum aufert *ibid.* pacem facit cum Zuentibaldo cessa Pannonia inter Danubium & Dravum 221. Ratisbonæ Natalem Domini agit 228. exauctoratur 232. summa ejus egestas 233.

Carolus IV. Imp. Slavicum ritum revocat 197. fundat Romæ hospitale pro peregrinis 398. 399. 401. Christi sanguinem Augia Pragam defert 513. scripsit vitam S. Wenc. 614.

S. Catharinæ Ecclesia conditur 428. 429. ejus aræ imponitur corpus S. Ludmillæ 495. in ejus cœmeterio condita eadem 496. 500. 501. 477. 479.

Chaganus dignitatis nomen commune Hunnis & Slavis 35.

Cha-

Charitatis pocula propinandi ritus 569. 570.
Chazari *vide* Gazari.
Chotetsch vicus 36.
Christannus biographus S. Wenceslai 614.
Christianis vetitum cum ethnicis commercium 285. indicta Comitia 358.
Christi sanguis Augia defertur Pragam 513.
Chrobatia magna Græcis Boemia est 130. 299.
Chrudus Mstibogii bellidux 235. victor 236.
Chussol Hungarorum Dux cæditur 367.
Chutizi pagus Slavicus, ejus situs 264.
Cisio-Janus Calendarium 546.
S. Clementis corpus Romam defert S. Cyrillus 79. advectum prius in Moraviam 329. non tamen Bohemiam 330. templum Hradecii conditur 283. 299. 300. Litomisslii, supra Multaviam 300. 301. Pragæ 329. 330. Romæ 369. 370.
Clerici revocantur exules a S. Wenc. 578.
Clusas Hungaris aperit Arnulphus 269. 273.
Clyvinæ fanum erigitur 109.
Comogenus mons, ejus situs 222.
Conradus eligitur in Regem Germ. 436. Henrico detrahit de hereditate 446. ejus regnum invadunt Hungari 441. 448. rebellant ei Duces Germaniæ 441. pacem pretio emit 454. capite plectit Erchangerum 460. vulneratur 449. moritur 460. an Boemi & Moravi ei subjecti? 460. 464.
Constantii filia a Sarmatis prope capitur 132.
Constantinopoli pseudo-synodus 188.
Constantinus Philosophus *vide* Cyrillus. *Porphyrogenitus* nascitur 392.
Corbejenses Monachi ad Rugiam transeunt 162.
SS. Cosmæ & Damiani festivitas Romæ 549. 551. templum 550. 551.
Cosmas candidus scriptor 364. num biographus S. Wenc. 614.
Crotomislaus Moraviæ Dux 529.
Curia Regalis Pragæ 499.
S. Cyrillus an idem cum Constantino Philosopho? 29. 30. Slavicorum characterum inventor 30. 33. refutat Photium 59. 60. convertit Gazaros 29. 31. 32. 33. Bulgaros 32. 48. in Moraviam venit 56. 57. 58. 75. an fuerit monachus? 50. ejus zelus 64. Rasticem Moraviæ Ducem baptizat 65. verus Apostolus Moraviæ 66. Suatoplucum baptizat 70. 273. Non baptizavit Bogorem Bulgarorum Ducem 75. evocatur Romam 79. 86. objurgatur de ritu Slavico 87. purgat se 88. renunciat Episcopatui, fit Monachus 89. 369. num fuerit Episcopus 89. 90. ritus Slavici licentiam a Pontifice impetrat 88. 369. Christum Borzivojo annunciat 280. 281. vaticinium illius 281. 286. baptizat Borzivojum 282. perperam Hagecius ubivis eum S. Methudio substituit 286. Clericos Pragæ ordinat, sermonem facit in Teyn 364. 366. an fuerit unquam in Bohemia? 357. 359. S. Methudius eum mortuum Romæ deprehendit, sepelitur cum summa solemnitate 134. 135. moritur 369. mortis certior annus 136. statuitur in Ecclesia S. Petri 135. transfertur ad Ecclesiam S. Clementis *ibid.* claret miraculis 136. ejus reliquiæ inventæ 137. sanctis adscribitur 369. 446.
Czaslavienses cædunt Moravos 67.
Cziecho Judex Regni Boh. condit Ecclesiam Omnium SS. 357. 499.
Czistiborus Soraborum Dux 21. 26. occiditur 27. 37.

D.

Daciane provincia Boh. 183.
Dalemincia distinguenda a Dalmatia, paret peculiaribus Ducibus 21. in eam redeunt Hungari 414. mittitur Henricus 415. transeunt Hungari 622.
Dalemincii lacessunt Thuringos 201. cæduntur 202. invitant Hungaros 396. 414. multat eos Henricus 415. 493. 521.
Dalmatæ ad fidem Christi conversi 275. superantur 20. num Suatopluci imperium respexerint? 130.
Dalemilus non injurie fabulatoris censura notatus 38. 383.
Daniel constituitur Episcopus Moraviæ 342. 343. 344. 352.
Danubium transit Rastices, latrocinatus 17. regiones occupat 18.
Deditionis ritus 21. 22.
Denarius S. Petri 402.
Diepoldus idem qui Mstibog 125.
Dieti tutelæ commendatur Spitignæus 388.

Die-

Divina caſtrum Ratisbonæ dilidatur 62. quod illud? 64.
Dingolvingæ ſynodus 627.
Dlubcslaus Wrſſoveziue 299.
Dobrohorſky ſcriptor Bohemus 587. 588. 621.
Dobromirus Dux Zatecenſis 658. 659.
Dolanize præſidio munitur 203.
Doliſus Princeps Kurimenſis 5.
Drahomira nubit Wratislao 404. 531. 532. ex Brandeburgia non Bohemia prognata 406. 407. parit S. Wenceslaum 411. ei maritus ſuadet Chriſti fidem 412. parit Brzibislavum 429. etymologia nominis 432. involat faſces Ducatus Boh. 455. 457. comitia cogit 455. 456. odium illius erga Ludmillam, Wenceslaum & Chriſtianos 456. 459. 462. 465. 538. Palhogum ethnicum facit Pretorem urbis 465. ejus numus 468. eisdem ſuorum æquo fert animo 466. cædem Chriſtianorum fieri jubet 467. moleſte fert mortem Palhogi 468. jubet incendi Eccleſias 468. 471. exturbat Clericos Bohemia *ibid.* inſidiatur vitæ S. Ludmillæ *ibid.* ſubornat percuſſores 477. 484. 547. condit Eccleſiam S. Michaelis 479. 498. perſequitur percuſſores S. Ludmillæ 482. 484. 486. inſidiatur filio Wenceslao 514. 515. tumulat corpus S. Wenceslai 518. tyrannide regnat 553. violat legatos Thamemari 555. in exilium mittitur 578. 594. revocatur 633. ejus diræ, abſorbetur a terra 516. 517.
Druius ſuccedit Mſtibogio 244. 247. adverſatur S. Wenceslao 521. prædium illius invadit 522. in genua procidens deprecatur 523. 524. 527. baptizatur 523.
Drugoslaw frater Drahomiræ 517. baptizatur 528.
Dubravius biographus S. Wenceslai 614.
Ducalis pileolus 147.
Duellandi vetus ritus 526.
Duhan locus prælii 55.
Duringica ulnus 140.
Duringo committitur Zbislaus educandus 104. donatur nova urbe 109. inſidioſe perimit diſcipulum ſuum 137. præmium petit 138. ex laqueo ſe ſuſpendere cogitur 140. fuit natione Slavus *ibid.*
Durinkium civitas conditur 104. 108. 109.
Durſak Hungarorum Rex 502.

E.

Eberhardus frater Conradi Regis 463. 472.
Edgitd filia regis Anglorum nubit Ottoni 592.
Egræ vada muniuntur 203.
Ehnrath concubina Arnulphi 202.
Eliſabeth Caroli IV. uxor fundatrix hoſpitalis Romæ 480.
Emaus Slavorum cœnobio admiſcetur Slavicus ritus 197.
Embrico Epiſcopus Ratisb. cum difficultate fugit a Moravis 143.
S. Emerami patrocinio Moravos vincit Arnulphus 272. Epiſcopus Ratisb. 630. 632. ad ejus cœnobium mittitur Strachyquas 631.
Engildius exauctoratur comitatu 304. 306.
Engilmari Ep. Patav. obitus 388.
Engilſchalcus Dux Istrianus removetur a Carlomanno 48. hoſtis Suentepluci, mortuus 158. 159. filius Arboni bellum infert 168. recipit comitatum, ei adverſatur Zuentibaldus 281. exul apud Moravos, exoculatus 277.
Equina cauda ſignum bellicum Slavorum 87.
Erchanger Alamannia Dux mittitur in exilium 446. redit ab exilio 449. decollatur 460.
Erchenbaldus Ep. Eystetenſis 343.
Erfordiæ Henricus placitum tenet 636. 648.
Erico Daniæ Regi apparet S. Wenc. ejus honori condit baſilicam 567. 575. 576.
Ernuſtus Comes cum exercitu mittitur in Boh. 16. ſocer Carlmanni exauctoratur 48.
Erpf cadit in prælio 20. 23.

F.

Fames 117. 159.
Faſcia, faſciata haſta 562. 643.
Ferdinandus I. hæreditate S. Annonii refutatur 535.
Fertilitas 329. 331.
Feudo vexillum 561. 562. 643.
Flammulum 562. 643.
Forahheim placitum 241.
Formoſus Papa per Suentepluchum Arnulphi liberationem Italiæ commendat 248. 249. ejus Pontifi-

ificatus 245. lis cum Sergio 274. 276. mittit ad Arnulphum legationem 276. moritur, Slavorum Episcopus 315. 316. ejus corpus exhumatur 370. repertum venerantur imagines 371. acta contra eum in synodo rescissa 372.

Francis se jungunt Boemi 306. 307. fiunt tributarii 387. vincuntur ab Hungaris 433. eorum regnum vastatur 436.

Fridericus Patriarcha Aquilejensis 222.

Fuldaha vide Moldava.

G.

Gallias vastant Hungari 473.

Gana civitas expugnata ab Henrico 548.

Gaufridus inventor tornamentorum 601.

Gazari fuere alterius linguæ ab Hunnis 34. mittunt legatos Constantinopolim 31. convertuntur ad Christum 33. fuere Sinæ 32. 33.

Gazassa 29.

Gebehardus Comes occiditur 433.

Geisa pater S. Stephani 246.

S. Georgii Ecclesia condita 439. 442. 442. 443. in eam transfertur Corpus S. Ludmillæ 495. 498. 584. consecratur 502. 503. 584. incenditur 468.

Georgius Episc. Bulgariæ 92. Episc. Nitriensis vide Gorazdus.

Gerardus Præpositus S. Viti 610. Epist. Laureac. 617.

Gerberga filia Henrici nubit 585.

Germani irrumpunt in Boh. 39. 40. inter se discordes 352. 353.

Gersona 32.

Gestimulus S. Ivani pater 82. 419.

Geuinka præsidio munitur 203.

Gezerka fons 145.

Gisila uxor Suatopluci 171.

Glacium in civitatem transit 416. 417.

Glomaci vide Dalemінci.

Gœrliz 616.

Gorm Rex Daniæ vincitur ab Henrico 600. baptizatur 601.

Gorazdus Episc. Nitriensis 188. 193. sede sua ejicitur 194. 199.

Gotifredus Dux Moraviæ 362.

Græci schismatici 187. 188. cæduntur a Bulgaris, Hungaros navibus in Bulgariam transportant 313. eos bello petunt Hungari 396. cum Bulgaris bellum gerunt 534. 538.

Græcus ritus non est primum institutus in Boh. 198.

Gregorius Patriarcha Aquilejensis 362. Papa denegat Wratislao ritum Slavicum 197.

Greszy silva in Moravia 134. 379.

Groma civitas expugnata 548.

Guido Imperatoris nomen assumit 238.

Guila in Moraviam irrumpit 243. 246. fulmine perit 244. nomen dignitatis 246.

Gulpa fluvius 271.

Gunthcarus transit ad Ratisbonen, belli occiditur 53. 56. 113.

Guntus torrens 77.

H.

Hadrianus Papa solemniter excipit SS. Cyrillum & Methudium 79. corripit eos ob ritum Slavicum 87. 179. eum concedit 88. 89.

Hageeius primus Chronologiam induxit in historiam primorum Ducum 146. 308. 491.

Halusi condit Kukle 60.

Hartvigus Patav. Episc. 38.

Hasenburg castrum 155.

Hausek condit castrum 176. 177. baptizatur 177. 324.

Heberardus Dux 362.

Helena Henrici filia 532.

Henricus filius Ottonis Saxoniæ Ducis contra Dalemінcios mittitur 415. adversatur Conrado 445. contra eum bellum Wratislaus 446. designatur Germaniæ Rex 462. eligitur 472. parere nolentes Principes in ordinem redigit 482. 483. Slavorum sævitiam reprimit 499. invitat S. Wenceslaum ad Comitia 503. honorem præcipuum illi defert 504. 505. 506. brachium S. Viti ei donat 505. 509. movet in Boh. 513. ejus hastiludia 526. Hungari ei bellum intentant 528. vincitur 529. pacem facit 539. Brandeburg capit 540. Dalemінciis bellum infert 548. Misnam condit 549. Boe-

mos laeſſit 555 Pragam obſidet, S. Wenceslaum in deditionem accipit 555. 556. Rhenum tranſit 557. Boemos facit tributarios 557. 558. 559. 560. num S. Wenceslao Ducatum in feudum dederit? 561. ei fidelis S. Wenceslaus 593. vincit Daniæ Regem 600. 601. ſubjicit ſibi Milzenos 615. 616. ejus regnum invadunt Hungari, quos cædit 622. 623. Ucranos vincit 633. Erfordiæ placitum celebrat 636. 648. an brachio S. Viti S. Wenceslaum donaverit 636. 637. &c. num regis titulo 640. 641. num aquila 642. &c. moritur, verus annus mortis 651. 652.

Henricus Vicarius Generalis Olomuc. 656.

Heriman Dux Boemorum caditur 143.

Heroldus Daniæ Rex 22. fit miles Ludovici 560. 561.

Hevelli bello petuntur ab Henrico 540. fiunt tributarii 585.

Hezilo ſuccedit Prſvinnæ 44. 45. 46. in Carantania ſubſtituitur Gundacaro 53. mittit pro fidei doctoribus 57. apud eum Archiep. Juvavenſis 69. ejus ditiones 70. an Dux Carnorum 175. filius Brazlavo 222.

Hildebertus Archiep. Mogunt. ungit Ottonem 652. 654.

Hizo biographus S. Wenceſl. 614.

Hnievſa ſatelles Boleſlai 566. percuſſor S. Wenc. 572.

Hogerus Epiſc. occiſus 449.

Horak Krasnikum inopinum opprimit, præmiatur 42. 43.

Hormidorus Moraviæ Rex 53.

Hoſpitale Bohemorum Romæ 397. 398. 399. 400.

Hoſpoſyn mons 190.

Hoſtias pinſit S. Wenceslaus 487. ritus vetus 488.

Hoſtivid naſcitur 4. etymologia nominis 6. 147. Neklani filius 124. creatur Dux 145. datur ei uxor 145. circa ejus regimen Chronologia 147. ei adverſatur frater, conciliatur 152. cingit caſtrum Klapay 154. cædit Miſtibogium 160. periculum ſubmerſionis evadit 172. novus hoſtis illius Sukoslaus 181. 182. 203. ejus inſidiis oppugnatur, munit Budinam 204. caſtrum condit 218. 219 a Miſtibogio bello petitur 223. 224. limites ſui Principatus ſtatuit 226. ſtruuntur illi inſidiæ 229. captivi Moravi illi ſubtrahuntur 230. imploratur pro auxiliis 234. moritur 245. 247. ejus ſimulacrum 248.

Hoſtivod ſacerdos familiaris S. Wenceslai 612.

Hrabic unde enatum nomen 176. 177. Hrabcorum ſtirps 176.

Hraboslaus pater Miloslavæ 145.

Hradczanenſis porta 498.

Hradecii S. Clementis templum conditur 283. 299. 300. benedicitur 301.

Hradiſſtium caſtrum 131.

Hringus Hunnorum 114.

Hrobka, hic tumulatur Neklanus 145. Hoſtivitus 245.

Hromikus Dux adverſæ factionis Borzivojo 317.

Hruskolaut 523. 526.

Hungari in Pannoniam ſe immittunt 242. epocha adventus, origo, mores 243. 247. redeunt ad ſua 244. amice utuntur Suatopluco 246. evocantur ab Arnulpho 268. 269. 270. 272. cum Suatopluco pacificantur 273. 279. invitantur a Leone Imp. 896. Pannoniam vaſtant 302. cæduntur a Bulgaris 313. Pannoniam incolunt 313. 314. Italiam invadunt 332. 333. 334. 349. 368. 372. 387. 502. 520. 649. eorum juramentum per canem & lupum 337. 346. recipiuntur a Moravis 347. invadunt Bavariam, Moraviam occupant 354. 355. 356. ſternuntur 362. 363. 367. Nitrienſem ditionem occupant 373. 385. 386. vincunt Ludovicum 387. 392. 432. 433. infeſtant Græcos, Saxoniam 396. invitantur a Dalleminciis, tranſeunt Boemiam 397. 414. 415. 623. vincunt Bavaros 407. 408. Boemi illis reconciliantur ibid. evertunt regnum Moraviæ 410. Saxoniam infeſtant 414. 453. 493. Alemanniam 427. 440. 444. Franciam vaſtant 435. invadunt Regnum Conradi 448. 449. Germaniam 459. 501. 539. Gallias 473. 520. cæduntur ab Henrico 586. 622. 623. bellum ei inferunt, vincunt 528. 529. capitur Dux eorum, pacem faciunt 539. vaſtant Moraviam 615. invadunt orientis imperium 632. Bajoariam 649. 650. eorum limites 386. 416.

Hunni Turcorum nomine indigitantur 34. Chriſtiani 64. ante expeditiones bellicas cruentatum muronem circumferunt 86. eorum per enſem juramentum 205. an iidem cum Hungaris 247.

I.

Jaroslaus ſcriptor Bohemus 244. 247.
S. Ignatius Patriarcha Conſtant. 59.
Jejunium olim Eccleſiaſticis functionibus præmitti ſolitum 259.
Iglavia 299.
Imperatores nonniſi Romæ coronati 253.
Ina Anglorum Rex Romæ condit ſcholas 402.
Indictio Italica a Kalendis Septemb. incipere ſolita 333.
Inco Slavorum Dux 285.
Inus flav. 440.
Joanna Papiſſa fabula eſt 6. 7. qui ejus authores 8. 9. 10.
Joannes VIII. Papa mittit legatos Conſtantinopolim, dat literas ad S. Methudium ob ritum Slavicum 179. 180. 181. evocat Romam illum 183. alia ejus ad eundem epiſtola 184. 190. 206. ad Suatopluc. 186 *IX. Papa* mittit Archiepiſcopum & ſuffraganeos ad Moraviam 342 343 ad eum ſcribit Hatto 348. *Archiepiſcopus Moraviæ* qui fuerit 352. 443. 430. 342. 344. 346. 352. *Podivinenſis Epiſc.* 438. 443. 460. ſit Archipreſul Moraviæ 446. 447. reconciliat Eccleſias 437. conſecrat templum S. Viti 597. *Poleſſovienſis Epiſc.* moritur 617. *de Novo-Foro Epiſc. Olom* biographus S. Wenc. 614. *Archiep. Pragenſis* fundat hoſpitale S. Antonii 534. *presbyter de Venetiis* legatus mittitur a Suatopluco 157. 158. 186. 187.
S. Joannes Bapt. dat Selvano crucem 421. Slavis in veneratione 422. in vigilia illius baptizatus Borzivojus 257 282. 287. Eccleſia inceditur 468. 471. ſub rupe cœnobium 426. Evangeliſtæ capella a S. Wenceſl. condita 589 613.
Iſanricus filius Arbonis 226. inflammator diſſidii inter filios Suatopluci 327. in deditionem ab Arnulpho accipitur, fugit, reſtituitur Comitatui 335. ei reconciliantur Bavari 361. exſus 408. 410.
Iſengrinus Epiſc. Ratisb. ſucceſſor Turonis 602. conſecrat Eccleſiam S. Viti 510. 512. 527. intereſt ſynodo Dingolvingenſi 617.
Italiam invadunt Hungari 332. 333. 368. 372. 502. liberatur 348.
S. Ivanus venit in Boh. 82. ejus cognatio, geſta ſub ingreſſum 82. 83. incepat Borzivojum de cerſa cerva 418. prodit genus, natales, ætatis rationem 419. 423. ad eum inviſit S. Ludmilla 423. vocatur Tetinium 420. 124. mira circa reditum ibid. lemures fugat cruce a S. Joanne accepta 421. moritur 421. 424. ad ejus tumulum prodigia 425. ex Alabaſtrite fit ei tumulus ibid. ejus antrum 418. 420. 425. ſacellum hic conditur 422. 424.
Jupiter Slavis Perun 241.

K.

Kaplirziorum originarius Mileſſius 205.
Kaſſinium obſidetur 160.
Kaurzim vide Kurim
Kaych presbyter eum Borzivojo ad Boh. migrat 299. redit 303. baptizat S. Ludmillam 323. vide etiam Paulus.
Kiuſtiza alphabetum Slavicum 29. 325.
Kladoslavienſes cæduntur 214.
Kladno oppidum 36.
Klapay caſtrum 153. 154. aliter Hafenburg. 155.
Klanzko ita Glacium olim appellatum 416. etymologia 417.
Klipta ſcriptor Boh. 140. 141.
Kolodegius capit Kurimium 51. 52. cadit in prælio 55.
Kornburgum obſidetur 144.
Kotnow caſtrum 131.
Kram auri fœnx 117. 118.
Krasnik Curimenſis hoſtis Nokleni 39. 40. ægre fugit 42. adverſus eum expeditio 46. per totos urbis ſe demittit, fugit ad Moraviam 52. 53. occiditur 67.
Krboſſius Nieromanta 245.
Kroſmielus Wlſovecius conjurat adverſus Hoſtivitum 252. concitat Miſibogium 213. fugit 214. deſecrit 219. 224.
Kroſyna Dea a Ludmilla culta 260. 261. 262. 267.
Krzeſobojus Strachiquatis moderatur 629. 631.
Krzesmus contra Sukoslaum mittitur 204. 206. cum Mileſſio conſligit 209. obſidet Sukoslavium 214. 216. condit Krzeſin 215. 216.
Krzizium reſumatur 382. 383. de in præſen-

Kukle conditur 60. 61.
Kuman percussor S. Ludmillæ 475. 476. 477. 479. 547. præmiatur a Drahomira 477. 481. cum ea tyrannice regnat 553. condit castrum Waldek 477. capitali sententia damnatur 554. ejus stirps extincta 481.
Kurim urbs restauratur 4. aliud nomen accipit 5. 6. 527. obsidetur, capitur 51. 52. provincia diripitur 46. 235. eadem cum Zlicensi 125. 126.

L.

Lanceæ fasciatæ 561.
Latina lingua missæ legi præcipiuntur 197. literarum latinarum tempore S. Methudii non magnus usus 324.
Lauczka fertilis ager 78.
Launa 232. cogitur conciliabulum 618.
Laurentius Monachus Cassin biographus S. Wencesl. 614.
S. Laurentii Ecclesia conditur 542. 543.
Laureacensis Ecclesia habuit 7. suffraganeos 196. transferre eam meditatur Wichingus in Slaviam 298. 299.
Lebedias Wogewodus Ungarorum 243.
Lebus urbs humi sternitur 616.
Lecho Dux 106.
Lelu Dux Hungarorum 334. 649. 651. innectitur furcæ 651.
Leo Imp. cum Bulgaris bellum gerit 278. 279. invitat Hungaros ibid.
Leo in clypeo S. Wenceslai 647.
Leopater castrum 362.
Leslaus Kurimensis moritur 163. 165.
Lestko Pol. Dux moritur 461.
Letomilus sacerdos 542. 544.
Lew de progenie Wlastislai 153. 154.
Lewigradez oppidum 25.
Leytha fluv. 441.
Libussæ de S. Wenc. vaticinium 413.
Licus fluv. 385.
Liczko urbs 5. provincia 525.
Lidoslava uxor Slaviboris 266. 267. baptizatur 324.
Linonibus infertur bellum 37. quærunt se tributo eximere 173. eorum situs 174.
Lintzæ portorium 201.
Litomericensis regionis fines 16.
Litomisslii S. Clementis primum templum 300.
Liudevitus Pannoniæ Dux 114.
Liuticii Slavi 406. 540. amici Boleslai 407. 594. venduntur Bohemis 536.
Lobkoviciorum originarius Zlobecz 47. ad Sixtum Papam epistola 401.
Locustæ 151. 152.
Lodenicze fluv 83.
Lœbavia urbs 616.
Logitz auri ferax 117. 118.
Lopotæ creant Hostivitum Ducem 145.
Losbudo eruuntur oculi 19. item Loskotæ ibid.
Lowin conditur 61.
Ludi equestres 43. vide torneamentum.
Ludmilla filia Slaviboris 173. nubit Borzivojo, cultrix Krosynæ 260. 261. 267. parit Spitignæum 266. dolet se non fuisse participem baptismi mariti 283. ejus pium somnium 321. 322. baptizatur ibid. tutrix Wenceslai & Boleslai 433. 457. 458. 530. concedit Tetinium 388. 456. 458. 538. desiderio flagrat S. Ivani videndi 420. ad eum concedit 423. invidet illi tutelam Drahomira, insidiatur illi 475. 538. præparat se ad viam æternitatis 475. martyrio afficitur 476. 547. annus verus martyrii 544. 545. 546. tumulatur 477. 548. miracula ad ejus tumulum 554. 590. ejus corpus levatur 494. 495. 497. transfertur Pragam 498. 582. 500. reperitur incorruptum 495. 496. 500. translationis annus 499. 582. 583. ad S. Georgium deponitur 584. statim a martyrio culta 591. ejus simulacrum 592. vitæ scriptores 261.
Ludomira sponsa Suatopluci 131. baptizata 324. mortua 161.
Ludovicus Germaniæ Rex appetitur bello 6. invadit Boh. 16. 20. 130. 142. bellum movet Rastici 17. superat Dalmatas 20. partem exercitus amittit, 22. restaurat bellum 26. Boemorum fœderatos lacessit 37. 43. 44. in Obotritos ducit exercitum 53. adversus Bogorem 62. castrum Rasticis obsidet 62. 63. dividit inter filios regnum 69. multatur a Moravis seu Boemis 93. mittit limitaneos Comites contra Boemos 110. aegrotat 113. Rasticen privat oculis 119. 121. male multatur a Suatopluco 128. caeditur 142. vincit quinque Duces

cta Bohemorum 143. pacem facit cum Slavis & Boemis 149. Moravis 157. aspirat Rom. Imperium 158. aggreditur fratrem Carolum duplici exercitu 161. moritur 166. victor Slavorum & sæpe ab iis victus 167. *filius* Pannoniam & Bohemiam subigit 3. contra Obotritos mittitur 37. Thuringiam, Franciam, Saxoniam accipit 69 rebellat patri, conciliatur 74. cædit Sorabos, Boemos, cæditur 110. 111. 113. non vult auxilia ferre Carlmanno contra Moravos 142. vincit Carolum Imp. 169. compescit Linones & Siuslos 174. moritur 210. *puer* eligitur in Regem 333. 349. ejus progenies 346. pacem facit cum Moravis 361. vincitur ab Hungaris 387. 432. 433. ejus regnum sub tributum mittitur 387. 392. moritur 436. *Imperator* moritur, privatur oculis 368. *Balbus* num fuerit Imperator 175.

Luitbertus Archiep. Mogunt. contra Bohemos in expeditionem missus 143. 144. reprimit Sorabos 156. causa exauctorationis Caroli Crassi 233.

Luitpoldus fit limitaneus Comes 304. 306. auxilio mittitur Zuentibaldo 326. cædit Hungaros 355. belli cadit 407.

Luitpramus Salisburg. Archiep. 4.

Lunkini civitas 593.

Lusatæ tributarii Henrici 615. 616. num Boemis paruerint 356. 357.

Luticz num Patria Drahomiræ 404. fuit pagus Slavicus 406. [illegible], oppidum 407. 418.

Luzenses capiunt Paczow 19. vastant Slanensem regionem 36. in prælium egrediuntur 98. 102. cæduntur *ibid.* submittunt se Neklano 109. *vide etiam* Zatecenses.

Luzensis provincia in Moravia 125. semper suos peculiares Duces habuit 126.

M.

Mainhardus Episc. Prag. 61.

Mansionariorum Calendarium 546.

Marahenses *vide* Moravi.

Marcomannorum nomine Bohemi indigitari soliti. 464.

Marisus fluv. 313.

Martinus Polonus oriundus ex regno Boh. non est author fabulæ Joannæ Papissæ 7. 8. 9. 10. 11.

S. Matthæi ecclesia 495. 515. 519.

Maura præsidio munitur 203.

Meginger mergitur in Arabone 220.

Mersaburii adversus Boleslaum 657.

Merseburgum 623. 638.

Methodius libet 30. 80.

S. Methodius frater S. Cyrilli Apostolus Slavorum 29. 30. 31. Bogori extremum judicium depingit 49. num monachus 50. in Moravia ejus zelus 112. 116. per alia Slavorum regna 175. 178. 228. ei refragatur Suatoplucus 123. 124. 132. 375. quem excommunicat 133. Romam abit 134. 135. 376. accusatus Romæ 180. 181. 183. 187. ad eum epistola 184. 206. hæresis insimulatur, vindicatur 184. 185. 188. purgat se Romæ, fit Archiepiscopus 190. 191. 193. 142. approbatur illi ritus Slavicus 192. 365. 374. 378. an septem Suffraganeos habuerit 195. ei molestus Wichingus 207. Borzivojum ad Christi fidem perducit 258. 259. ad Bohemiam concedit 228. 376. 321. 322. 404. baptizat Ludmillam & filios 321. 323. Drahomiram exhortatur ad Christi fidem 412. ei commendat Moravos S. Cyrillus 89. deprehendit S. Cyrillum mortuum 134. ejus corpus ad S. Clementem transferri erat 135. moritur 300. 301. 406. 428. 430. Sanctis adscriptus 446. ejus reliquiæ inventæ 137.

Michael Episc. Ratisb. num consecraverit ecclesiam S. Viti 625. 626. 627. invitatur ad Boh. 595. 596. 597. *Imperator orientis* ad eum legatio Gazarorum, Moravorum 31. 33. 34. calumniatur linguam latinam 81. Bogorem bello petit 49. ad fidem Christi cum populo perducit 49. 50. augurandi studio vitiose deditus 40. *Bulgarorum Rex* 307. 313.

S. Michaelis ecclesia Tetinii conditur 428. 429. 479. 480. 496. 498. 501. 554.

Miecislaus Dux Ratibor. 10.

Mielnik olim Bssow 173.

Miesko Polon. Dux 462. 463.

Milessius condit Milessov, hostilitates exercet 189. 190. opprimit præsidia Hostiviti 204. originarius Kaplirniorum 205. confligit cum Krzezo, cadit 209.

Milessov conditur 189. 205.

Mi-

Miloslava uxor Hostivitæ 145. 147. parturit Borzivojum 152.
Milzeni in auxilium vocant Zuentibaldum 238. 239. tributarii Henrici, eorum fines 615. 616.
Miseli tutelæ commendatur Spitignæus 388.
Mirohojus architectus 442 443.
Miroslava uxor Rasticis 66. soror S. Ludmilæ 82.
Misni urbs condita 549. 594.
Mina vide Mna.
Moimarii 346. Moimirus vide Moymirus.
Moldava fluv. 143. 144. 604. 609.
Monsburn castrum 93.
Morava fluv. 388. 396. limes inter Boemos & Hungaros 416.
Moravi Privinam occidunt 17. bello lacessuntur a Ludovico 37. 38. tributo annuo se eximunt 41. 167. 344. 345. 349. ad Christi fidem a Bavaris adducti 65. 344 351. convertuntur ad Christum 57. irrumpunt in Boh. 67. 235. debellati 94. 113. 236 Selegamensium Ducem eligunt 126. nuptias instruunt 130. excommunicantur 133. victores 142. auxiliares Ludovici 161. Carlomanni 175. pacem faciunt 157. 263. 265. 304. 368. legibus Portoriis in Norico subjecti 201. mittunt legationem ad Carolum Imp. 210. 211. cum Polonis bellum gerunt 239. emptionem silis impedit Arnulphus 270. contra eos queruntur Bohemi 319. eis reconciliari studeut Bavari 336. 347. 351. 361. contra Bavaros queruntur 343 344. 345. recipiunt Hungaros 347. jurisdictionem Pataviensis Episcopi respiciunt 351. lacessuntur a Bavaris & Boemis, vindicant se 353. cædunt Hungaros 363. 367. diripto regno ad varias gentes transeunt 410. resistunt Henrico 513. suppetias ei dant 529. eorum terras occupant Hungari 529.
Moravia, ejus regni initium 18. 222. 128. in eam venit S. Methodius 50. accipit Archi-episcopum 91. 92. 89. vastatur 110. 111. 113. 326. 353. 354. 376. 378. Ludovico subjicitur 123. ejus limites 129. 144. 354. num portio Carolomanni 169. 170. an habuerit septem episcopatus? 195. 196. 352. a Mstiboje lacessitur 230. 232. 244. 246. ab Arnulpho & Hungaris 268. 269. 277. 278. 334 335. 340. non fuit Francis subjecta 303. eam occupant Hungari 354. 356. excommunicantur 376. 378. 379. vastant Hungari 446. 455. 586. 615. 604. caret episcopo 617. num 8. Wenceslao concessa 642. exsciuditur, ejus tempus & causæ 133. 134. 304. 337. 379. 409. 410.
Mosburgum castrum in Pannonia 70. 314.
Moymirus natus 161. *filius Swatopluci* primo genitus mortuo patre accipit Ducatum 305 306. dissidet cum fratre 315. 326. legationem mittit ad Arnulphum 319. contra eum Ludovicus 326. contra Hungaros excubat 327. 332. ad eum confugit Isanricus 339. meditatur metropolitanam sedem 338. accipit a Joanne IX. Archi-episcopum & duos Episcopos 342. 343. trans Danubium reducit copias 356. pacem facit cum Bavaris 361. 362. ubivis premitur 373. 374. perimitur 368. 410.
Moyslaw Dux Boiorum creditur 143.
Msa fluv. 78. 417.
Mstibinium condirur 152. 155.
Mstibog Neklani filius 124. 125. nuptiis Hostiviti interesse refugit 146. conjurat adversus eum 152. pacem tractat 152. 153. violat 160. Kurimensem Ducatum obtinet 164. 165. declaratur successor Hostiviti *ibid.* fratri deprecatur 224. limites Dunam statuit 226. sollicitatur ad defectionem 229. Moraviam lacessit 230. auxilia petit a fratre 234. profligat Moravos 235. 236. 239. Oheb munit 244. suppetias mittit Sukoslao 213. in exercitu Zuentibaldi 221. invadit ditiones fratris 223. moritur 244.
Mutara civitas 327. obsidetur 335.

N.

Nasa aurea clypeus Wrssoveciorum 231.
Nebihost filius Neklani moritur 124.
Neklanus salutatur Princeps, ducit uxorem 1. etymologia nominis 2. 3. ei bellum minatur Wlastislaus 12. 13. bellum ei suadetur 23. meticulosus 24 25. 36. ejus novus hostis Krasnik 39. præmiatur Horakum 42. expeditionem mittit adversus Principem Kurimensem 46. vincit 51. 52. intentatur ei rursus bellum 54. præoccupat Moravorum irruptionem 67. exornat Wisschradum, argenteos & aureos nummos procudit 71. 72. 73. insolens ei mittitur legatio 84. 85. 94. refugit prælium 96. Stryro personam suam sustinendam committit 97. vidtur Zatecium occupat 103. parcit Wlastislai filio

104. redit 105. 117. de subigendo Principatu Kurimensi cogitat 124. pessime verbis accipit Duringum 139. morte eum multat 140. moritur, tumulatur 145.
Neklanka turris 71. 72.
Neklasovina mons 225. 226.
Newogio eruuntur oculi 19.
Nicenus Budecensis Doctor 326. 445.
Nicolaus Papa Romam vocat SS. Cyrillum & Methudium 79. 80. 81. moritur 79. 87.
Nitria urbs expugnatur 385. 386.
Nitriensis ditio a Zuentibaldo occupatur 45. ad Christum conversa 66. occupant Hungari 373. 374. episcopatum deserit Wichingus 299.
Nizici pagus Sorabicus 41.
Nosislaus Zuentibaldi bellidux 235. 237.
Nova Praga dicta olim Micro-Praga 498.
Numi aurei, argentei Boh. 72. 73.

O.

Obotritis infertur bellum 37. 241. 242. cum muneribus Arnulphum accedunt 306. venduntur Boemis 536. tributarii fiunt, eorum situs 585. rebellant 592. eorum Rex baptizatur 594.
Odogra fluv. 271.
Odrifausus plurium familiarum originarius 113.
Oheb mons 235. castrum 240. 241. moritur hic Mstibogius 244.
Olomucii sedes episcopalis 197. an S. Methudius hic tumulatus 301.
Omnium Sunctorum capella fundatur 357. 358.
Omuntersperch colloquium Arnulphi cum Zuentibaldo 249.
Opukow mons 19.
Oppavia patria Martini Poloni 10.
Otto Dux Saxoniæ mittit Henricum filium adversus Dalemincios 415. ei defertur regnum 436. *filio Henrici* præparatur regnum 503. 504. ducit Edgildem 592. designatur Henrico successor 649. 652. obsidet Pragam 655. Boleslao bellum movet 654. 655. cæditur 657. *Frisingensis Episc.* moritur 409.
Ottonianus Anonymus biographus S. Wencesl 578. 579 580. 581. 582. 613.
Oxa clypeus Wrssoveciorum 231.

P.

Pagani convertuntur 329. 331.
Palhogus creatur prætor, Christianos opprimere contendit 465. 467. cædit Christianos 466. domi suæ cæditur 467.
Pannoniam subigit Ludovici filius 3. olim habuit septem episcopos 195. vastatur à Zuentibaldo 216. 217. 220. 221. eam ille obtinet 221. 224. 225. occupant Hungari 242. 313. 314. 356. vastatur ab illis 302. 336. ejus lamentabilis status 421.
Papia ab Hungaris incenditur 520.
Pataviensis Episcopus jurisdictionem exercuit in Moravia 344. 351. in quinque episcopatus dicitur 344. 347. 351.
Paulus capellanus S. Ludmillæ mittitur ad S. Juanum 420. ab eo corpore Christi refertur 421. institutor S. Wenceslai 433. 439. ei confitetur S. Ludmilla 475. 547. tumulat B. Ludmillam 477. mittitur pro levando ejus corpore 494. 496. 497. *vide etiam* Kayeh. *Anconitanus episc.* defert litteras ad S. Methudium 179. 185.
Pazinacitæ 35. 313.
Pazow capitur 19. 20.
Perun Slavorum Jupiter 242.
Pestis 159.
Petro Bulgariæ Regi traditur Yrene 534. 537.
Petrus Dux Venetiarum fugat Hungaros 372. 373.
SS. Petri & Pauli ecclesia conditur 329. 330. 542 543.
Photius confutatur à S. Cyrillo 29. 59. ei ille non communicavit 60. schismaticus 81. 187. 188. vendicat sibi jus in episcopos Moraviæ 188.
Pisonium conditum 218.
Pistnicium locus prælii 160. 161.
Podbaba ripa Moldaviæ 106.
Podivinus oliens S. Wenc. 489. calefit ex ejus vestigiis 485. pro sacerdote mittitur 565. suspenditur 567. 574. transfertur Pragam 607. 613.
Pœnitentiæ olim austeritas ob parricidium 630.
Polonia subjecta Svatopluco 129.
Polonorum bellum cum Zuentibaldo 237. 239.
Pomeraniam Poloniæ adjecit Semovitus 394.
Ponislawka uxor Neklani 1. enititur filium 5.

Po-

Poppo sternit Slavos 202. bellum gerit cum Eginone 216.
Postelbergensis regio donatur Duringo 105. 109.
Poryczan pagus 604.
S. Procopius lingua Slavica institutus 325.
Praga credita Wiztrah 26. domus pauperum 401. curia regalis 499. obsidetur 555. 655. minor olim nova Praga dicta 498. 543.
Pragenses procedunt contra Moravos 67. 97. obtinent victoriam 102. 103. 214. Duces præcipui 144. forum, isthic pugna 465. 466. 467. 469. Pons 604. 609. 610. carcer 605. 610. 611.
Prinnina munificus in Ecclesiam Salisb. 3. 4. in Altaham 44. occiditur a Moravis 17. 44. 45.
Prostislaus e stirpe Slavatarum 28.
Prostiwodus 229. 230.
Pruskowskii e Bilineis orti 183.
Przemysli mitra, cothurni 145. 147.
Przibislava nascitur 429. 432. detegit aurem S. Wenc. 602. 606.
Przibik rimator montium 153. originarius Klenoviorum 155.
Przibram argenti ferax 153. 155. 156. urbs conditur 222. 223.
Przimda castrum conditur 533.
Pueros attondendi ritus 631. 632. capti baptizantur 535.

Q.

Quadragesimæ tempore interdictæ expeditiones bellicæ 16.
Quercus fortis equitis, seu bustum Styri 103. 108.
Quernæ tabulæ 164.
Quinque Ecclesiensis Episcopatus 4. 197.

R.

Radegastus Mars Slavorum 216.
Radislavia munimentum Moraviæ 114.
Radobylus Zatecensis Dux 659.
Radoslaus sacerdos 596.
Rani convertuntur, deficiunt 164.
Ratisbonæ triumphus ob cæsum Gundacharum 113. exceptus Arnulphus 272. Carolus Crassus 228. Zuentibaldus 234. legatio Slavorum 237. placitum, in quo Spitignæus & Wratislaus 307. comitia 361. 503. 507. 508. obsidetur Arnulphus 483. huc mittitur Strachyquas 631.
Ratisbonensis Episc. exercet jurisdictionem in Boh. 302. *Coepiscopus* tumulat S. Ludmillam, consecrat Ecclesiam S. Georgii 584.
Rastislaus *vide mox* Rastiz.
Rastiz Moraviæ Dux adversus Ludovicum 6. 17. regis titulum assumit 13. 18. trans Danubium terras occupat 18. bello petitur 27. 37. 56. 110. 111. mittit legationem Constantinopolim 34. 57. cæditur 38. 113. pacem petit 38. num Prinninam occiderit? 45. ei fœderatur Carlmannus 48. ad eum confugit Gundacarus 53. deserit Carlmannum 56. obsidetur, dedit se 62. 63. baptizatur 65. 66. invitatur ad socia arma a Ludovici filio & Zuentibaldo 74. dissentit cum Bohemis 112. quærit perimere Zuentibaldum 118. 119. capitur, extraditur Ludovico, privatur oculis, in monasterium retruditur 118. 119. 120. 121. ignotum quando & ubi mortuus 121. nominis etymologia, genealogia 122.
Ratislaus *vide* Rastiz.
Ratpodus exauctoratur 18.
Regionarii Episcopi 92.
Rhedarii 516. facti tributarii, eorum situs 585. vincuntur 592.
Rheginus fluv. 158. 159.
Richarius Episc. Patav. 338. 343. in expeditione contra Hungaros 355. mittitur legatus ad Moraviam 361. 362.
Richbaldus Archipresb. Salisb. abit ob ritum Slavicum 178.
Rokytnice torrens 604. 609.
Romanus orientis Imp. 534. 537.
Romæ hospitale Bohemorum 397. 398. 399. 400. 401. plerarumque gentium scholæ 402.
Rosanus scriba 164. 166.
Rosenbergii Curatores hospitalis Romani 400. 401.
Rosenses dicti Witkones 28.
Rotbodo captivus reddidur a Zuentibaldo 128.

Rudovium 235. 237.
Rugiani convertuntur 162.
Ruodaldus Comes mittitur adversus Boh. 130. 131.
Russia Suatopluco subjecta 129. 274. 275. 284.
Ruthenici characteres 325.
Ryxnerus fabulator 601.

S.

Sæculum X. nigro carbone notatur a scriptoribus, vindicatur 341.
Salanus Dux Moravorum 373.
Salius biographus S. Wenc. 614.
Salomon Episc. Constantiensis capitur 449.
Samodruch idem qui Strachyquas 575.
Sarmatarum nomine veniunt Slavi 520. 521.
Sarowe proprietas Taculsi 150. 151.
Saxones mittuntur adversus Moravos 142. adversus Boleslaum 657. eorum duellum cum Slavis 526.
Saxoniæ magna pars Suatopluco parnit 129. infestant Slavi 368. Hungari 396. 414. 528. item Bohemi 449. 453.
Saxum sanguine S. Ludmillæ tinctum 477. 480. in quo Duces Boh. inaugurari soliti 248.
Sazaviense cœnobium ritu Slavico institutum 325.
Scharka rivus 106.
Schlavitza Dux Boh. 27. 28.
Sclagimarus presbyter eligitur Dux a Moravis 126. fugatur 127.
Sclavitagus expellitur e civitate 26. ad Rasticem confugit 27.
Semisinus legatus missus Romam a Zuentibaldo 193.
Semovitus Poloniæ Dux 227. bellat cum Moravis 239. invitatur a Suatopluco 279. 284. Pomeraniam subigit 394. 395. moritur 394.
Sepultura in agris 429. 432.
Sergii cum Formoso Papa lis 274. 276. *Episc. Belogradensis* intruditur 92.
Sighardus Abbas Fuld. in expeditione contra Boh. 143.
S. Sigismundi reliquiæ 509.
Silesia antiquitus nomine Poloniæ venit [illegible] denarium S. Petri præstare solita 402.
Sirmium 130. 132.
Siusli non sunt Silesii 110. reprimuntur 1[illegible] 173. 174.
Skalense cœnobium 426.
Skalicz castrum 52.
Skalka castrum 14. 16.
Skalyk mons 236.
Skwow bellidux Hostiviti 22[illegible].
Slanensis ditio diripitur 36.
Slavatarum origo 27. 28.
Slavi in Comitiis 3. movent arma adversus Ludovicum 6. deficiunt ab illo 17. bellicosi 23. juramentorum tenacissimi 63. eruentatum mucronem ante expeditiones circumferunt 86. auguria capiunt 106. vexilla habent Dearum imagine insignita 87. per ensem jurant 106. sanctorum nomina in baptismo suscipiunt 122. fœderatione facta *Slavicum* regnum constituunt 128. Suatopluco certis conditionibus se submittunt 129. eorum Deus Suantevit 163. inter auxilia Carlmanni 174. in auxilium sumuntur a Zuentibaldo 219. eorum legatio Ratisbonæ 237. in Foraheim 241. eorum Dii 240. 241. eorum insolentiam reprimit Arnulphus 263. infestant Saxoniam 368. 369. mortuo Zuentibaldo scindunt se a Moravis 306. eos reprimit Henricus 493. 593. 541. contra eum insurgunt 520. 592. eorum duellum cum Saxonibus 526. qualis apud eos servitus 536.
Slaviborus pater S. Ludmillæ muris cingit Bssovium 171. vix periculum submersionis evadit 172. filius ejus Hausek 176. 177. objurgat Sukoslaum 182. obsidet Sukoslavium 214 vocatur ad lustricas epulas 266. baptizatur 324. ejus pietas 359.
Slavicæ literæ inventæ & doctæ a SS. Cyrillo & Meth. 324. 325.
Slavicus ritus admittitur 88. 180. 181. interdicitur 179. 180. 181. 324. 325. approbatur 192. 193. 197. 198. 199. 324. 325. 365.
Slavietinium præsidio firmatur 203.
Slavimirus Olomuc. Episc. 202.
Spitignæus nascitur 266. 267. sequitur Ducatum Boh. 388. 389. 390. 395. condit Ecclesiam in Budecz 389. 390. S. Mathæi 391. reconciliatur Arnulpho 307. sociat se Francis 354. baptizatur.

tur 321. 323. 324. insidiat patri 393. 394. moritur 394. 450. 490. pluribus annis gessit Ducatum Boh. 490. 491. 492. ætas 492. in Teyn conditur 429. 431. primus è Ducibus Christianus dicitur 287. 288. num Romæ condiderit hospitale 397. 402. 403. ejus numus describitur 403.

Spoitimar Dux Boh. cæditur 143.

Sorabi, eos belli socios facit Ludovicus 20. 21. infert illis bellum 37. Ducem suum occidunt *ibid.* convertuntur 41. Thuringiam infestant, cæduntur 110. 201. 202. non fuere Germani sed Slavi 141. reprimuntur 156. Suatopluco censum solvunt 157. Arnulpho munera deferunt 320. baptismi expertes 299.

Srbi *vide* Sorabi. Srbia Cosmæ Dalemincia 21.

Sroskius insidiarum commonet S. Wenceslaum 564. 569.

Sskramik bellidux Hostiviti 223.

Sskworez oppidum 4.

Starkoczium 235. 237.

Stepennaja Kniga 30.

Stephani V. mors 255. sextus Formosi cadaver in Tyberim projicit, ejus pœnitentia 370. 371. 372.

S. Stephanus consanguineus S. Ivani 82.

Stilfridus 309. *vide* Stroymirus.

Stochow dotale castrum Drahomiræ 117. 118. 486. 588.

Stodor *vide* Ztodor.

Straba a noverca veneficæ præceptiones quasdam accipit 96. 106. ejus uxor belli conflixerat 102. 103. pictura hujus historiæ 107. 108.

Strachyquas nascitur 567. 575. Ratisbonam mittitur 629. 630. 631.

Stroymirus præfectus Bilinensis in exilium mittitur 215. 216. ejus progenies, etymologia 309. 311. Bohemiæ Ducatum accipit 263. 265. 309. exauctoratur 266. in Bavariam remittitur 311. 312.

Stuymirus *vide* Stroymirus.

Styrsa satellesBoleslai 566. percussor S. Wenc. 572.

Styrus Neklani personam sustinet 97. exercitum in hostem ducit 98. 101. cædit Wlastislaum 102. 107. occiditur 102. tumulatur 103.

Sualifelt portio regnorum sit terrarum Ludovici 169. 170.

Suantevit 162. 163. 510.

Suatebogius filius Zuentibaldi 133. 305. non impositus Moravis ab Arnulpho 306. a patre testamento portionem regni accepit 340. 342. cum veneratione S. Methudium excipit 374. recedit a sua probitate 375. S. Methudium a conspectu suo arcet. 376. excommunicatur 376. 379. fit monachus 377. 379. 380. moritur cum opinione sanctitatis 377. 383. occiditur 368.

Suatoplucus obsidetur 62. 63. baptizatur 70. de eo mira Dalemsili fabula 380. 381. etiam filias habuit 532. *plura vide* Zuentibaldus.

Suatopolcus Ruthenus absorbetur a terra 519.

Sudislavus moderator Strachyquatis 629.

Sudomirz 41.

Suevi fiunt Hungaris tributarii 387.

Sukoslaw castrum conditur 189. capitur 214. flammis traditur 215.

Sukoslaus hostis novus Hostiviti 181. 182. 203. 183. condit castrum 189. fugit e prælio 209. 210. opprimit præsidia Hostiviti 204. accipit auxilia 213. 216. truncatus projicitur in Egram 215. 216.

T.

Tabamviziles Obotritarum Dux 53.

Tachtilfus mittitur adversus Sorabos 37. tradidit proprietates suas Fuldensi cœnobio 151. moritur 150. ubi ejus proprietates sitæ fuerint 150. comes fuit de Bohemia 156.

Tanner Biographus S. Wenc. 614.

Taxis avus S. Stephani 246.

Teben olim Divina 64.

Tetin castrum, aurum hic reperitur 71. 72. 417. 420. 424. 428. huc se recipit S. Ludmilla 538. item Borzivojus 388. 390. 393. conditur Borzivojus 428. conceditur S. Ludmillæ 456. 458. martyrizatur 547. ejus corpus levatur 494. 495. 497. 498.

Tetschen non est Tetinium 478.

Teyn prædium 321. 322.

Teynensis Ecclesia conditur 321. 322. 323. 358. 359. 394. 395. incenditur 360. 468. conditur hic Spitignæus 429.

Teynicium expilatur 14. 85.

Thanemari legati violantur a Bohemis 555.
Thaſſilo non fuit Rex Boh. 312.
Theotmarus Archiep. Salisb. deficit Epiſcopatu Wichingum 338. epiſtolam dat adverſus Moravos ad Joannem IX. 343. 353.
Thuringi mittuntur adverſus Moravos, cæduntur 142. adverſus Boleslaum 657.
Thuringia infeſtatur a Sorabis 110. ab Hungaris 414. 453.
Timeſus fluv. 313.
Tiſſa fluv. 313.
Torneamentorum origo 601. 607.
Triburienſis ſynodus 258.
Trzebenicz 634. 635.
Trebuſſenſes fodinæ 152.
Trzebuſſicium locus pugnæ 209. 210.
Trziſſów caſtrum diripitur 47.
Tugumirus veroſimillimè ſeu pater ſeu frater Drahomiræ 541.
Tullinæ congregatur Ludovici exercitus adverſus Raſticem 37. colloquium 221.
Tulpiacum obſidet Henricus 529.
Tuman percuſſor S. Ludmillæ ſubornatur a Drahomira 475. eam cum ſocio præfocat fune 476. 477. 547. præmiatur 477. 481. tyrannice cum Drahomira regnat 553. condit villam Wranicz 477. 479. exilio multatur 554. ejus ſtirps exſtincta 481.
Turci iidem, qui Hunni & Hungari 34. *vide* Hungari.
Tursko locus prælii 98. comitiorum 613.
Tuto fit Epiſcopus Ratisbonenſis 301. 343. ad eum legationem mittit S. Wenceslaus 510. 511. 589. 590. mittit coepiſcopum ad conſecrationem eccleſiæ S. Georgii 545. 584. cæcus erat in ſua ſenectute 585. moritur, ejus mauſolæum 602. an conſecraverit eccleſiam S. Viti 627.

V.

Vaag fluv. 241.
Valdek caſtrum 477. 478. 481.
Valdekii 482.
Valdo Epiſc. Friſingenſis 343.
Vallersleba urbs 593.
Vantoſe condit Romæ hoſpitale 399.
Ucreni Slavi vincuntur 633.
Udalricus Ep. Auguſtanus 528. Comes mittitur legatus ad Moraviam 361. 362.
Vechi-Slava 413.
Velegrad 134.
Velehradenſis eccleſiæ privilegia 239. ampliſicatur 244. evertitur ab Hungaris 455.
Velehradii ſedes epiſcopalis 50. 91. caput regni Moravici 67. quod illud? 68. pro Belegrado Ungariæ perperam acceptum 92. 93. munitum 114. 274. 280. 299. huc venit Arnulphus 213. occupat 340.
S. Wenceslaus naſcitur 411. 412. 413. de eo Libuſſæ vaticinium 413. mittitur ad ſtudia literarum 444. 445. pater moriens commendat proceribus 450. educandus traditur S. Ludmillæ 433. 434. 457. 458. 530. traditur ei ducatus Pragenſis 456. 457. 530. Budecium remittitur 456. ejus cæleſte viſum 459. 539. Drahomiræ matris tyrannidem ægre fert 468. comitia cogit 483. clavum imperii ipſe gerere conſtituit 484. 486. 538. 577. 578. matrem in exilium mittit 484. eccleſias reſtaurat 484. 486. 542. 543. 550. revocat Clerum 485. ejus opera pietatis 485. 487. 488. 489. condit templum Divi Viti 505. offert duellum Drslao 521. 522. 523. 524. ſtipatus Angelis & aurea cruce fulgidus 524. 528. ſtrenuus, an decurrerit in Henrici haſtiludiis 526. condit hoſpitale S. Antonii 533. 534. ejus caſtitas defenditur 533. 535. pueros captivos baptiſmo tingi jubet 533. 536. meditatur monachatum 563. 568. 599. corpus B. Ludmillæ transfert Pragam 494. 582. obviam procedit ſacro corpori 495. 500. initit legatos pro Tutone Ep. Ratisb. 510. 511. 584. invitatur ab Henrico ad comitia 503. primus ei locus ceditur 504. 506. Angeli ejus latus ſtipant 505. 506. accipit brachium S. Viti 505. 509. regia dignitate ornatur 508. ei mater inſidiatur, venenum propinat 514. 515. proſcribit carceres & patibula 521. 524. revocat magrem ab exilio 633. num fuerit Erfordiæ in comitiis 636. an donatus brachio S. Viti 636. 637. 638. num regis titulo ornatus 640. 641. num ei aquila in clypeum data 642. 643. num Moravia auctus 642. num Ducatum Boh. in feudum acceperit 561. num interfuerit prælio ad Merſeburgum 623. 624. ab Henrico in deditionem accipitur 555.

558. 559. cui tributum pacificitur 556. 557. 560. illi perpetuo fidelis & amicus 555. 593. ſæpe victor 593. convellitur calumnia de potu 570. admonetur de inſidiis 564. 569. convivio excipitur 564. 565. ad martyrium ſe præparat 565. 571. cæditur 566. 571. 572. 573. martyrii annus 573. 652. 653. 654. 655. 656. ejus ſanguis in parietibus indelebilis 566. 573. apparet Daniæ Regi 567. 575. in ejus percuſſores divina ultio 574. transfertur Pragam 603. 604. 605. 608. 609. ejus corpus incorruptum 606. 611. auris coaleſcit 606. 607. 612. ſtatim à cæde Martyr cultus 598. ejus reliquiæ *ibid.* magnum vexillum 646. 647. miracula 586. 587. 602. 619. 620. varii illius biographi 613. 614.

Venceslaus Caroli IV. filius 646.

Venetias ingreſſi Hungari 372.

Verinharius amicus Raſticis inſimulatur 74. mutilatur 211. 212.

Verlaon urbs 529.

Vexillum magnum *S.* Wenceslai 561. 562. 646.

Veytrah 25.

Vezilonem mutilat Zuentibaldus 212.

Viborada martyrio afficitur ab Hungaris 528.

Viehingus fit epiſcopus Nitrienſis, Alemannus natione 192. 193. 194. 169. fit moleſtus *S.* Methodio 207. 208. meditatur metropolim in Slavia 298. 299. fit Cancellarius Arnulphi, deſerit epiſcopatum Nitrienſem *ibid.* fit Patavienſis epiſcopus 327. 345. inimicus ei Theotmarus Archi-ep. Salisb. 328. dejicitur epiſcopatu 338. an ad ſedem Nitrienſem redierit? 338. 339. dies obitus *ibid.*

Vidislawka uxor Wlaſtislai, incantatrix, fulmine perit 61. 62.

Vido Thuringus ducit ſororem Henrici 623.

Vidovle mons 125. 126.

Viechoslaus Bellonæ fanum erigit 109.

Viennenſium epiſcoporum catalogus dubius 221.

Vilihelmus Dux limitaneus à Carlomanno removetur 48. contra eum Sclagimarus Dux Mor. 126. hoſtis Zuentibaldi, moritur 158. 159. *filius* Arbonni bellum infert, profligatur 168. recipit comitatum 211. legatos mittit ad Zuentib. obtruncatur 277.

Vilzi tributarii facti, eorum ſitus 585. rebellant 592.

Vineæ *S.* Wenceslai 439.

Vinum primum in Boh. 266. 267. 268. *S.* Wenceslaus in ſacrificium Miſſæ apparat 488. 489.

Viſſehrad comitia 1. 46. 320. turris Neklanka conditur 71. 72. inauguratur Hoſtivitus 145. linguæ Slavicæ ſtudium 325. divinis operatur *S.* Methudius 404. Cathedra Epiſc. hic conſtituta 406. *regio* diripitur 40.

S. Viti Eccleſia Pragæ condi tur 505. 509. 510. 512. 588. 589. 599. Velehradii 510. ad ejus conſecrationem invitatur Ratisb. Epiſc. 595. conſecratur 506. 595. dedicationis verior annus 624. 625. 626. 627. *brachium* donatur *S.* Wenceslao 504. 509. 636. 637. 638. 639. 640. quare cum gallo pingi ſolitus 510. magnificentius Eccleſia conſtruitur a Carolo IV. & filio 597. tumulatum hic corpus *S.* Wenc. 606. 608. Podivini 607.

Vitislaw Dux Boemorum cæditur 143.

Vitiz pagus diripitur 47.

Vitkones Roſenſes dicti 28.

Viztrachi Ducis civitas capitur 26. quæ fuerit 26. 27.

Vladimir filius Simeonis Regis Buſg. 270.

Vlaſtislavia conditur 14. 15. 16. ſolo æquatur 634. 635. 658.

Vlaſtislavienſes male Boleslai milites excipiunt 634.

Vlaſtislaus munit Zateciun, bellum apparat 12. prædatur terras Neklani 14. 22. condit Wlaſtislaviam 14. Losbudo oculos eruit 19. contemnit legationem Neklani 24. ejus ambitio 25. filius Slavitagus 28. exſcindit Budecium 36. Neklano intentat bellum, victor 54. 55. condit Lowin 61. Wiſſehradenſem Ducatum ambit, bellum apparat 76. 77. mucronem per Ducatum circumferri jubet 83. 84. irritatur magis Neklani reſponſo 86. fecialeſ mittit 94. ſuos oratione ad prælium accendit 95. inſtruit aciem 99. cavillatur Pragenſes, rapacium volucrum turmam emittit 100. ſubducit ſe perſequenti Styro 101. occiditur 102. 107.

Unego magiſter *S.* Wenc. 299. 435. 445.

Ungri Slavi in Ukrania 54.

S. Wolfgangus Ep. Ratisb. invitatur ad conſecrationem Eccleſiæ *S.* Viti 505. eam conſecrat 505. 510. 595. 597. 630. 632.

Volfgerus Epiſc. Viennenſis 221.
Vojevoda dignitatis nomen 35.
Vranice villa conditur 477. 481.
Vratislavia Moraviæ urbs 409.
Vratislaus pater S. Wenc. naſcitur 218. conciliatur Arnulpho 307. incertum quæ illius ditiones fuerint 308. baptizatur 321. 323. faciat ſe Francis 354. fit Dux Boh. 404. 450. 452. 502. adducitur ei uxor 405. quam veroſimillime adhuc ethnicus duxit 531. 532. ſuadet illi religionem Chriſti 412. vincit Hungaros 437. invitatur ad regnum Mor. 438. condit Eccleſiam S. Georgii 439. Wenceslaum ad ſtudia mittit 444. bellum contra Henricum 446. 474. condit templum SS. Cyrilli & Methudii 446. 447. auxilium fert contra Hungaros 520. an haſtiludia Henrici adierit 503. filios commendat proceribus 450. moritur 451. 452. dies & annus obitus 452. 529. 530. ejus ætas 531. ſimulacrum, moneta 452. tumulus 453. *Dux Pannoniæ* condit Piſonium 218. adjuvat Zuentibaldum 221. ſecundo ducit uxorem 239.
Vrſiovecii proceres conciliabulum cogunt 228. condunt cognomine caſtrum 229. ſollicitant Mſtibogium ad defectionem, eorum clypeus 229. 231.
Vrſiowecz conditur 229. 232.
Vſſebog Dux 46.
Vſſemilus primus Decanus Bolesl. 447. 448.
Utczka fluv. 78.

Z.

Zabor eremus 377. 378. hodie Camaldulenſium 384. mons 385. 386. 387.
Zacharias Sæbonenſis Epiſc. 343.
Zaſinuk diripitur 47.
Zatecenſis regio diripitur 39. chorographia 77. in paganiſmo obſtinati 358. 412. 414. conciliabulum cogunt 617. legationem ad Boleslaum mittunt 618. 620.
Zatecium munitur 12.
Zbislaus filius Wlaſtislai Duringo educandus committitur, 104. 108. a quo perimitur 137.
Zderas Eccleſia conditur 329. 330.
Zelu idolum Slavicum 163.
Zemanislaus Dux Pol. 461. 463.
Ziak id eſt literatus 166.
Zidomir prædium invaditur 522. 523. 525.
Zlicz filius Doliſi 5.
Zliczenſis regio eadem quæ Znoymenſis 125. ſuos ſemper peculiares Duces habuit 126.
Zlobecz capitur 46. Lobkovicienſium originarius prætenditur 47.
Zlotic capitur 19. 20.
Zlota Baba Slavis Juno 262.
Znoymenſis regio 125.
Zober mons 306.
Zoltanus Ungariæ Dux 539.
Ztodor patria Drahomiræ 404. Slavicus pagus in hodierna Brandeb. 406. 407. 486. idem cum Stochow 588.
Ztodorani Slavi, eorum ſitus 406. 407.
Ztodorania aliter Heveldun 540.
Zuaninirus Dalmatiæ Dux 29.
Zuentibaldus Primminæ terras accipit 17. 115. num eum occiderit? 45. pro doctoribus fidei mittit 57. diſſentit a Raſtice 112. ejus nepos 114. contra eum Ludovici expeditio 113. tradit ſe Carlmanno, ob id ad necem quæritur a Raſtice 118. capit Raſticem, eum extradit Ludovico 119. 132. inſtigator ut excoecetur 121. durum jugum Francicum fert. 123. objurgatur a S. Methudio 124. capitur a Carlmanno 126. 128. cur a Francis defecerit? 127. dimittitur e captivitate, vindicat ſe, cædit Bavaros, 127. 128. ei ſubmittunt ſe plures Slavi certis conditionibus 128. 129. S. Methudio reſiſtit 132. excommunicatur 133. 134. S. Methudium in Moraviam revocat 142. cædit Bavaros, obſidet Kornburgum 143. 144. legationem mittit ad Ludov. victor, pacem offert 148. pacis conditiones init, an tributum annuum pactus? 157. ulciſcitur filios Engilſchalci 159. eximit ſe tributo 167. cum eo facit fœdus Arbo, Carlmannus ei bellum movet 168. cum eo amicitiam init 168. 170. illi ſcribit Joannes Papa 186. 190. levat filium Arnulphi ex baptiſmo 202. miſere laceſſit comitatus clientum Arnulphi, conſpirant in ejus necem, Bulgari ejus regnum vaſtant 211. 212. 217. minatur Arnulpho, vaſtat Pannoniam ibid. Boemi illi auxiliares 219. rurſum laceſſit Pannoniam, ejus ingens exercitus, victor 220. cum Carolo Craſſo pacem facit, obtinet Pannoniæ partem

in

in feudum 221. 223. 225. a Mſtibogio bello laceſſitur 230. 232. Arnulpho dat auxilia 233. apud Carolum Craſſum Ratisbonæ 234. bellum in Boh. meditatus ibid. copias mittit 235. bellum cum Polonis 237. 239. ei ſe tradunt Milzieni 238. ſua munit contra Kurimenſes 240. in ejus terras irruunt Hungari 242. eo amice utuntur 243. 246. Formoſus Papa ejus opera utitur 248. 249. exornat Welehrad. Eccleſiam 244. Arnulphus ei Ducatum Boh. cedit 249. quid de hac donatione ſentiendum 250. 251. 252. rebellat Arnulpho 249. Borzivojum convivio accipit 258. 279. 280. 284. fert ei ſuppetias 263. 303. 304. mittit vinum 266. ſuadet illi baptiſmum 280. levat eum e baptiſmo 282. comitatur 283. ei bellum infert Arnulphus 268. 269. 270. retinet Cisdanubianam Pannoniam 271. a S. Cyrillo baptizatus 273. indicit bellum Arnulpho 273. 301. 339. ad eum confugit Engilſchalcus 277. eripiuntur illi Comitatus ad Rheginum fluv. 271. cum Hungaris pacificatur 273. 279. ambit Bavariam 274. 340. ex inſidiis probe multas Arnulphi exercitum 277. 278. pacem facit cum Arnulpho 304. ſubigit Nitrienſem ditionem 345. meditatur Metropolim 298 moritur, ejus teſtamentum 297. 304. 305. an belli ceciderit 305. 340. an Monachus factus? 306. ejus ætas, regiminis anni 297. 298. reliquit tres filios 305. etymologia nominis 115. non confundendus cum Raſtice 116. an habuerit ſororem Arnulphi in matrimonio 178. an coronatus? 274. ejus vaſtum imperium ibid.

Zuentibaldus junior ſeu prioris filius 305. non accepit Ducatum per Arnulphum 306. diſſidet cum fratre 315. ei mittit auxilia Arnulphus 326. a fratre in carcerem mittitur, liberatur a Bavaris, in Bavariam deducitur 331. filius Arnulphi levatur a Zuentibaldo ex baptiſmo 203. belli cadit 342.

Zuentislaw Dux Boh. creditur 143.

Zubur Dux Nitrienſis 385. ſuſpenditur 386.

mons 386. 387.

Zuittavia urbs 283. 299.

Zytolib concilibulum cogitur a Wrſſoveciis 228. 231. 232.

A. M. P. I.